9
3 N
7

7.10

Digitized by Google

Aſſistentia Germaniæ
S. J.
9-3-N-7

ASIÆ

NOVA DESCRIPTIO,

IN QVA

PRÆTER PROVINCIARVM
SITVS, ET POPVLORVM MORES,
MIRA DETEGVNTVR, ET HACTENVS INEDITA.

OPVS RECENS EXIT IN LVCEM, CVRA L. M. S.



LVTETIÆ PARISIORVM,
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, Regis ac Reginæ Architypographum.
Et GABRIELEM CRAMOISY, viâ Iacobæâ, ſub Ciconiis.

M. DC. LVI.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

9-3-14-7

Digitized by Google

CHRISTINAE
MARIÆ ALEXANDRÆ
SVECORVM,
GOTHORVM,
VANDALORVM, &c.
REGINAE
CATHOLICÆ:

PARENTE MAXIMO MAIORI FILIÆ:

ARTIBVS ET DISCIPLINIS

HVMANVM CAPTVM SVPERGRESSÆ:

SPRETO REGNO

SVPRA MORTALE FASTIGIVM EVECTÆ,

EMENSO TOTO PENE' TERRARVM ORBE,

QVEM NOMINIS SVI FAMA

OMNIVM GENTIVM LITERIS CELEBRATI,

COMPLEVERAT,

Digitized by Google

CIVITATVM PRINCIPEM LVTETIAM

MAXIMIS ORDINVM OMNIVM GRATVLATIONIBVS

PETENTI,

ASIAM

RECENTI PENICILLO

ADVMBRATAM

D. D. C.

SEBASTIANVS CRAMOSIVS

REGIS CHRISTIANISSIMI

ARCHITYPOGRAPHVS.

Digitized by Google

IN

CHRISTINAM
SVECORVM, GOTHORVM, VANDALORVM, &c. REGINAM.

ELYSIAS *inter ſedes, lætóſque receſſus*
Illuſtres Heroum animæ conuicia matri
Naturæ quondam fecere; quòd ægra iaceret,
Non alias auſura pares formare: ſed illa
Concutiens fatale caput; me prouocat, inquit,
Vmbrarum malè ſana cohors, & voce ſuperbâ,
Quas putat extinctas, vires impunè Parentis
Irritat gens vana; ſed irritaſſe pigebit.
Sic ait; Arctois & non imitabile terris,
Cui non par ventura ferent, non acta tulere
Tempora, fudit opus: tanto quaſſata labore
Intremuit tellus; ferit fragor igneus auras;
Palluit Heroum cœtus; fuit æthere toto
Arctoos ingens Superûm concurſus ad axes,
Diuáque CHRISTINA *humanâ ſub imagine prodit.*
Tantæ molis erat CHRISTINAM *immittere terris.*

SEBASTIANVS MABREVS
SEBASTIANI CRAMOSII nepos.

SVMMA PRIVILEGII
Regis Chriſtianiſſimi.

CAVTVM eſt auctoritate Regis, ne quis in regno eius, aliiſve locis eius ditioni ſubditis, librum qui ſic inſcribitur, *Aſia noua deſcriptio, in quâ præter Prouinciarum ſitus, & Populorum mores, mira deteguntur, & hactenus inedita. Opus recens exit in lucem curâ L. B. S.* quouis charactere, aut forma excudere, aut alibi excuſum vendere, alióve quolibet modo diſtrahere poſſit intra nouem annos computandos à die abſolutæ primæ editionis, præter Sebaſtianum Cramoiſy, Regis & Reginæ Architypographum, Regiæ Typographiæ Gubernatorem, necnon Vrbis Exconſulem. Qui ſecùs fecerit, mulcta eſt indicta, prout fuſiùs in diplomate regio continetur. Datum Pariſiis menſe Septembri. Sic ſignatum, De mandato Regis, CRAMOISY.

Hæc prima editio abſoluta fuit eodem menſe Septembri 1656.

Digitized by Google

LECTVRO.

NEſcio quo fato, ERVDITE LECTOR, in meas manus recens hic incerti parentis fœtus venerit. Certè quia, quæ in eo leguntur, rara & oculis tuis digna mihi viſa ſunt, peregrinum adoptaui. Itaque qualis in manus primùm incidit, talem tibi ſine fraude repræſento. Naſcenti faue, & vale.

SYNOPSIS LIBRORVM, ET CAPITVM.

LIBER I. Scythiam & Aſiam inter Taurum deſcribit.

CAP. I. QVADRVPLICIS *Aſiæ ſumma deſcriptio.* pag. 1.
II. *Magnæ Aſiæ deſcriptio.* 3
III. *Mons Taurus Hebræis Ararath.* 4
IV. *Tauri Portæ.* 5
V. *Aſia extra Taurum.* 7
VI. *Mare Caſpium.* 7
VII. *Scythiæ diuiſio.* 9
VIII. *Scytharum mores.* 9
IX. *Quare populi Septentrionales, domini terrarum vt plurimum fuerunt.* 12.
X. *Scytharum religio.* 12
XI. *Quando & quomodo qui olim Scythæ, dicti ſunt poſtea Tartari, & ampliſſimum Tartariæ imperium conſtituerunt.* 13
XII. *Periplus maris Caſpij, hoc eſt, itinerarium locorum, & regionum, quæ circumquaque mare Caſpium ambiunt, deſcriptio.* 15
XIII. *Cyrrhus fluuius & Iberia.* 16
XIV. *Quomodo Iberi ad fidem conuerſi dicti ſunt Georgiani.* 17
XV. *Caucaſus Circaſſi, Porta ferrea.* 19
XVI. *Sarmatia Aſiatica.* 20
XVII. *Moſcouia pars Scythiæ ſeu Sarmatiæ Aſiaticæ nunc præcipua.* 21
XVIII. *De religione Moſcouitarum.* 23
XIX *Scythia intra Imaum.* 24
XX. *Mons Imaus.* 27
XXI. *Scythia extra Imaum, ſeu Orientalis.* 28
XXII. *Seres.* 29
XXIII. *Ionani Preſbyteri quando extinctum imperium in Scythia, & excitatum Tartariæ regnum.* 30
XXIV. *Cataia.* 31
XXV. *Iaxartes.* 32

Digitized by Google

XXVI. *Polycimetus amnis, Sogdianorum generoſus animus.* 33
XXVII. *Oxus fluuius.* 34
XXVIII. *Bactria.* 36
XXIX. *Tamberlani Scythæ imperium.* 37
XXX *Pylæ Durues & regnum Candabar ad Bargimanen fluuium.* 39
XXXI. *Imperium de Sapo.* 40

LIBER II.

Continet Aſiam in Tauro, & Aſiam Peninſulam.

CAP. I. SOPHORVM *imperium.* p. 41.
II. *Margiana nunc Karaſon, & Aria, nunc Eri.* 42
III. *Hyrcania hodie Mazandaran & Geilan.* 43
IV. *Parthia ad Auſtrum Hyrcaniæ ſita. Arſacidarum imperium.* 46
V. *Hiſpahan metropolis Perſarum, in prouincia Hierach.* 48
VI. *Media & Medorum imperium cum metropoli Ecbatana, nunc Tauris.* 50
VII. *Atrapatia hodie Siruan.* 52
VIII. *Araxes.* 55
IX. *Tranſitus è mari Caſpio ad eas partes Aſiæ, quas abluit Pontus Euxinus.* 56
X. *De Colchide & Mengreliâ.* 57
XI. *Phaſis fluuius.* 59
XII. *Tibareni, Calibes, Heptacometæ, Lazi.* 61
XIII. *Aſia Peninſula, dicta nunc Anatolia.* 63
XIV. *Cappadocia, nunc Toccat.* 65
XV. *Chorographia litoris Cappadoci, & Trapezuntinum imperium.* 66
XVI. *Galatia, Honorias, Paphlagonia.* 68
XVII. *Pauca de Mithridate Rege Ponti.* 70
XVIII. *Pontus & Bitinia.* 73
XIX. *Bithymia.* 75
XX. *Aſia propriè dicta & Troas.* 78
XXI. *Æolis Myſiæ.* 80
XXII. *Ionia.* 82
XXIII. *Templum Epheſinum.* 84
XXIV. *Mæandra effuſa oppida.* 85
XXV. *Caria.* 86
XXVI. *Lycia.* 87
XXVII. *Pamphilia, Lacaonia, Iſauria, Piſidia.* 88
XXVIII. *Cilicia aſpera, ſeu ſecunda.* 90
XXIX. *Coricium antrum.* 91
XXX. *Cicilia campeſtris, ſeu ad Iſſum.* 92
XXXI. *Fluuij Cydnus, & Sarus.* 93
XXXII. *Pyramus fluuius.* 93
XXXIII. *De Ægeo mari, ſeu Archipelago.* 95
XXXIV. *De ſinu Satalico.* 97
XXXV. *Inſulæ Aſiam circumſtantes, Tenedos, Turcis, Boucchade.* 97
Lesbos nunc Metelin. 98
XXXVI. *Cyclades, & Sporades.* 102
XXXVII. *Creta.* 104
XXXVIII. *Carpathos, & Rhodus.* 106
XXXIX. *Cyprus.* 107

LIBER III.

CAP. I. SYRIA. pag. 110
II. *Syrorum lingua.* 111
III. *Mons Amanus, Syria Commagena.* 111
IV. *Syria propriè dicta, ſeu Terapolis, Laſſiotis, & Palmyrena.* 113
V. *De Cœleſyria & Phœnice.* 114
VI. *Libanus.* 115
VII. *Amnes qui è Libano manant.* 118
VIII. *De Emire Tripolitano.* 120
IX. *Maritima Cœleſyriæ, & Phœnicia.* 120
X. *De Emire Facardino.* 124
XI. *De Sydone, Tyro, & reliquis ad montem Tabor.* 125

Digitized by Google

XII. *Terra Sancta. Quibus appellata nominibus.* 130
XIII. *Situs terræ Promiſſionis, eiúſque vbertas expenditur ex incolarum numero.* 131
XIV. *Qui in Palæſtina imperarunt in hanc diem.* 133
XV. *Iordanis fluuius.* 134
XVI. *Iordanis laudes præter naturam ipſi propriæ.* 135
XVII. *Ituræa, Galilæa, & Decapolis.* 135
XVIII. *Loca memoratu digna ad ripam Iordanis.* 136
XIX. *Mare Galilææ.* 137
XX. *Berſabee ſolitudo, ſeu mare Sabuloſum.* 143
XXI *Tribus Beniamin ad oſtium Iordanis ſita.* 144
XXII. *TemplumHieroſolymitanum miraculorum orbis maximum.* 146
XXIII. *Templi apparatus.* 146
XXIV. *Duo miracula, templi fundamentum, & eius ſubſtructio, ad peribolum, quo cingebatur area.* 147
XXV. *Tria miracula, ordinatio, ſeu deſcriptio membrorum, & partium, quibus conſtabat ædificium.* 147
XXVI. *Quartum miraculum, ornamenta, & ſupellex Templi.* 151
XXVII. *Quintum miraculum, cantores.* 152
XXVIII. *Regio Tranſiordanina.* 153
XXIX. *Regnum Bazan.* 153
XXX. *Regnum Amorrhæorum.* 156
XXXI. *Moabitis.* 157

LIBER IV.

CAP. I. ARABIA. pag. 159
II. *Arabia Deſerta.* 159
III. *Arabia Petræa.* 161
IV. *Mare Rubrum. Quid maris Rubri nomine intelligunt Auctores.* 163
V. *De intimo ſinu maris Rubri, & qua parte illud tranſmiſerunt Iſraëlitæ.* 166
VI. *Arabia Felix.* 168
VII. *Chorographia Peninſulæ Arabicæ.* 169
VIII. *De Arabibus, Saracenis, & dogmatibus Mahometis, eorúmque refutatio.* 171
IX. *Sabæi, Homeritæ, Sultanus Amaniorum, & Sultanus Aden.* 175
X. *Armuziæ Regnum, indéque quod ſupereſt litoris ad Euphratis oſtium.* 180
XI. *De ſinu Perſico, & inſulis, ad quas vnionum piſcatus eſt.* 181
XII. *Euphrates fluuius.* 184
XIII. *Diſſertatio de Paradiſo Terreſtri.* 185
XIV. *Fluuium Paſitigrim non eum eſſe quem ſcriptura vocat Phiſonem.* 186
XV. *Phiſonem non eſſe Gangem.* 188
XVI. *Qui communiter Phaſis dicitur, is eſt fluuius, quem ſcriptura Phiſonem appellat.* 191
XVII. *De Geone fluuio.* 192
XVIII. *Araxem eum eſſe fluuium, quem ſcriptura vocat Geonem.* 194

Digitized by Google

LIBER V.

CAP. I. ARMENIA. pag. 194
II. *Niphates, & Meſopotamia.* 199
III. *Oſroëna.* 201
IV. *Vrbes aliquot ad ripam Euphratis.* 203
V. *Chaldæa.* 204
VI. *Babylon à quibus condita & euerſa.* 205
VII. *Qualis Babylon.* 206
VIII. *Tigris Fontes.* 209
IX. *Aſſyria.* 211
X. *De Vrbe Muzal, eiúſque Patriarcha.* 212
XI. *Reliquum fluuij Tigris.* 213
XII. *Suſiana.* 214
XIII. *Perſia propriè dicta.* 215
XIV. *Perſarum Ritus.* 218
XV. *Militaris diſciplina.* 221
XVI. *Perſarum ritus religioſi.* 223
XVII. *Carmania hodie Chermon.* 225
XVIII. *Armuzia regni pars ſita in Carmania.* 226
XIX. *De copioſo mercatu, qui in ſinu Perſico, in vrbibus Baſſora, & Armuza exercetur.* 229
XX. *Itinerarium Haleppo Baſſoram ſecundo Euphrate, indéque Armuziam.* 230
XXI. *De regno Macron, & antiqua Gedroſia.* 231
XXII. *Nauigatio ex Armuſina inſula in ciuitatem Diu.* 232

LIBER VI.

India cis Gangem.

CAP. I. INDIARVM *ſitus, figura, amplitudo.* p. 235
II. *Cœli ſoliſque ratio.* 236
III. *Indorum mores & inſtituta.* 238
IV. *Magni Mogoris imperium in India, eiúſque adminiſtrandi modus.* 240
V. *Indus fluuius.* 241
VI. *Paropamiſus mons, nunc Dalanguer: & Paropamiſſadæ Tibbon Caſſimere, & Attok Gandaridæ nunc Kabul, cæteráque quæ continentur inter Parallelos 37 & 34.* 244
VII. *Taxali & Bori, antiqua Indorum regna ad Hydaſpem, & Indum.* 247
VIII. *Mira quædam de Hypani fluuio.* 249
IX. *De fluuio Rauee, & Regia Lahor, & de reliquo flumine Indo ad eius oſtia.* 251
X. *De ſinu qui prætenditur oſtiis Indi fluminis, & Peninſulæ Guzaratte.* 253
XI. *Cambaia, aliis Guzarates.* 254
XII. *Cherſoneſi Indiæ ora Occidenti obuerſa.* 259
XIII. *Goa imperij Luſitanici in India Metropolis.* 261
XIV. *Zamorinus Calecutij Rex, & Malabarum Imperator.* 263
XV. *De Malabarum moribus & inſtitutis.* 264
XVI. *De Vrbibus, & Regnis, Cranganor, Tanon, Cochin, Coulan, & Trauancor.* 266
XVII. *Mons Gatis, & Promontorium Commorini.* 267
XVIII. *Maldinæ inſulæ.* 268
XIX. *Maldinarum Palmæ.* 272
XX. *Inſula Zeilan, olim Taprobana.* 273

Digitized by Google

LIBER VII.

Sinus Gangeticus, ſiue Bengalæ.

CAP. I. ORA *Piſcaria.* p. 277
II. *Coromandelium litus cum imperio Narſinga.* 278
III. *Regnum Golconda.* 280
IV. *Orixa.* 281
V. *Ganges fluu.* 282
VI. *Prouinciæ, & urbes Gangi appoſitæ, ac primùm, de regno Tibet.* 284
VII. *Prouinciæ magni Mogoris, quas Ganges perluit.* 285
VIII. *Delli, & Agra prouinciæ ad fluuium Jemini ſitæ.* 286
IX. *Duo feſta quæ celebrantur quotannis ſumma pompa in aula Jmperatoris Mogoris.* 287
X. *Alia ad fluuium Iemini ſita, vbi quædam de ſepulchro Adæ.* 288
XI. *Bengalæ regnum.* 289
XII. *Quales in regno Bengala Rhinocerotes, & Tigres.* 290
XIII. *Lacus Chiamay, & variæ regionis Gangeticæ Dynaſtiæ.* 291
XIV. *Regnum Pegu, & regnum Aua.* 293
XV. *Regna Martabanum, Tanaſſeri, Quecla, & Pera.* 295
XVI. *Malaca.* 296
XVII. *Quædam memoratu digna, quæ Albuquercio contigerunt in Malacenſi expeditione.* 298
XVIII. *Regna Ior, Paon, Patane, & Ligor.* 299
XIX. *Regnum Siamenſe.* 300
XX. *Mecon Rex fluuiorum: regna Camboiæ, Laïs & Champæ.* 301
XXI. *Cochinchina.* 303
XXII. *Regnum Tunquin.* 304
XXIII. *Ampliſſimum imperium Tamin; vulgò China dictum. Nomen, & amplitudo regni.* 305
XXIV. *Fines, ſoli, & fluuiorum fœcunditas; miráque omnium, quæ ad neceſſitatem, & voluptatem pertinent, abundantia.* 307
XXV. *Ædificia publica, & priuata.* 309
XXVI. *Chinæ quales vultu & veſtitu.* 311
XXVII. *Politia.* 311
XXVIII. *Chriſtiana religio in Chinam quando, & quomodo inuecta.* 314
XXIX. *Jmperij Chinæ Auſtrales prouinciæ.* 316
XXX. *Nanquinum altera vrbs regia.* 319
XXXI. *Prouinciæ Boreales.* 321
XXXII. *Populi trans murum Chinæ ſiti.* 323
XXXIII *De regno Coria.* 324

LIBER VIII.

CAP. I. EOVM *pelagus, & inſulæ in eo.* 325
II. *Regnum Ieſo.* 326
III. *Iaponiæ inſulæ, earum nomen, numerus, ſitus.* 327
IV. *Aëris temperies, ſoli vbertas, metalla. Arbor quæ humore moritur, ſiccitate vireſcit: animantium genus omne.* 328
V. *Jncolæ.* 330
VI. *In elegantiis, & conſuetudinibus quàm diſcrepent Iapones ab Europæis.* 331
VII. *Religio Iaponum.* 332
VIII. *Inſulæ Goti.* 336

Digitized by Google

IX. *Qualis Architectura in his partibus.* 336

X. *Inſulæ appoſitæ litori Chinæ.* 338

XI. *De Philippinis inſulis.* 339

XII. *Earum præcipuæ.* 340

XIII. *Inſulæ latronum.* 342

XIV. *Molucæ inſulæ.* 342

XV. *Mauricæ inſulæ.* 344

XVI. *Celebiorum inſula, aliis dicta Macazaria.* 346

XVII. *Inſulæ Ambionum, & Banda, aliæque communiter dictæ Myriſticæ.* 347

XVIII. *Iauæ.* 348

XIX. *Borneum.* 349

XX. *Somatra.* 350

ASIÆ

Digitized by Google

9.3-N.7

ASIÆ DESCRIPTIO.

LIBER PRIMVS.

Scythiam & Aſiam intra Taurum deſcribit.

CAPVT I.

Quadruplicis Aſiæ ſumma deſcriptio.

Mela l.3. c.1.

CVM aggredior de Aſiâ dicere, opus aggredior & immenſum, & maxime impeditum: immenſum propter terrarum amplitudinem: cum ſit maior, quàm ſint Europa & Africa; impeditum propter auctorum inopiam, qui de ea cum ordine perſcripſerint accuratè, & cogitatè, quod Martem potius quàm Muſas ſemper coluerint plerique magnæ Aſiæ populi. Quapropter autorem neminem vnum ſequemur, ſed vt quemque veriſſimum in quaque parte arbitrabimur, vt in tanta difficultate, quam poterimus afferre, lucem demus.

1. Aſiæ nomen primum vrbi, deinde prouinciæ, tum peninſulæ, poſtremo tertiæ orbis parti, inditum eſt. Ampliſſima vrbs fuit Aſia, nulli vicinarum cedens, cuius incolas Stabo vocat Aſios, Xenophon Aſeos: ſita apud Ptolemæum in longitudine grad. 58. 35. min & latitudine 38. 30. in campo qui dicebatur Aſius, ad Tmolum montem arduum & celebrem ob vineta, fontéſque Pactoli, qui arenas aureas voluit, & coticulas ſeu lapides habet auro explorando opportunos, qui Tmolij & Lydij ſunt dicti, quod hic ſint primum reperti. Huius vrbis incertum fuerit ne fundator, an ciuis, Manei Lydi filius, dictus Aſius, cytharæ, quæ tres chordas

Aſia vrbs.

Strabo l.13 Xenophon hiſt. Græca l.6. p 603 Vide & 3. Suidã & Herodotũ l.4. c.45. & Euſt. in Dion.

Tmolus mons.

Auro explorando opportuni lapides.

Cytharæ inuentor.

A

Digitized by Google

habet, inuentor. Certum, quod cùm magno terræ motu, pars vrbis conquaſſata corruiſſet, aliis locis labes facta fuiſſet, terræque deſcendiſſent, Tberij Cæſaris beneficio refectam, propter virtutem ſoli, quod ſuum dederat nomen circum poſitæ regioni, quæ Aſia dicebatur, eius licet non fuerit Metropolis, ſed Epheſus clariſſima vrbs ſita in longit. 57. 20. m. & latit. 37. 40. m.

Aſia prouincia.

Aſia peninſula.

2. Hoc iterum idem nomen communicatum poſtea maximæ illi peninſulæ, quæ paſſim in codice Iuſtiniani, & in Conciliis ſimpliciter Aſia dicitur, & ab ea triumphata L. Scipio dictus eſt Aſiaticus, cuius limites fuerunt Pontus Euxinus ab oſtio Halys fl. ſeu ab Amiſeno ſinu, Boſporus Thraciæ: mare Ægeum & Cyprium ad ſinum Iſſicum ducta Linea ſeu Iſthmo ducentorum nec amplius mille paſſuum, vt diſertè habent Strabo l. 11. & Plinius l. 6. c. 2. vnde arguas Ptolemæum, qui hunc Iſthmum ſeu lineam nimiùm extendit.

Vide notitiam Imperij & commentaria Panciroli.

Aſia magna.

Denique ab hac peninſula denominata eſt Aſia, magna illa terræ pars, quam aliqui ſcriptores dixerunt Semiam à Semo Noemi filio, cui in tripartito orbis diuortio, obuenit iure hæreditario. Eius fines mirum quàm varij apud autores, quòd Scythæ, Aſiatica gens, in Europam, vſque ad Iſtri oſtia excurrerint, & etiam nunc ad Boryſthenem omnia obtineant: & ſimiliter Sarmatæ gens Europea fines ſuos ad fluuium Volgam extendant. Deinde quia apud autores, qui Tanaim volunt Aſiæ & Europæ limitem, incertum eſt de quo Tanai intelligant: an de eo, qui in Paludem Mœotidem influit: aut de Iaxarte, quem Græci omnes vocant Tanaim. Certe ſi Tanais Mæoticus fuit limes, inter agros Semo & Iapheto attributos, non videbitur æqua partitio. Vt vt ſit, erunt nobis hi fines Aſiæ, à Septemtrione quidem Oceanus Scythicus, ob oſtio fluminis Oby: ab Oriente Eous, à Meridie Indicus, ab Occidente ſinus Arabicus, qui inter Africam & Aſiam immiſſus eſt: Mediterraneum mare à Monte Caſſio & Iſtmo Ægypti, ad Boſporum Thraciæ, & hinc Pontus Euxinus, Montes Caucaſij ad oſtium fluminis Volgæ in mare Caſpium influentis, & montes Riphæi, qui ad oſtia Oby fluminis deſinunt.

Ioſephus. Hieronym Tornell.

Huius quare incerti termini.

Tanais duplex.

Laus Aſiæ præcipua.

3. Hæc autem ſi fuit præcipua laus Aſiæ, quod ex ea primus hominum, diuina manu procreatus eſt, quodque ſuo in ſinu naſcentem Chriſtum exceperit, certe hæc etiam fuit Perfidia, longe maxima, quod eundem affixerit cruci.

Porro Aſiæ regionum pleræque, longe alio atque Africa terra,

terra, Europæaque, ſunt ſitu ac feracitate, plurimis ac nobiliſſimis fluminibus irrigatæ, ſole, cæteriſque ſyderibus ipſis mire fauentibus: & vero pro ſe ſua quæque natura, varias, fruges, metalla, vniones, odoramenta, plantas, lapillos, & medicamenta, prope ad certamen effundunt, eſtque veriſſimum, quod ſicut Aſia minor à Romanis deuicta anno vrbis conditæ 565. luxum immiſit in Italiam, ita ex quo Luſitanorum claſſibus iter patuit in Aſiam, totius Europæ tanto grauiùs afflicti ſunt mores, quanto maior Aſia, minorem ſuâ amplitudine & diuitiis ſuperat. Aſiæ deliciæ orbem corruperūt.

CAPVT II.

Magnæ Aſiæ diuiſio.

ASiam variè veteres: in quinque partes Coſmographi diuidunt: vnam Moſcouiæ Dux, alteram Tartari tenent: ſub Turcis eſt tertia; quarta ſub Perſis; poſtrema Indias complectitur. Cum autem magnam Aſiam perpetuo iugo, Taurus mons, mediam ferè cinguli in modum diuidat, ab occaſu in ortùm extenſus: commoda videtur hæc eius diuiſio, à Strabone nobis tradita: ſcilicet in Aſiam intra Taurum, in Tauro, & extra Taurum. Aſiam intra Taurum dixit eam, quæ inter hunc montem & pelagus Scythicum ſeu hyperboreum continetur, à gradu 36. latitudinis Borealis, quam populi antiquitus dicti Scythæ obtinebant, nunc Tartari: Aſiam in Tauro, quæ eas complectitur partes, quæ in ipſis ſunt montibus aut totæ, aut maiore ſui parte. Aſiam denique extra Taurum quæ à 35. parallelo boreo ad Æquatorem excurrit, vel ad 10. parallelum Auſtralem, ſi Aſiæ addideris inſulas ipſi proximas. Rurſus cùm Scythiam intra Taurum mons Imaus, à Tauro ad hyperboreum mare porrectus, ſecundum meridianum prope 140. diuidat in duas partes pene æquas, vnam quæ ortum ſpectat, quam Ptolemæus vocat Scythiam extra Imaum, & alteram quæ aſpicit occaſum, quam idem dixit Scythiam intra Imaum, ab occidentali ducemus initium, vt quæ pars alius tomi, imo & Europæ terminus nobis eſt, eadem ſit & Aſiæ & voluminis huius initium, ſed prius de ipſo Tauro dicamus aliquid.

Strabo l. 11. p. 490. & 251.

Aſia intra Taurum.

Aſia in Tauro.

Aſia extra Taurum.

Aſia extra Imaum.

Aſia intra Imaum.

Digitized by Google

CAPVT III.

Mons Taurus Hebræis Ararath.

Taurũ omnia robuſta vocarunt antiqui.
Taurus mõs incipit ad Rhodum.
Definit in promontorio Tomos.
Longitudo montis Tauri.

1. TAurum, inquit Euſtathius, veteres omnia grandia & robuſta vocauere. Hinc nomen inditum monti Aſiæ, & totius orbis maximo qui è ſacro promontorio, è regione Chelidoniorum ſcopulorum in long. 61. 35. m. latit. 36. in mari Pamphilio, vt vult Ptolemæus, vel à continente, Rhodo oppoſita, vt habet Strabo, & Dionyſius, ſurgens, & perpetua altiſſimorum montium ſerie, inſtar Tauri, elato capite procedens, ad extrema Scythiæ deſinit, in promontorio Tamos in mari Serico, Seu Sinarum in longitudine vt minimum 100. graduum, & latit. 40. ex quibus, vt conſtet, quantum producatur in longum, accipio parallelum 38. qui medius eſt inter 36. vbi incipit & 40 vbi deſinit, cuius vni gradui, cum ex legibus Coſmographiæ debeantur minuta 47. 16. hoc eſt leucæ gallicæ 16, qualium gradus vnus, maioris circuli obtinet minuta 60, ſeu leucas gallicas 20. ex tradita vero longitudine initij eius 61. 35 & finis 180, differentia longitudinis ſit gradum 118 cum medio, vt longitudinem illius obtineam in leucis gallicis, quarum ſingulis ter mille paſſus geometricos aſſigno, centum octoginta multiplico per 16. & leucas reperio gallicas, omnino mille octingentas octuaginta octo, quæ vera erit Tauri montis longitudo ſecundum Ptolemæum; quæ non multum diſcrepant ab ea, quam eidem monti tribuit Strabo, videlicet 45. millium ſtadiorum, quæ æquant leucas gallicas 1875, tribuendo 24. ſtadia cuique leucæ gallicæ. Cum autem recta, & breuiſſimâ lineâ non feratur Taurus ab occaſu in ortum, ſed ſinuoſa & plurimum inflexa, haud multum à vero aberrabit, qui ter mille leucas ipſi aſſignabit.

Tab. 1. Aſia. — Strabo l. 11. & 14. pag 666. — Mela l. 3.

Latitudo.
Caucaſi Indici altitudo.

Latus eſt Taurus ſæpe tria ſtadiorum millia, quæ leucis æquiualent 125. certe cùm dicat Curtius ab Alexandro tranſmiſſum eſſe diebus 17, debuiſſet eius exercitus quotidie leucas plures quam ſeptem decurrere; quod ſane ſpatium, maximè cum eſſet aſperum & difficile, armati & iam laſſi exercitus vires excedit. Vnde fit probabile latum minus 125. leucis iter, quâ copias traduxit. Horum omnium montium, alter altero excelſior eſt, præcipua rupes Caucaſus decem in circuitu ſtadia complectitur, & in altitudinem quatuor excedit.

Strabo. — Curtius l. 7. c. 5. — Curtius l. 7. c. 5.

Digitized by Google

Solinus. 2. Progentium & linguarum varietate plurifariam vocatur quippe in Cilicia Taurus, in Syria Amanus, in Armenia Niphates, in Media Choatras, in Perſia Parchoatras, in Hyrcania Coronus, in Bactriana Paropaniſſus, in Scythia extra Imaum, Emodus, & Sericus. Pars vero quæ cæteras ſupereminet, ſita in longitudine 125. & latit. 36. vocatur à Scythis Comedis, & Sacis, qui eam incolunt, Graucaſus ſiue Craucaſus, hoc eſt niue Candicans & à Græcis Caucaſus, nempe Macedones vt Alexandro blandirentur, cumque cum Hercule conferrent, quæcumque de Prometheo, Titanibus, & Hercule dicta fuerant, deque Septemtrionali Caucaſo Pontico, facta hic fuiſſe mentiti ſunt Alexandro. Critici autem emunctæ naris, ne in eundem errorem impingerent cum Curtio, hunc montem appellarunt Indicum Caucaſum, quod immineat Indiæ, & in eo ſit fons Indi fluuij. Alterum vero qui verus eſt, Caucaſum Ponticum, quod inter Pontum Euxinum, & mare Caſpium medius aut proximus vtrique quaſi impendeat. In illius tranſitu maxime periclitatus eſt Alexander. Quæ pars Tauri meridiem videt, ſole inæſtuat: quæ Septentrionem, vento tunditur & pruina, quod ſyluestre eſt, efferatur pluribus beſtiis, leonibus immaniſſimis, & ceruis innumeris, qui, cum eos Venus incitat, plurimum ſæuiunt, rabie libidinis efferati. Patuit, nunquam eos febreſcere: & plurimos matutinis diebus, ceruinam carnem deguſtare ſolitos, ſine febribus longæuos fuiſſe. Magnus Alexander ad dignoſcendam viuacitatem, torques plurimis innexuit, qui poſt annum centeſimum capti, nec dum ſenij indicium præferebant. De montibus, qui à Caucaſo tam verſus Boream, quam Auſtrum excurrunt, quos autores vocant Caucaſi ramenta & cubitos, ſuis dicemus locis.

Vide Goropium in Inde Scythicis.

Caucaſus duplex Ponticus & Indicus.

Solinus cap. 51.

Cerui innumeri in Tauro.

Cerui nunquam febreſcunt.

Æuitas ceruorum.

CAPVT IV.

Tauri Portæ.

1. VBi Taurus fatiſcit Hiulcis iugis, facit Pylas, hoc eſt Portas & viarum clauſtra. Prima eſt ea qua tranſitur è Lyciâ in Pamphiliam. Apud Phaſolidem in longitudine 61. 10. latit. 36. 20. ſunt ad mare anguſtiæ, inquit Strabo, per quas exercitum traduxit Alexander. Eſt enim ibi mons Climax Pamphilio incumbens mari, & propter littus, arctum relinquens tranſitum: qui tranquillo mari nudatur, & à viatoribus perambulari poteſt, mari autem exundante,

Strabo lib. 14. p. 666.

Porta Lyciæ in Pamphiliam.

Æſtus maris in Mediterraneo.

Digitized by Google

fluctibus admodum obtegitur. Alexander, antequam defluerent vndæ, coëgit vt totum diem milites per aquam iter facerent, vſque ad vmbilicum, in eam demerſi. Secunda

Porta Pamphiliæ in Myliadem.

fuit in eâ parte Pamphiliæ qua tranſitur in Myliadem per Termeſſum vrbem ſitam in longit. 62. 10. latit. 37. 15. quam Alexander etiam diruit, vt fauces iſtas aperiret. Tertia dici-

Porta Ciliciæ.

Strabo lib. 14. p. 666.

tur Ciliciæ, quod è Cappadociâ, Galaciâ, Lydia, Phrygiâque tendentibus in Ciliciam, ſit tranſmittendum per eam, non longè enim ab vrbe Tyana ſitâ in longit. 66. latit. 38. 56. ſunt fauces anguſtæ in 20. porrectæ ſtadia, quas vaſti & prærupti hinc atque hinc montes cingunt, ex quibus murus eſt à Semiramide, ad viam vſque perductus mediam, vel potius ſemitam, plauſtro tantum peruiam, præcipitem admodum, & exercitui non penetrabilem, ſi quis arceat. in ijs autem conſtructa eſt porta, per quam ſuos exercitus traduxerunt Cyrus & Alexander, cùm non eſſet, qui eos coërceret.

Strabo lib. 12 p. 537. Diod. Sicul. l. 14. Curtius. Xenophon l. 1 de exped. Cyri.

Porta Syriæ ſeu Amanica.

2. Tertia ſunt quæ quod iter aperiunt, è Cilicia in Syriam & Armeniam, vulgò Pilæ ſeu portæ Syriæ appellantur; pauci Armenicas dicunt. Strabo & Curtius Amanicas, quod in ea ſint parte montis Tauri, quam mons Amanus excurrens, ad flexum maris Mediterranei, & ſinum Iſſicum conſtituit. Continetur autem rupibus vndique ſic præruptis, vt parua admodum manu poſſit deffendi ab omni vi, quod duo proximi, inter ſe montes per tria ſtadia ſic producuntur vt breue relinquant ſpatium, per quod crebri oberrant riui, deſinitque ad fauces anguſtas, quæ capiunt quatuor armatos, nec plures, in longit. 60. 40. & latit. 36. 15.

Diod. Sic. l. 14. p. 399 Strabo lib. 14 p. 676. Curtius l. 3. c. 14. Ptol. l. 5. Geog.

Porta Mediæ ſeu Zagri.

Sunt & in monte Zagrio, Tauri ramo, in long. 84. 3. latit. 37. 0. Pylæ, quibus tranſitur ab Aſſyria in Mediam quas, Strabo vocat portam Mediam, Ptolemæus Zagri Portam.

Strabo lib. 11. p. 522. Ptol tab. Aſiæ 5.

Porta Caſpia.

3. Ponitur etiam ab omnibus autoribus, Porta Caſpia in longit. 94. latit. 37. quam ſic deſcribit Solinus. Panditur itinere manu facto, inter Medos & Parthos, longo ſeptem millibus paſſuum, plauſtro vix permeabilis, in quo illud etiam inter alia difficile, quod dextra læuáque ambuſtis ſimiles

Solin c. 60 Plin. l. 6. c. 14. Strabo lib. 11. p. 522. Ptol. l. 6.

Venæ ſalis.

impendent ſcopuli, qui liquentibus inter ſe venis, ſalis exundant humorem affluentiſſimum, qui mox vi caloris conſtrictus, velut in glaciem coit. Præterea octo & viginti millibus paſſuum, tractus omnis, quoquo inde porrigitur, nullis puteis vel fontibus, humus Arida, ſine præſidio ſitit, & ſerpentes vndique conuenæ, ab Æquinoctio verno illuc confluant; quæ omnia efficiunt vt hyeme tantum pateat, Babyloniis & Parthis ad mare Caſpium pergentibus. Hinc eam

Aſiaticæ

Digitized by Google

Aſiaticæ terræ clauem vocat Dionyſius, & cum eo Euſtathius eſt. Et alia in Iberorum montibus quam Alexander Macedo dicitur ædificaſſe, quam Procopius lib. 1. de bello Perſico vocat Caſpiam, ſed de ea ſuo loco. De Portis Caucaſiis, nec non de ijs, quæ ſunt in monte Imao, quibus ad Seras pergitur, dicemus ſuis locis. De Caucaſiis quidem huius libri capitibus 12. & 13. de Maſſageticis capite 18.

CAPVT V.

Aſia extra Taurum.

CVm Aſiam extra Taurum pene omnem, iam ab omni æuo obtinuerint Scythæ, vt eo quem omni in tomo nobis proponimus, procedamus ordine, qui progreditur, ſecundum perennes fluminum lapſus, porrectáque montium iuga, & maris litora, quo firmius res ſingulæ inhæreant memoriæ, de Caſpio primùm eſt nobis agendum, deinde de eius litoribus, deque fluminibus quæ in illud influunt & quæ incolunt Scythæ differendum, atque tranſmiſſa porta Caucaſia ſeu ferrea omnis Scythia nobis conuenienti ordine explicanda.

CAPVT VI.

Mare Caſpium.

Strabo lib. 11. p. 517. Plin. l. 6. cap. 15.

1. CAſpia gens immanis & impia, ſeptuagenarios Parentes concluſos, fame enecans, incolebat huius maris littora ab Araxe fluuio, ad portam, qua tranſitur à Media in Parthiam; inde nomen & mari & montibus proximis & ipſi Pylæ. Multa mendacia de hoc mari à Macedonibus ſparſa, optimè notat Strabo. Et vero Alexandri Magni æuo nondum perluſtrata omnia eius littora, dixit Arianus. Hinc eſt quod aliqui exiſtimabant, longo freto quaſi fluuio in hunc ſinum, refundi Oceanum Scythicum; alij coniungi cum Oceano Indico per Iaxartum fluuium, quem & Tanaim appellabant. Nonnulli cum Euxino per Paludem Mæotidem. Certum manifeſto exitu carere, ſed occultis, vt credi par eſt, haurientis naturæ ſpecubus, & cæcis vadis abſorberi, quod vtique neceſſarium, quum tot influentium amnium perpetuo decurſu non exundet, Toto ambitu in ouatam ſpeciem, terris, velut laçus, vndique clauſum eſt, vnde & Arabes

Strobo l. 11 Arianus lib. 7. Mela l. 3. Plin. l. 6. cap 9. Solin. c. 27 Curtius l. 6. c. 7. Ionius l. 14. Vide Hydrographiam Fourn. l. 9. c. 6.

Maris Caſpij accurata deſcriptio.

Digitized by Google

illud appellant Bohar Corſum, hoc eſt mare clauſum.

Longitudo eius ſumma eſt nauigationis dierum 15. ſeu parasangarum 300. latitudo dierum 8. inter parallelos 41. & 49. Ioannes Perſa 800. millia paſſuum in longum, & 600. in latum, ipſi tribunit. Aiunt partem eius quaſi mediam vix altam 4. orgiis, aquas habere limpidas & albicantes; reliquum eſſe altiſſimum & pice nigrius. Æſtibus reciprocis concitari dixerunt, Strabo, Curtius, Euſtathius: Atrox, ſæuum, & belluis refertum Mela. *Herodot. lib. 1. Texeira l. 1. c. 21. Strabo l. 11 p. 501. Mela l. 3. Dionyſ. & cum eo Euſtat.*

Æſtus in mari Caſpio.

2. Dionyſius infeſtum ait empusâ, hoc eſt Lamia, ſeu muliebri ſpectro Venereo, quod licet in mille formas mutaretur, vnico tamen pede aſini ſemper incedebat. Vocabant Hecatem, cum noctu apparebat, cum vero in meridie Dæmonium Meridianum. Piſces in eo Salmones, accipenſetes, Catuli canino prorſus capite, caudâ & pedibus. Et præterea quidam alius pedum 4. teres, totus abſque capitis expreſſâ figura, qui totus in adipem ſeu oleum ſoluitur, vt teſtantur M. Polus, & Scaliger exerc. 51. Aquam illius, dulcem hauſtu, Alexandro Magno, Pompeio, & Varroni probatam ſcribit Solinus: negat Iouius, negat Ioannes Perſa. Certe dulciorem cæteris propter ingentes, qui in illud euoluuntur, Fluuios, facile conceſſerim. Multa ipſi nomina ab vrbibus circumpoſitis tribuerunt recentiores. *Delrio l. 2. q. 27. ſ. 1. Solin. c. 30 Iouius l. 14*

Talca inſula ſine cultu ferax.

Plures in eo inſulæ, inter quas antiqui vnam celebrant in long. 95. lat. 42. Talcam, ſine cultu fertilem, omni fruge ac fructibus abundantem, ſed vicini populi, quæ gignuntur attingere, nefas & pro ſacrilegio habent, diis parata exiſtimantes, diiſque ſeruanda. Multi in hoc mare magni paruique amnes fluunt, ſingulos qui famam habent deſcribemus. Toto hoc mari nullus circumpoſitorum principum, claſſe adhuc nauigabat, tempore Iouij, quod eæ gentes rei naualis imperitæ & rudes, lintribus tantum onerariis oram lambentes vterentur, nec alto ſe committere ſtuderent, quod pixidis nauticæ, chartarum, ventorum, anchoratum, & velorum vſum nec dum percallerent. Celebres ad Mediæ littora ſunt, portus Bachus, vnde & mari hodie nomen, Derbenthum, & Citracan. *Strabo l. 11 Mela l. 3. Ptol. Paul. Iou. lib. 14.*

CAPVT

CAPVT VII.

Scythiæ Diuiſio.

Diod. Sic. l. 1. c. 11. 1. MIſſis fabulis quas de Scytharum origine refert Diodorus: exiſtimo minus repugnanter vero ratiocinari eos qui dicunt, Abrahamo (cuius omnis vitæ ratio, tam in re paſtoritia, quam in bellica laude fuit) tanquam generis ſui autore, gloriari Paſtores Scythas. **Scytharum origo.** Fuerunt ſemper & à commerciis aliarum nationum alieni, & ſemper inexpugnabiles habiti, quod & nunquam non ſint in armis expediti, & nihil habeant, cuius cauſa bellum ſuſtineant, ab exteris illatum, vel ipſi inferant, cum inter eos omnia ſint communia, demptis gladio & poculo. Scytharum alij ſunt in Europâ alij in Aſiâ; **Eorum alij in Europa, alij in Aſia.** Europæi dicuntur Scythæ Sarmatæ, quod Scythæ Aſiatica gens in Europam vſque ad Iſtri oſtia olim excurrerint, hodieque ad Boryſthenem omnia poſſideant: Et ſimiliter Sarmatæ gens Europæa fines ſuos ad fluuium Volgam & montes Riphæos extendant. Vtraque autem gens ſimul mixta, in eos coaluit populos, quos olim Scytho-Sarmatas dixerunt antiqui, nunc minores Tartaros appellamus. **Scytho Sarmatæ.** De iis pauca dicemus, quòd præcedenti tomo eas regiones perluſtrauerimus. Scythas qui ſunt in Aſiâ bifariam diuidit Ptolemæus, in eos ſcilicet qui ſunt extra Imaum montem, verſus Occidentem, & montes Riphæos, & eos qui ſunt intra Imaum & mare cum Hyperboreum, tum Orientale.

CAPVT VIII.

Scytharum Mores.

1. SCythæ, inquit Euſtathius in Dionyſium; dicuntur vel παρὰ τὰ σκύτη, id eſt à pellibus quibus induuntur, vel παρὰ τὸ σκύζεσθαι, id eſt ab iraſcẽdo, iracundi enim ſunt. Eorum vitæ ratio communis omnibus dura, ſed libera, & otio diffluens. Vix ſunt vlli qui ſementem faciant, veſcuntur radicibus, ſylueſtribus fructibus, carnibus, melle, piſcibus; fero quippe & eſurienti ſtomacho, nullus eſt ingratus cibus. **Cibus.**
Herodot. lib. 1. Lac potitant, equinum ſanguinem, & ſuccum ex fructibus expreſſum, & licet vino careant, id tamen felix & pulchrum arbitrantur, ſi vinum per veſtes effuderint. **Potus.** *Plato l. 11. de legibus.* Cum pleriſque

in locis lignorum inopia tellus laboret, ſunt algoris patientiſſimi. Decidente olim niuis copia, quidam Rex nudum Scytham conſpicatus, petiit num frigeret, ſubiunxit Scytha, poſſetne frigere frons, annuenti non poſſe, Quare ergo dixit Scytha, frigus non tolerem cum totus ſim aliud nihil præter frontem? Pro locorum diuerſitate amiciunt ſe arborum libris, ferarum & vitulorum marinorum pellibus, & pecori parcunt lactis causâ: alij vtuntur laneis veſtibus, quas pigmentis variant, quorum vigor non facilè euaneſcit. Corpora habent prædura & firma. Mulieres adeo partus dolore non mouentur, vt viris, loco illarum decumbentibus miniſtrent, & famulentur. Aurea pluribus ſunt equorum frena, humeralia, & cingula, licet enim argentum apud eos non naſcatur, neque ferri multum,, æris tamen & auri abunde eſt, abſque diuitiarum cupidine, quod earum nullus ſit vſus. Nullum ſcelus apud eos grauius furto. Vita ad contractus pura, & fraudis neſcia, præterquam in coniugiis: licet enim vxorem ducant vnicam, alienis tamen vtuntur, neque id occultè. Perpauci vrbes condiderunt, ij videlicet qui ad influentes fluuios in mare Caſpium, vel ad eius littus conſederunt, ſed fuſi per agros, carris, corio, luto, Limoue imbrium cauſa tectis, cum vxore & liberis quocumque ſors tulit, pro tecto & lare vtuntur.

Ælianus lib. 7. de barb. hiſt. — Veſtes. — *Strabo l. 11* — Partus. Puerperæ viris miniſtrant decũbentibus. — *Cælius lib. 18. c. 22.* — *Strabo.* — Carri.

2. Comitas gentis, ingeniis culta non legibus noſtris: hinc Macropogones, id eſt Longibarbi aliqui: Pharmacotrophi alij, quod venenum eos nutriat: Phtirophagi, qui amicorum pediculos vorare decorum ſibi ducunt.

Pediculos amicorum vocare decorum apud Scythas. — *Mela l. 1.*

Monet Plinius quoſdam eorum, equos habere tolerantiſſimos laborum, quos, cum arcturi ſunt iter, inedia pridie præparant, exiguum tantum potum impertientes, atque ita per centena millia & quinquaginta continuo curſu, euntibus inſidere. Sunt autem aliqui ſic amantes dominorum, vt regem Scytharum cum ſingulari certamine interemptum aduerſarius victor ſpoliare vellet, ab equo eius calcibus morſuque laniatus ſit.

Inedia ad iter longum equos præparant Scythæ. — *Plin. l. 8.* — *Solinus c. 57.*

Eſt præterea apud Scythas, quadrupes fera quam Colon appellant, quæ licet ſit eximiæ leuitatis ad curſum, capitur tamen ad pulſum tympanorum, dum ſaltando, grato tandem labore obruitur. Gregatim degunt interdum quingenta, caput in acutum porrigunt vt porci, duo habent cornua quatuor palmorum vtcumque pellucida, quibus & equos perfodiunt, & ea quæ ſibi inimica arbitrantur. Carnes habent gratiſſimi ſaporis. Sunt autem tam immenſæ libidinis

Colon animal. — *Aldrouandus.*

vt

vt exhauſtæ per horas 24. humi iaceant, quaſi ſemimortuæ vix autem poſſunt cicurari.

Scythæ omnes videntur nati ad bella, horũ aliqui Riphæis montibus proximi Ariſmapi ſunt dicti, ſeu monoculi quod cum peritiſſimi eſſent iaculandi, alterúmque propterea clauderent oculum vt dextrè iaculari poſſent, propter frequentem ab ineunte ætate exercitationem, breui temporis ſpacio non modo oculorum alter contractus eſt, ſed præterea eorum filij omnes monoculi ſunt nati, vt ex Dionyſio, Æſchilo & Herodoto probat Euſtathius. Plerique autem omnes thoracibus æneis, ſagaribus, & arcubus horribiles per Acinacem iurare ſoliti, ab alieno imperio aut intacti aut inuicti in hanc diem. Aſiam ter ſubegerunt. Cyrum cum omni exercitu trucidarunt, anno ante Chriſtum natum 529. Darium Perſarum regem, turpi à Scythia, ſubmouerunt fugâ anno ante Chriſtum 508. cum prius ad eum miſiſſent Caduceatorem cum aue, mure rana, & ſagittis 5. tacitis ambagibus nullas opes cõtra Scythas præualere ſignificantes. Alexandri magni ducem Attinam cum copiis vniuerſis deleuerunt anno ante Chriſtum 326. Romanorum prouinciis graues, anno ante Chriſtum 52. Craſſum obtruncarunt, & aurum liquidum, in rictum oris eius infuderunt, vt cuius animus arſerat auri cupiditate, eius etiam mortuum corpus auro vreretur, Romanas legiones ſub iugum miſerunt. Europam pene vniuerſam circa annum Chriſti 1225. depopulati ſunt. In Taurica Cherſoneſo turres è capitibus cæſorum extruxerunt. Parthorum & Bactrianorum gentem & regnum condiderunt. Turcorum imperatorem captiuum in caueâ circumtulerunt, Indorum interemerunt, & ipſam Chinam maximum orbis Imperium his vltimis annis pene occupauerunt.

Dionyſius. Curtius.

Herod. l. 1. Iuſtinus l. 1 Herodian. lib. 4.

Herod. l. 1. Curtius.

Iuſt. lib. 1. Florus l. 3. cap. 11.

Scythæ iurant per acinacem.

Scytharum victoriæ de maximis Imperatoribus.

Turres è capitibus cæſorum excitatæ.

Mortis genus optimum cenſuerunt olim, quando vel cadebant in bello, vel immolabantur à propinquis, & in fruſta conciſi cum carnibus ouilibus deuorabantur. Qui morbo decederent eos abiiciebant tanquam dignos qui & feris & vermibus eſſent in cibum.

Mortis genus pulcherrimum apud Scythas.

CAPVT IX.

Quare populi Septentrionales, domini terrarum vt plurimum fuerunt.

1. SEd vnde potuerunt tanta audere, tanta facere, huiuſmodi monſtra hominum? eos appella Scythas, Barbaros, Tartaros vel quo tibi alio placuerit nomine, hi tamen ſemper fuerunt orbis domitores; Nempe diuina prouidentia deſtinauit imperiis, Boreales populos, non quod verſent vrſæ regna vt plerique ſapientes dixere, non quòd Cæleſtium vrſarum moueantur influxu, ſed quod ea mente qua deus in Inferis, diſponit Dæmones ad improborum tormenta, ſic diſpenſat etiam in terris feros homines, quibus vel ſuorum virtutem exerceat, vel puniat malitiam; vindicandæ ſunt identidem orbis proſtituti deliciæ, ſane irato deo aptius telum non occurrit, quo Aſianorum imo & Europæorum elatas ceruices & immanem arrogantiam contundat, quam aggreſtis victor quem cœli rigor & inclementia ſoli, rebus aſperis aſſuefecit ad labores militiæ, paratos omnia audere & pati. Fecit etiam hoc iuſtitia gentis non ambitioſis culta legibus, ſed luxus & cupiditatis expers.

CAPVT X.

Scytharum Religio.

1. TEmplum olim apud eos nullum, ſed gladius barbarico ritu nudus, Martem referens, adorabatur: & præter gladium, vnicus ſol, cui & equum immolabant, deorum perniciſſimo, animal perniciſſimum. Poſt Chriſti aſcenſum Philippum Apoſtolum apud eos per viginti annos diuinæ legis interpretem ac nuncium egiſſe, Abdias, Vincentius, Bergomenſis, nec non Petrus de Natalibus prodiderunt, hic etiam enituiſſe ſanctorum Andreæ & Thomæ præſtantiſſimorum Apoſtolorum operam, alij referunt. In quo elucet immenſa & infinita Dei potentia, qui non ferro ſed Spiritus ſui ſancti virtute populos cautibus duriores, & feris immaniores, manſuefecit & excoluit. Mirantur præterea Sozomenus, Euſebius, & Nicephorus, gentes à ſe inuicem pariter atque ab aliis nationibus odio, inimicitiiſque acerbiſſimis diſtractas, tam arcto concordiæ vinculo colligatas

Gladius pro Marte adoratus.

Equus quare ſoli immolatus.

S. Philippus Scytharum Apoſtolus.

Ammian. Marcell.

Herodot. l. 4. & 5.

gatas vt quæ ante nullis viribus, nulla potentiâ cogi potuerant, vt vel potentiſſimis ducibus, Cyro, Dario, Alexandro & Romanis parerent, hæ vnico Epiſcopo, cuius ſedes erat apud Tomos vrbem Ponto Euxino proximam, nullis humanis viribus freto, vltro ac libentiſſimis animis ſe ſe ſubiecerint, verbique diuini habenis eidem ſe regendos permiſerint, cum apud alios populos non ſolum in vrbibus verum etiam in pluribus vicis Epiſcopi fuerint neceſſarij.

Apud Scythas vnicus Epiſcopus cuius ſedes apud Tomos.

Sozom. l. 7. c. 19. Euſeb. l. 3. de vita Conſtantini. Niceph. l. 12. c. 34. Theodoret. Eccl. hiſt. l. 5. c. 30. & 31. Sozom. l. 5. c. 21. Nicephor. Vide Raynaldum Taruiſinum in tomo 13. Baron. ad ann. 1253

Cum poſtea in Arianam hæreſim incidiſſent D. Chryſoſtomus eos ab hac contagione liberauit, multos Conſtantinopoli reuocans ad ſanioris doctrinæ puritatem, remotioribus vero prouidens, ſubſtitutis aliquot Preſbyteris, Diaconibus, & lectoribus Scythicæ linguæ peritis, & laborum Apoſtolicorum imitatoribus, qui in partes Scythiæ interiores ſe contulerunt.

Scythæ Ariani.

Denuo circa annum 1252. ſummus ſacrorum antiſtes ſancti Ludouici precibus adductus, ad eos miſit Diuinorum Myſteriorum præcones, qui Sattach, Scytharum Tartarorum regem ad Chriſtianas leges & Romanam fidem traduxerunt. Plura in eam rem vide inferius cap. 21. huius libri.

Tartarorũ Rex ad fid conuerſus.

CAPVT XI.

Quando & quomodo qui olim Scythæ, dicti ſunt poſtea Tartari, & ampliſſimum Tartariæ imperium conſtituerunt.

1. PLerique omnes ſcriptores, initia imperij Tartarorum referunt ad annum aræ Chriſtianæ 1202. quo Scythæ, Plinio dicti Tochari, Straboni Tachari, aliis Molgi, poſt debellatam pene totam Aſiam, Tartari voluerunt dici, quod qui primi fœdus inter ſe ad tam grande facinus inierunt, incolerent ripas Tartari fluuij ampliſſimi, qui in mare Scythicum euoluitur, in longit. pene 155. & latitudine 67. in eam diem fuerant habiti, pro gente vili, gregibus intentâ paſcendis, quæ vectigal pendebat quibuſuis, maximéque Ionano Preſbytero, & Indorum regibus: imbecillis autem humeris grauiori impoſito tributo, poſt oblatam diuinitus ſpeciem, excuſſo iugo, Changium Chanem, ex fabro ferrario vetulóque Dominum ſibi præfecerunt, initióque per prouincias vicinas agentes prædas, poſtea vlterius progreſſi, latè per orbem circumtulerunt vaſtitâtem. Nam poſt deuictum & interfectum Ionanum Preſbyterum (de quo dicemus ſuo loco) & Indorum reges aliquot, Aſiam pene om-

Tartarorum initia & progreſſus.

Ex Haytone Armeno c. 16.

Leunclauius in pandect. Turc.

Victoriæ omnibus retro ſæculis inauditæ.

Digitized by Google

nem diuiſis copiis, fera natio mirâ felicitate peruagata bello, inde verſus occidentem progreſſa eſt, & anno 1212. deuictis Ruthenis & vaſtatis triginta regnis, ad fluuium Tanaim, Mæotidem Paludem & Tauricam Cherſoneſum eorum aliqui ſedem fixerunt.

Cromerus de rebus Pol. l. 7.

2. Poſt annos 8. Georgiam vaſtarunt, maiorem Armeniam ſibi ſubiecerunt, deuicta intra dies 12. illius vrbe ampliſſima Am, in qua mille Eccleſiæ ac centies mille numerabantur domus; rurſus in occidentem mouentes Tranſiluaniam & Poloniam populati ſunt anno Chriſti 1241. Bathone duce, quo amiſſo, fame compulſi poſt triennium ſe receperunt. Pars alia Coraſmios Parthos ſuis ſedibus pepulit, Perſidem inuaſit, ac Turcos eorúmque Sultanum Iconij regnantem, in fugam coniecit, exciſóque eorum regno, tributarios ſibi fecit anno Chriſti 1243. Quæ clades & detrimenta Romam nunciata, Innocentium 4. Summum Pontificem tenuere ſollicitum. Is Ioannem Planocarpinum, ſocium olim ſancti Franciſci, miſit legatum ad Cuyach Tartarum Caam, ſeu Imperatorem, vt eum auocaret, à graſſationibus in Chriſtianos, & pacem iniret cum eis. Terræ ſitum, qualitatem, mores, & gentis conſuetudines, bella & modum præliandi; vide apud Vincentium Bellouacenſem, in ſpeculo hiſtoriali lib. 32. & Antoninum, tit. 19. c. 5. & 8.

Am, vrbs Armeniæ in qua mille Eccleſiæ.

Vincent. c. 95. & Antonin.

3. Quanta vero ſit Tartariæ amplitudo, collige ex Ionuillæo in vita S. Ludouici, dum ait oratores, quos miſit ſanctiſſimus Rex ad Tartarorum Imperatorem, ad Antiochiæ portum applicuiſſe, & continuis itineribus, quamuis diebus ſingulis conficerent paſſus triginta mille, integrum annum poſuiſſe, pluribuſque in locis, ingentes oſſium humanorum aceruos, deletarum à Tartaris gentium triſtes reliquias conſpexiſſe.

Oſſium humanorum ingentes acerui.

Tartaros à ſe viſos ſic deſcribit commentator Melæ l. 3. profundis ac trucibus ſunt oculis, ac fere cæſiis, turbinato cranio, ac circum tempora capite preſſo. Infantibus etiam ſuus horror ineſt: conſurgit in arctum maſſa rotunda caput. Vulgare apud eos medio in curſu, ex equo in equum inſultare, idque ſine mora & ſine caſus metu. Vix credas, fides tamen certa, ſi captiuo alicui Tartaro, equum vtcunque morbidum indicaſti, rem egiſti gratiis dignam, cadauroſum extrahit, ſuoque in carnario euiſcerat, & eius carnibus partim aſſis, partim elixis hiantem exſaturat famem, equorum oſſibus mirè expolitis vtuntur pro vagina, in qua viſenda arte cultros condunt, aliam huic non diſſimilem habes deſcriptionem Tartari apud citatum Bellouacceſem.

Tartari deſcriptio.

Periplus Maris Caſpij. Hoc eſt itinerum locorum & regionum, quæ circumquaque mare Caſpium ambiunt, deſcriptio.

CAPVT XII.

Albania.

1. DEſcripturus Scythas, itinera & regiones, quæ circumquaque mare Caſpium attingunt, ducam initium ab Albaniâ, & nonnulla dicam quæ fuerunt à multis hactenus auctoribus prætermiſſa. Cõtinetur illa inter fluuios magni nominis Cyrum & Rha: Montes Caucaſios & mare Caſpium. Sic appellatur, vel à fluu. Albano qui eam perlabitur vſque ad mare, vel ab Albana ciuitate, quam Ptolemæus ponit in long. 81. 40. & latit. 45. 50 vel denique quod apud eos multi naſcantur albo crine. Incolæ volunt ſe credi poſteros Iaſonis; littus maris inaceſſum eſt, nec vllam prębet nauibus ſtationem, quod Cyrus fluuius tantum cœni oſtiis 12. ingerat, vt & inſulæ fiant, & paludes inæquales, propter æſtuum reliſiones & ad 500. ſtadia ſtat quaſi Agger, qui littoribus prætenditur. Et vero huic hominum generi, nihil opus eſt mari: cum ne terra quidem, vt par eſt, vtantur. Hi enim vago generi affines, paſcendo gregi, quam agriculturæ aptiores videntur, cum tamen agrum obtineant ſic vberem, vt ſemel proſciſſus aratro prorſus ligneo, abſque ferro, bis terue proferat frugem. Vites etiam, licet nunquam fodiantur, ſed tantum poſt annos 5. putentur, ferunt tamen tam multos racemos, vt magna pars eorum in palmitibus relinquatur. Cætera quoque ad vitæ vſum pertinentia negligenter tractant, imperiti ponderum & menſurarum, nec vltra centenarium numerare ſoliti. Si cultus accederet, maior hic eſſet, quam in Babyloniâ aut Ægypto vbertas, quod tota hæc planicies fluminibus, è Caucaſo deciduis irrigetur, & tam mira ſit aëris temperies, vt & fructus arborei, & herba ſemper virant animantibus admodum grata, vnde & vegeta ſunt, tam manſueta quam fera. Ipſi etiam formâ & magnitudine, aliis præſtant hominibus, moribus ſimplices & à cauponando alieni.

Strabo l. 11 p. 501. & 502. *Solin. c. 25* *Strabo l. 11*

Albani fluuij origo & Oſtium.

Inſulæ quare frequentes ad oſtia fluuiorum æſtus.

Vbertas mira agrorum in Albania.

2. Armarunt olim aduerſus Pompeium 60. millia peditum & 22. equitum. Glaucam oculis ineſſe pupillam tradit Plinius ideoque nocte plus quam die cernere. Apud hos populos nati canes feris omnibus anteponuntur. Frangunt Tau-

Plin. l. 7. c. 2.

Nocte melius quam de die vidêt Albani.

Digitized by Google

ros, Leones perimunt, detinentque quidquid obiectum eſt. Legimus petenti Indiam Alexandro à rege Albaniæ dono duos miſſos, quorum alter ſues ſibi & vrſos oblatos, vſque ad eo ſpreuit, vt offenſus degeneri prædâ, ignauo ſimilis diu accubaret, quem per ignorantiam velut inertem Alexander extingui imperauit: Alter vero monitu eorum, qui donum proſecuti erant, leonem miſſum necauit. Mox viſo elephante veluti exultans, belluam primo æſtu fatigauit, deinde cum ſummo ſpectantium horrore terræ affixit. Hoc genus canum creſcit ad formam ampliſſimam & licet terrificis latratibus vltra rugitus inſonent, vehementius tamen adhuc mordent, nec minus propterea quam reliqui minores catuli dominos etſi pauperes colunt, & ipſis obſequuntur. Narrat Albertus inter alia fidem excedentia, quod ſi quis horum aut cuiuſuis canis maximè nigri dentes vel cor ſecum habuerit, in eum nec morſu nec latratu graſſabuntur aut inceſſent vlli canes. Albanis imperabat Aquaſapas, eiuſque erat regia Gorgora, aſperrimo in ſaltu ſita, quando Selymus cum Iſmaële Sopho in campis Calderanis cruento prælio decertauit anno 1514.

Canes Albani omniũ maximi, etiam leones necant.

Apud Sol. cap. 25. de Plinio.

Canes non inceſsũt eos qui corum dentes canis nigri ſecum habent.

Gorgora Albanorum regia.

CAPVT XIII.

Cyrrhus fluuius & Iberia.

1. ALbaniæ ad occaſum proxima eſt Iberia, & Iberiæ Colchis, intercurrente inter eos à Septentrione, in Auſtrum Caucaſi montis duplici cubito, vſque ad Armenos. Iberiæ maior pars probè habitatur domibus & pagis conditis, ita vt etiam laterica tecta ſint & domorum architectonica ſtructura, & fora, & alia publica ædificia. In medio eorum planicies eſt fontibus & fluuiis irrigua quorum Cyrrhus eſt maximus, qui ortus à Caucaſo in longit. 75. latit. 47. 30. poſt decurſam Iberiam inſinuat, in Albaniam per anguſtum Alueum, & receptis pluribus amnibus nauigalibus exit in Caſpium mare in longit. 79. 40. & latit. 44. 30. Campeſtria colunt Iberi agriculturæ & pacis ſtudioſi, montana bellicoſi, Scytharum & Sarmatarum more viuentes, quorum etiam finitimi ſunt & cognati: multaque hominum millia è ſuo corpore & ex illis, ſi quis nuncietur tumultus, cogunt, armant inſtruunt.

Strabo l. 11 p. 499 & 500.

Cyrrhus fluuius.

Iberorum ſtudia.

2. Quatuor autem hominum genera Iberiam Montanam & Campeſtrem incolunt. Primum, è quo reges deligunt ætate

ætate ſemper maximum de regis prioris cognatis: proxime minor natus, ius dicit, exercituſque ducit. Secundum eſt ſacerdotum, qui etiam iura cum finitimis communia procurant; Tertium eſt militum & agricolarum. Quartum plebeiorum, qui ſunt ſerui regij, & omnia ad vſus vitæ neceſſaria obeunt miniſteria. Communes eis ſunt poſſeſſiones ſecundum familias, ſemperque imperat & gubernat earum natu maximus.

Maximis natu ſummus honor in Iberia exhibitus.

Poſſeſſiones communes omnibusqui ex eadem ſunt familia

Apoſtoli Iberiæ.

CAPVT XIV.

Quomodo Iberi ad fidem conuerſi dicti ſunt Georgiani.

Plin. l. 6. c. 1.

1. IBeri, ſeu, vt monet Plinius, Iberes duplicis fuerunt generis: alij ad mare Ponticum in Colchide, alij non longè à mari Caſpio & Caucaſiis montibus. Iberi Colchici ſub Traiano Imperatore, ſacrorum myſteriorum interprete S. Clemente Papa, Chriſto dederunt nomen, anno Chriſti centeſimo. Qui iuxta Caucaſum incolunt Iberi inferiores vergentes ad mare Caſpium, ſub Conſtantino circa annum Chriſti 397. Apoſtolico munere fungente Chriſtiana ancillâ. Cum enim apud eos eſſet recepti moris, vt ſi paruulus ægrotaret circumferretur à matre per ſingulas domos, quo ſcilicet ſi quis ſimplicis medicamenti plantam aliquam legiſſet in montibus cuius vim noſſet experimento, conferret laboranti, ventumque tandem eſſet ad captiuam: Illa ſe humani quidem remedij nihil ſcire teſtatur, Deum tamen ſuum Chriſtum, quem colebat, dare ei deſperatam ab hominibus ſalutem poſſe confirmat, cumque cilicio ſuo paruulum ſuperpoſuiſſet, atque ipſa deſuper orationem fudiſſet ad Dominum, ſanum matri reddidit infantem. Cumque regina ipſeque Iberorum Rex Bacurius, multa à Deo, precibus eiuſdem ancillæ beneficia accepiſſet, hâc occaſione omnes Barbari Chriſtianis myſteriis inaugurati ſunt: ingruentibus poſtea hæreticorum procellis, fidem catholicam integram illibatámque diu in octodecim Epiſcopatus diſtributi ſeruauerunt, Patriarchæ Antiocheno ſubditi. Cum autem propter bella non poſſet eos luſtrare, inſpicere, & recognoſcere, nec ipſi ad eum accedere Antiochiam, ſuas vices commiſit cuidam eorum Archiepiſcopo, qui propterea Catholicus eſt appellatus, vt tam ipſis quam Armenis imperaret. Fuiſſe autem poſtea tam ipſum, quam cæteros ibi Epiſcopos & Abbates ſimoniaci flagitij reos propter ſacrorum nundi-

Iren. l. 1. c. 3.

Ruffinus l. 1. c. 10.

Socrat. l. 1. c. 16.

Sozom. l. 2. c. 24.

Theodoret. l. 2. c. 6.

Vincent. l. 30 c. 96.

Anto. tit. 19. c. 3. & c. 8. & 9.

Apoſtoli Iberiæ.

Orationis efficacia.

Bacurius Iberorum Rex.

Georgianorum religio.

S. Georgius Patronus

Digitized by Google

nationes & mutuas coniugum ſeceſſiones, quas data pecuniâ permittebant, ſi eorum alter eſſet infecundus & ſterilis, tradit Spondanus ad annum Chriſti 1219. n. 6. dicti ſunt autem Georgiani, quod D. Georgium in vexillis depictum ferant, & in præliis ſuis contra infideles præcipuum patronum habeant & inuocent. *Vitriac c. 80.*

Georgiani.

Feminæ nobiles pergũt ad bella apud Georgianos.

Quam vero ſit ea gens pugnax & generoſa hinc patet, quod apud eos tam viri quam feminæ nobiles pergant ad bella, ſemperque in hanc diem regem ſuæ gentis habuerint, qui fortiter ſuos fines aduerſus potentiſſimos Aſiæ principes, Turcum, Moſcum, Perſam & Tartarum ſunt tutati, quantumuis non paruis cladibus interdum ab iis affecti legantur, puta à Tartaris anno 1220. A Perſarum Sopho ſub fortiſſimo Georgianorum Rege Pancratio: à Turcis anno 1579. quo duo Principes Georgiani à Muſtaphâ Baſsâ mouente contra Perſas ſuis ſunt ditionibus per aliquot annos exuti. *Vincent. l. 30. c. 96.*

Pancratius.

Catonis itiner. Ieroſol. l. 2. c. 6.

Apud eos, omnes caput radunt, in rotundum quidem clerici in quadratum vero laici. Venalium commercio florentiſſimum apud Georgianos oppidum Teflis dicitur, Ptolemæo Zogocara in longit. 77. 15. 42. 20. ad Araxem non longè à fontibus. *Curtius in ann. ad hiſt. Eccl.*

Teflis.

Pylæ 4. in Iſthmo Colchico.

2. Porro aditus in Iberiam, quatuor ſunt omnino, non plures, vnus per Sarapanum, Colchicum caſtellum, & anguſtias quæ pone ſunt, per quas Phaſis violentius, in Colchidem defluit. E Nomadibus autem verſus ſeptentrionem degentibus tridui eſt adcenſus difficilis, poſt quem ſunt anguſtiæ, per quas fluuius Aragus labitur; munit autem extrema huius viæ murus, haud facile expugnabilis: Sarmaticas pylas occiduas vocat, Ptolemæus, eaſque conſtituit in longit. 77. & latit. 47. 0. Similiter ab Albania, per ſaxa primo exciſa eſt via, deinde per paludem ducta, quam fluuius è Caucaſo decidens efficit, quæ vt exiſtimo, ea eſt, quam Ptolemæus vocat Albaniæ portam, quam ſtatuit in longit. 80. & latit. 47. 30. Ab Armeniâ & iam aliæ ſunt anguſtiæ ad fluuios Cyrrhum & Aragum, qui antequam confluant, vrbes habent munitas ſaxis impoſitas, ad 16. ſtadia inter ſe diſtantes. *Strabo l. 11 p. 500.*

His aditibus primum Pompeius deinde Canidius vſi ſunt poſteaque ſub annum Chriſti 1220. Tartari. *Strabo l. 11 p. 501. Vincent. c. 95. & Ant.*

CAPVT

CAPVT XV.

Caucaſus Circaſſi. Porta ferrea.

1. A Cherſoneſo Boſphori Cimmerij ad oſtia fluminis Rha ſub parallelo 47. 30. continua eſt altiſſimorum montium ſeries vtrique ſuperpoſita mari, Euxino ſcilicet, Caſpio. Pars eius editiſſima Colchidi & Iberiæ imminens dicitur Caucaſus, pater montium appellatus, & cubile Boreæ, ingens naturæ opus: & additur Ponticus quod & Ponto Euxino ſit proximus & vt diſtinguatur ab eo quem dicemus Indicum, quod ex eo Indus fluuius oriatur. Tantæ altitudinis eſt, vt ex eius vertice aſtra viſantur maiora, vnde & Prometheus aliique eius montis incolæ habiti Aſtronomiæ peritiſſimi. Qua fronte ſeptentriones, & Scythiam proſpicit maximè aſper & incultus eſt, & pro incolis homines habet feris, quam hominibus, ſimiliores, qui communi nomine dicuntur Circaſſi: diuiſi in Cholcos, Iberos, Albanos, Petigorskios, Nogaicenſes, & alia mille nomina: idem tamen qua parte ſoli obuerſus diues eſt arborum omnis generis piperis, ex quibus naues compinguntur, arbores etiam habet, quæ referunt, perfectam ſimilitudinem iuniperi, quod recens album piper dicitur: nigrum verò, quando cutem rugoſam & torridam calor fecit: illas arbores tanquam agricolæ, genus ſimiarum colit: ſunt præterea, quæ & thus diſtillant & aromata alia.

Strabo l. 11. Solin. c. 65. Philoſtrat. in vita appoll. Plutarc. l. de flum.

Caucaſus Ponticus.

Caucaſi Pōtici altitudo, arbores, piper, Thus & Aromata.

Circaſſi.

Simiæ quæ colunt piper.

2. Maximam autem licet orbis partem, penetret ſuis iugis Caucaſus, duo tamen præcipui ſunt quaſi eius cubiti quos protendit verſus Meridiem, qui Iberos ſeparant à Colchis, & Albanis, & Iſthmum tanquam muro intercludunt tandemque Armeniæ montibus coniunguntur, qui Moſchici appellantur, & poſt aliquod ſpacium ipſi Tauro. Non ſic autem continui ſunt montes ſeu cubiti Caucaſei, vt ex vna parte in aliam nullus ſit aditus, nam præter pylas quatuor ſeu portas quas capite 12. recenſuimus, & quas tempus rerum omnium edax, laxius aperuit, recentiores de vnicâ tantum meminerunt, quam vocant Derbent, quæ fortaſſis ea eſt quam quarto & vltimo loco ponimus ex Strabone, quam fertur Alexander Macedo aduerſus Scytharum irruptiones ædificaſſe. Abruptæ ſi quidem Caucaſi montis rupes, vſque adeo ad mare nunc coarctant iter, vt exeſi fluctibus, deuoratique in profundum eius litoris margines, vix

Caucaſus pater montium à quo plerique omnes deriuantur.

Iouius l. 14.

Portæ ferreæ deſcriptio.

Digitized by Google

duorum ſtadiorum aditum tranſeuntibus relinquant. Ea enim forma Derbentum in edita montium crepidine ſitum eſt, vt duobus ex quadrato lapide muris ad mare deductis inferiora ædificia, & nauigiorum ſtationem tanquam duobus brachiis complectantur, non maiore quam trecentorum paſſuum interuallo, quod ſpacium ſingulis vtrinque ferreis portis ſuperſtantibuſque propugnaculis, ita munitur, vt perpetuis cuſtodiis, niſi clarâ luce, & explorato litore, viatores nec admittantur, nec recepti intra portum, vſquá prius emittantur quam portorium perſoluerint: nauigia quoque intercluſo eo littore commodam habent ſtationem. Hodie Thamizcapi dicitur, id eſt porta ferrea, diuidit enim Mediam ab Albania, neceſſarioque tranſmittenda eſt iis, qui è Syriâ aut Perſiâ volunt pergere in Tartariam, Ptolemæo dictam Sarmatiam Aſiaticam, ſimiliterque iis qui ex Tartariâ eunt in Perſidem, à Derbent enim abeunt ad Maumutagam itinere 7. dierum per prouinciam Seruan, hincque ad Saram & Maſandram, cum omnis generis mercibus, quæ Sumachiam & Tauriſium ſubuehuntur.

CAPVT XVI.

Sarmatia Aſiatica.

Eius limites. 1. TRanſmiſſo Caucaſo per pylas proximè deſcriptas ſe aperit Sarmatia Aſiatica, quæ continetur inter fluuium Tanaim, littora paludis Mæoticæ, Caucaſios montes, litora maris Caſpij & flumen Rha, quod nunc dicitur Volga. *Capit. 11. & 13. Ptol. tab. 2 Aſia.* Aſperatur ſolum variis in locis, verticibus montium, Coracis, Ceraunij & Hippij, & rigatur plurimis fluminibus, quæ vel in Paludem, vel in mare Caſpium abeunt. *Incolæ.* Incolarum alij ſumma montium obtinent, alij in ſaltibus degunt, viuunt potiſſimum carnibus ferinis, frugibus ſylueſtribus, & lacte. *Strabo l 11 p. 506.* Vertices hyeme conſcendi non poſſunt, Æſtate ſcandunt pedibus, ſubligantes calceos aculeatos, è Tergore bouis crudo confectos, latos inſtar Tympanorum propter niues & glaciem: *Calcei aculeati.* delabuntur pelli inſidentes vna cum faſciculis ſuis, quod idem fit etiam paſſim in aliis pleriſque Tauri montis partibus, vbi aliquando rotulæ ligneæ ſimiliter aculeatæ plantis pedum ſubduntur. Cum deſcenditur ad radices montium, verſus ſeptentrionem inclinant & fiunt leniora loca, in quibus olim fuerunt quidam Troglodytæ in ſpeluncis habitantes frigoris cauſa, apud quos etiam farinæ *Troglodytæ.*
erat

erat copia, fuerunt & Poliphagi quaſi voraces dicti & Nomades verſus Mæotidem, aliique dicti Syrani verſus montes Hippios, vbi Ptolemæus ſtatuit columnas Alexandri in longit. 80. & latit. 51. 30. Verum cum nuſquam legerim apud antiquos, in eas partes Alexandum penetraſſe, exiſtimo hunc eorum eſſe errorem, qui Caucaſum Ponticum confundunt, cum Caucaſo Indico, vltra quem ad Sacas Alexander ſuas promouit victorias. Poliphagi. Nomades. Syrani.

Vide quæ diximus l. 12. c. 8.

2. Has partes nunc obtinent Petigorskij (les Petigórts) à quibuſdam Circaſſis annumerati & quinquemontani nuncupati, id enim vox Petigoziz ſonat; extenduntur à Palude Mæotide ſecundum mare Ponticum, & montes qui mari Caſpio ſunt proximi, piraticam exercent egregie, & expeditiſſimi ſunt equites: his vt plurimum exploratoribus Chamus vtitur in ſuis excurſionibus. Coraciis montibus freti, reformidant neminem; Chriſtianam religionem profitentur more Rhutenico, ſunt & Nohaicenſes les Nogais, Rhutenis Nogaiki qui ad Aſtrachamum vſque regnum limites protulerunt, addicti pariter latrociniis & graſſationibus: quos facilius eſt Moſcho donis auertere quam præliis, cum nihil plane habeant, non vrbes non caſtra, quorum iactura tanquam freno poſſint in officio contineri, ſed vagentur per campos patentes, degeneris tantum pabuli feraces. Petigorſkij. Quinque montani. Nohaicenſes.

CAPVT XVII.

Moſcouia pars Scythiæ ſeu Sarmatiæ Aſiaticæ nunc præcipua.

Strabo l. 7 p. 306. Mela l. 3. c. 5. Ptol. Aſiæ tab. 39. Vide notitiam orbis l. 2. c. 15. n. 1. Kantzius l. 1. Vandalia c. 2.

1. ET ſi de ea fuſius auctores egerint, & ego arcturus ſim tomis & libris ſequentibus, placet tamen ex iis quędã repetere, alia corrigere, & nonnulla addere. Exiſtimant plerique à Roxolanis & Moſchis Sarmatiæ Scythicæ populis originem ducere Ruſſiæ albæ populos quos nũc Moſcouitas appellamus, conſtat tamen ex Strabone Roxelanos, maximè ſeptentrionales, inter Boryſtenem & Tanaim campos incoluiſſe, Moſchos vero populos & Moſchicos montes apud Melam & Ptolemæum ſitos in Iſthmo qui medius eſt inter Pontium, & mare Caſpium in Colchide. Mediæ ætatis ſcriptores, Ruſſos dixerunt à celebri & olim ampliſſimâ vrbe Ruſſ. Denique Tartari ante quadringentos circiter annos ſub Friderico erumpentes, partem Ruſſiæ maximam obtinuerunt, factíque tandem ſunt Chriſtiani, & diuiſi in Roxolani. Moſchi. Ruſſia alba & nigra.

Digitized by Google

albos & nigros, ſicque etiam nunc Ruſſos Albos dicimus Moſchouitas, qui veſte & petaſo vtuntur albis, & nigros Ruſſos Polonis ſubiectos, quibus niger eſt pileus. Les Roux Rouſſeaux, vocant Melitenſes equites. Krantzius Muſgoniam nominat. Indigenæ à fluuio Moſquo, qui Moskum metropolim rigat Moſcouiæ, imperij nomen deducunt.

Moſcouia prius dicta Muſgouia.

Krãtzius Vandal. l. 13. cap. 15.

Imperij amplitudo ad ter mille milliaria Geographica in longum & latum per æquam planiciem excurrit, inter fluuios Boriſthenem & Rha ſeu Volgam, mare Hiperboreum & mare Caſpium.

Quomodo in tantam creuit amplitudinem.

2. Ad eam amplitudinem nouum hic cœpit creſcere Imperium circa annum Chriſti 1479. Prius enim Muſgouiæ principatus in ditione & tutela fuit Tartarorum, qui trans Volgam habitabant, legatis eorum, atque etiam veredariis tributum petentibus, vel aliâ quauis de cauſâ, venientibus: cum equis veherentur, tenebatur ipſe dux pedibus, obuiam prodire, lactis equini poculum venerabundus porrigere, & ſi quæ gutta inde in iubam equi ſtillaſſet, eam lambere, interpreti legenti literas Imperatoris, ſelectam veſtem Muris Pontici pelle obductam ſubminiſtrare. Ipſeque cum proceribus ſuis eas auditurus incumbere in genua, nec vllum imperium detrectare: Quam duram excutere ſeruitutem, Iuuanus (quem nos Ioannem dicimus) Baſilio patre natus anno Chriſti 1528. princeps Muſgouiæ, vir magni animi, & dignitatis augendæ percupidus & illatas à Tartaris iniurias ſtatuit vlciſci, & præterea pedem figere in Liuoniâ, vtrumque exiſtimans ſe poſſe Bombardarum vi & terrore, hoſtibus nec dum aſſuetis huiuſmodi machinarum fragoribus. Primum igitur indicto bello proximæ ſibi Tartarorum Hordæ, ſeu regno, cuius caput erat Caſſanum, craſſos aſſeres perforatos, curribus præfixit ſuis, per quos bombardas exonerauit ſuas, certâ hoſtium pernicie, parique arte an. 1554. Aſtracani regnum acquiſiuit immo vſque ad Circaſſos fines protulit, per 300. vltra Aſtracanum millia paſſuum, & acceptâ vxore à Circaſſis, fœdus cum iis ſanciuit, aduerſus Perſas & Turcos, qui non ita pridem ferream portam occuparant. Hinc conuerſus in ſeptentriones, per fraudem occupauit Nouogardiam Ruſiæ Metropolim, quæ in tantam creuerat potentiam, vt in prouerbio dicerent Ciues. Quis poteſt contra Deum & magnam Nouogardiam? merito ſanè, ſi ſemper manſiſſent hæc duo copulata, deumque habuiſſet & protectorem & adiutorem.

Clientelare obſequium.

Krãtzius vbi ſupra.

Bombardarum primus vſus in Moſcouia.

Guagn. in deſc. Tart. Oderbor. in vit. Io. Baſil.

Moſcouitarum hoſtes.

3. Hoſtes ipſius præcipui ſunt Nogaici, Circaſſes, & Tartari

tari ad Auſtrum ſiti, qui quoties in Moſci ditionem irrumpunt, vix abſcedunt niſi muneribus placati. Precopenſes Tartari, Turco fœderati, à quibus vti potentioribus multas clades accipiunt: Et Poloni quorum rex Stephanus continentibus triennij victoriis, Moſcouiæ vires ita attriuit, vt quibuſdam in locis per trecenta paſſuum millia incola nullus fuerit ſuperſtes, pagis ipſis extantibus quidem ſed vacuis. Vnde non mireris ſi quas vrbes & regiones auctores aliqui laudant, quod amplæ ſint & frequentes, alij pro diuerſitate temporum pene deſertas dicant. Acceſſit & peſtilentia quam antea in Moſcouia ob intentiſſima frigora nunquam graſſari auditum fuerat, quæ multos abſumpſit. Quæ tamen regiones ſupra Moſcuam verſus ſeptentrionem vergunt, eæ admodum frequentes incolas habent, quod excurſiones illuc Tartari Præcopenſes non fecerint, & ſalubriore cœlo perfruantur.

Ex Poſſeuino de rebus Moſc.

Peſtilentia ingens in Moſcouiâ.

CAPVT XVIII.

De Religione Moſcouitarum.

Thuanus ex Ruſſorum & Polonorũ annalibus.

1. CReduntur fide Chriſtiana imbuti circa annum Chriſti 990. quo Volodimorus princeps, qui ſedem habebat Kiouiæ, vxorem duxit Annam Baſilij Porphirogeniti filiam. Vnde nihil mirum, ſi ritus Græcæ Eccleſiæ etiam hodie obſeruent, & multis erroribus implicentur, cum ab initia fidem acceperint à Græcis tunc ſchiſmate à Romana ſede diuiſis, imo alienis in quibuſdam, à recto fidei dogmate: In hanc autem diem ab Romana Eccleſiâ ſic abhorrent, vt cum grande alicui malum imprecantur, dicant, vtinam te Latinæ fidei videam. Et ſi quando fuerint cum Chriſtiano latini ritus collocuti, illico manus in pelui, quaſi ad expiationem abluant. Si firmioribus vrgeantur argumentis, exiſtimant ſe abunde ſatisfacere, ſi dicant, ſolus Deus & magnus Dominus, hoc ſcit: Ipſe magnus noſter Dominus nouit omnia. Is vnico verbo omnes nodos ac difficultates poteſt ſoluere. Nulla religio eſt, cuius ritus ac dogmata, ignoret. Ipſe vero hanc de ſe exiſtimationem, apud ſuos mirâ diligentiâ fouet, prorſus vt quaſi Rex ſacrorum ſimulque imperator haberi velit. Cum in throno ſedet, tiaram geſtat, vnionibus & gemmis ornatiſſimam, pedum ſeu paſtorale tenet manu leua, chriſtalli nodis interſtinctum. Talari veſte induitur, ſicut Pontifices maximi, & manus habet plenas

A Græcis ſchiſmaticis fidem acceperunt.

Poſſeuinus de rebus Moſc. parte 1. c. 1

Eorum odiũ in Chriſtianos Romani ritus.

Quam alta ſentiant de magno Duce.

Ornatus magni Ducis.

annulorum cum prægrandibus gemmis. Venerationem augent ſaluatoris & diuæ Virginis imagines, ad cathedram ſitæ: bini adſtant ipſi, albis ſagis induti, cum bipennibus, regij corporis ſtipatores, ſubſellia anterioris cubiculi referta hominibus qui veſtibus aureis induti, vſque ad talos referunt ſpeciem Diaconorum, qui miro ſilentio ab ore nutúque principis pendent.

Ritus Eccleſiaſtici Moſcouitarum.

2. In toto regno vndecim tantum ſunt Epiſcopi, quorum præcipuus Metropolita Moſcuæ, qui olim à Patriarcha Conſtantinopolitano confirmabatur, nunc autem à principe, conſecraturque à duobus tribúſve Epiſcopis. Epiſcopi omnes ex Monachis S. Baſilij deliguntur, qui perpetuo à carnibus abſtinent, caſtitatem colunt, paupertatem retinent, & veſtibus ad talos demiſſis vtuntur: Parochi ac reliqui Poppi

Virginitas quanti fiat apud Moſcos.

ſeu ſacerdotes, vxorem virginem, antequam ſacerdotes ſint, ducunt, qua demortua, ſi monaſticam vitam agere velint, pergunt ſacerdotio fungi, ſin alteram ducunt, nullum iam ſacerdotij munus obeunt, ſed tantum diaconorum.

Quicumque plures quam tres vxores duxit, corpori Chriſti Domini non amplius communicat. Populus vix vnquam ab opere vacat, niſi ipſo die Beatiſſimæ Virginis Annunciatæ, operaturque etiam ipſo die Paſchatis, exiſtimatque ſpectare tantùm ad nobiles templa frequentare.

Moribundis Euchariſtiam ſine facibus afferunt, eoſque Extrema Vnctione inungunt, peccata ſua in primis ſacerdoti confitentes, quod & ſingulis annis in Paſchate, cum Euchariſtiam ſumunt, atque aliquando ſæpius faciunt. Ieiuniorum, & à carne & à lacticiniis abſtinentiæ ſunt tenaciſſimi.

3. Orantes ſtant, interdum fronte percutiunt terram, concionatores non habent; ſed tantum homilias quaſdam S. Chryſoſtomi, & vitas ſanctorum, à poppis ſuis audiunt. Ægrotis vix vllum remedium adhibent quam potum aquæ à ſacerdotibus orationibus ſanctificatæ, & vota quæ nuncupant diuæ Mariæ.

Cum funus efferunt, id poppi Laicique candelis paruulis, quas gerunt, proſequuntur, nulla prælatâ cruce, ſed imagine tantum piâ demortui pectori hærente, qui ſic linteamine totus obuoluitur, ſola vt facies cerni poſſit. Nihil vero aliud concinunt, quam Triſagion, ſancte Deus, ſancte Fortis, ſancte Immortalis. Cum autem cadauer mandant ſepulturæ, Recordare, inquiunt, Domine animæ huius, ac quædam alia in eum ſenſum.

De

Digitized by Google

De Chorographiâ ampliſſimi huius imperij & prouinciis eius, tam quæ eis Volgam, quam quæ citra excurrunt, verſus Iaxartem nihil hic repetam, vide quæ dicimus paſſim lib. aliis.

CAPVT XIX.

Scythia intra Jmaum.

1. CONtinetur inter montes Hyperboreos, amnem Volgam, antiquis Rham, maris Caſpij parte Orientalem, montes Taurum & Imaum. Scytharum gentes varias, & denſiſſimam populorum frequentiam recenſere, infinitum. præcipui apud antiquos memorantur; Alanorſi Scytharum vltimi, inter mare Scythicum ſeu Hyperboreum & montes Alanos, ſiti in longit. 110. & latit. 60. apud Ptolemæum tabula Aſiæ 7. hi poſtea tranſmiſſo Rha, Scythiam Sarmaticam ad Paludes vſque Mæotidas cum occupaſſent, Alaniam appellarunt & ſuccedente tempore, iuncti Suecis & Vandalis penetratâ Germania & tranſmiſſo Rheno circa annum Chriſti 408. etiam in Gallia & Hiſpaniâ vaſtatione graſſati ſunt.

Alanorſi. Alani.

Plin. l. 9. c. 11.

Euſeb. in Chron.

Oroſ. l. 7. c. 40.

Aorſi maximam partem borealis oræ maris Caſpij obtinuerunt, & negotiabantur Camelis Indicas & Babylonicas merces, à Medis rem permutantes cum re, maximéque cum auro, cuius magna copia apud Scythas. Vocatur nunc regio Bulgaria ſeu Horda Zanolanorum à Volga fluuio ſic dicta: & horda Taxeti ſeu princeps, quod ex ea ceterarum pleræque feruntur originem duxiſſe. Paret nunc Moſco, poſtea quam eius Dux Vlacam vitæ functus eſt. Cum iis bella gerunt Tartari dicti Scribanski, Coſſatzki, Calmuzi, Iurgenzi, qui totidem conficiunt hordas, magiæ deditiſſimi, frugibus carent & tantum lacte equino victitant, & ferina. Eas hordas præterfluit Iaych fluuius, qui ex Rhimnicis montibus Siberiæ profluens tandem abit in mare Caſpium, inter oppida Iaick & Rizan.

Strabo l. 11 p 506.

Herodot. l. 1.

Aorſi. Auri magna copia apud Scythas. Bulgari. Zanolani. Iaych fl.

2. His ad Orientem, proxima Nagaia, *les Nagais*, præcipua eorum vrbs, ad orientem Volgæ appoſita Scharaitka, Scaraitzh, in qua reſidet Chamus qui tribus earum hordis latè imperat ad Iaxartem fluuium, & cum opus eſt, viginti equitum millia poteſt cogere. Fuerunt deinceps ad Orientem, Iaxartæ magna gens, Maſſagetæ & Sacæ Scythæ, Nomades ad Imaum, extenſi in planicie immenſæ magnitudi-

Nagaia. Scaraitka ſedes Chami.

Digitized by Google

Tomiris victoria de Cyro.

nis. Inter Maſſagetas maximè claruit Tomiris eorum regina quæ anno ante Chriſtum 530. Magnum Cyrum Perſici regni fundatorem toties ſacris literis profaníſque decantatum recenti victoria (in qua Maſſagetici exercitus pars tertia occubuerat, ipſéque Tomiris filius) exultantem, cum ducentis millibus, Perſarum occidione ſic oppreſſit vt ne nuncius quidem tantæ cladis, ſuperfuerit. Et Cyri caput in vtrem humano cruore plenum immittens addidit: Satia te ſanguine, quem ſitiſti. *Herodot. Iuſtinus.*

Sacæ.

3. Sacæ, gens olim frequens & magni nominis iuncti, Maſſagetis occupabant eam partem, quæ intercipitur inter montes Imaum, Taurum, Paropaniſſum, & fontes Iaxartis, nemora & ſpeluncas abſque vllis ciuitatibus accolentes, veri Nomades. Hos memorat Strabo excurſiones feciſſe in remotiora, Bactrianam occupaſſe, & optimam Armeniæ tellurem, quàm à ſe Sacaſenam dixerunt, & vſque ad Cappadoces, & mare Euxinum habitaſſe. Cum autem aliquando ad Prædam partam, feſtos dies agitarent, deletos à præfectis Perſarum, qui in eodem loco petram quandam aggere complentes, ita vt rotundi collis figuram referret, muro cinxerunt, & Perſicis Geniis templum poſuerunt, ad quod induxerunt ſolennem conuentum dictum Saca. Hanc eſſe puto quam Ptolemæus vocat Turrim lapideam, & collocat in longit. 135. & latit. 43. tab. 7. Obſeruabis vero Perſas vocaſſe, omnes Scythas Sacas, quod his eſſent vicini & cum his ſolis bella gererent. *Ptolem. tab. 7.* *Strabo l. 11 p. 511. & ſequentib.*

Eorum victoriæ.

Turris lapidea.

Canes Tartarorum.

Nunc ab ipſo Volgâ ad montem Imaum magnæ interiacent ſolitudines, Tartarorum paſcuis deputatæ, quorum præter eos quos proximè recenſui, qui militant Moſcouitis, plura ſunt & ingentia agmina, errantium ciuitatum inſtar, quæ Hordæ eorum linguâ vocantur. His nobilitate generis, & bellicâ virtute præſtantes imperant, Caneſque appellantur: quæ vox Tartaricè Imperatorem ſonat. Ea gens in vniuerſum fera & inops omniſque humanitatis expers, ſolis confiſa ſagittis, equinâ carne, eâque ſemitoſta tetro manantibus cruore gingiuis ſpurciſſimè veſcitur, continenter cum finitimis bella gerit. *Iou l. 14.*

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XX.

Mons Imaus.

1. TAuro monti in longitudine grad. 144. & latit. 36. iungitur mons alius dictus Latinis & Græcis Imaus, incolis vero Dalanger, Nangracot & Altay, Tauro altitudine haud impar, qui perpetuo iugo tendit vſque ad mare glaciale; & Scythiam quæ ab eo intra, & extra Imaum cognominatur, bifariam ſic diuidit & ſeparat, vt ex vnâ in aliam nullus ſit aditus præterquam in longit. 140. latit. 43. vbi pylæ ſeu ſtatio & receptaculum Maſſagetarum, Sacarum, & occiduorum Scytharum, qni ad Seras, & orientales Scythas, mercatum proficiſcuntur. Appropinquans polari circulo, in vaſta duo ſiue brachia ſiue cornua diuiſus, profundam plagam Scythici Oceani complectitur. Læuum ſiue occidentale cornu occupant Tingoeſij, de quibus dicitur in Europâ. Orientale quod appellant Altay, & Belgiam, habitant nunc Tartari, qui in hac parte, ſuos imperatores, tametſi è vitâ exceſſerint, in Cataiæ partibus maximè remotis, mandant ſepulchris, quæ Obeliſcis & Pyramidibus reddunt illuſtriora, nec non cæde plurimorum hominum: quotquot enim ſatellites, dum funus comitantur, habent obuios, omnes interimunt, cum hac ſolenni formulâ: Ite, & domino noſtro regi, veſtrâ deferte obſequia in aliâ vitâ.

Ptol. tab 7 Aſiæ. — Tingoeſij. — Altay. Belgiam. — Sepultura Cami Cataiæ.

2. Ex Imao tanquam ramuli excurrunt in occaſum varij montium tractus, Aſcatancas, Anarei, Tapuri, Syebi, Alani, Rhimnici, ex quibus, tanquam mammis, erumpunt amnes, qui occiduos Scythas potant, eorum agros fœcundant, & in mare Caſpium euoluuntur, nec non alij id genus plurimi.

Porro ſicut ex Caucaſo Indico, per leucas circiter 600. in Boream fertur Imaus; ſic ex eodem verſus Auſtrum progreditur perpetuo iugo mons Gates, qui & Bettigo dicitur, vſque ad Cori promontorium, quod Commorini caput vocant Indi, per leucas circiter quadringentas.

Gates mõs. Bettigo mons.

Digitized by Google

CAPVT XXI.

Scythia extra Imaum, ſeu Orientalis.

1. COntinetur montibus Tauro & Imao, & oceano cum boreo tum orientali. Boreali oceano incumbens ora Aſiæ inhabitabilis propter niues, vaſtas ſolitudines, ferarum multitudinem, nec non quoſdam Scythas Antropophagos. Celebria in hoc mare emittuntur flumina, Oechardus & Tartarus. Oechardus oritur è vaſta ſolitudine, deſerti Lop, quæ vix 30. diebus poteſt tranſiri, extenditurque ad Chinenſem regionem, à quâ ingenti muro, orbis miraculo, ſeparatur. Eius fons Ptolemæo eſt in longit. 174. & latit. 47. 40. Augetur amne qui perlabitur Iſſedonum magnam gentem & regnum Tangut, vnde maxima pars Rubarbari quod per totum orbem diſtrahitur. Vbi etiam ars Typographica ante mille annos inuenta creditur. Ad eum Ptolemæus ſtatuit Iſſedon Sericam, quam Eſſedonum vocat pius Papa vrbem inter gentes maximam.

Plin. l. 6. c. 17. Mela l. 3.

Oechardus fluu.

Iſſedonum gens. Rubarbarũ ex regno Tangut. Imprimendi ars in regno Tangut inuenta.

2. In idem pelagus Scythicum abit fluuius Tartar, à quo nunc dicti Tartari, qui olim Scythæ, decurrit paluſtrem regionem Bargu, quæ patet ad vltimum Scythiæ iugum & promontorium Aſiæ Tabin dictum, mari imminens, vbi perpetuæ hyemes vigent & intolerabilis rigor, poſt quod longiſſimæ ſolitudines, & regiones cæteris adhuc magis incognitæ nobis, in quibus variæ Tartarorum hordæ, quarum aliquæ dicuntur ſuam repetere originem à Tribubus Iſraël, quæ primum à Salmanazaro Aſſyriorum rege ad montes Caſpios traductæ, inde huc tandem peruenerunt. Fidem faciunt plurima apud eos Hebræa nomina, & ritus circumciſionis, nam in reliquis & Scytharum & Tartarorum feritatem induerunt.

Tartari fl. Bargu. Tabin promont.

Iſraëlitæ plures in extrema Tartarica.

In tractu eius oræ, quæ ſpectat orientem æſtiuum, chartæ ponunt fretum Aniam de quo pauca quæ noui dicam in America. In continente vero prouinciam Tenduc in qua volunt eſſe opulentiſſimas auri & Lazuli fodinas, & potentiſſimi olim Ionani regis ſedem, eiuſque ſubditos Chriſtianos quidem, at ſecta Neſtorianos, de quibus poſtmodum.

Fretum Aniam. Tenduc. Fodinæ auri & Lazuli.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXII.

Seres.

1. HOs excipit regio Seres dicta antiquis, quod in ea Ser naſcatur vermiculus. Seram Metropolim locat Ptolemæus in longit. 77. 15. & latit. 38. 36. ad montes Sericos, putatur à recentioribus dicta Cambalech, & Sindinfu. Gens fuit plena iuſtitiæ, quieta, armorum ſemper, & præliorum expers, nulli finitimorum moleſta, tam longæ vitæ, vt inter eos non pauci ducenteſimum annum excederent, quod præter alios eſſent frugaliſſimi, pacatioris vitæ cultores, & qui reliquorum mortalium cœtus vitant. Cum autem ad coemenda fila, vel quædam alia tranſeunt flumen Bantiſum, aduenæ nullis ſermonibus, propoſitarum rerum precia æſtimant, ſed ſolis oculis. Cœli apud eos ſalubris & iucunda temperies, aëris facies munda, leniumque ventorum commodiſſimus flatus, & plures ſyluæ ſub lucidæ vermiculis. Hi aranearum more, certarum arborum folia, tenui & canâ lanugine conueſtiunt, quam aquarum aſpergine molliunt incolæ, & domant in obſequium: ducunt poſtea fila, quæ ſi tenuiora ſunt, retorquent, & texunt multiplici opere. Et hoc eſt Sericum illud, quod è remotiſſimo oriente, in vltimas occidentis oras delatum in vſum publicum, damno ſeueritatis maximo admiſſum Romæ, quando ex eo ſunt confectæ veſtes ſic tenues & pellucidæ, vt his induta matrona, ne adulteris quidem plus pectoris in cubiculo, quam in publico oſtendebat. Fuit tamen aliquo modo compreſſa luxuriæ libido, quandiu ex Serum arboribus, tantis itinerum difficultatibus fuerunt petenda vellera, nec liceret iis indui Romæ, præterquam principibus, ſiue viris ſiue fœminis, tantaque erat eius caritas, vt Serici libra non rependeretur, niſi libra auri. Ex quo vero id genus vermium Iuſtiniano principi à quibuſdam Monachis ex Serum regione oblatum eſt Byzantij, tantus fuit Sericarum veſtium inductus vſus, vt paſſim iis induantur etiam plebeij.

Mela l.3. Marcellinus. — *Strabo l.15* — *Solin. c. 63.* — *Seneca l.7. de benef. c. 9.* — *Flauius Vopiſcus. Procop. 1. bellorum Perſ.*

Seres longæui & frugaliſſimi. — Ser vermiculus. — Sericum tenue & pellucidum. — Quando in Europam tranſlatum.

Digitized by Google

CAPVT XXIII.

Ionani Preſbyteri quando extinctum Imperium in Scythiâ & excitatum Tartariæ regnum.

Ex Orlandino l. 14. n. 104. Hiſt. Soc. Ieſu, & S. Antonino.

1. INter Aſiaticos Scythas, qui hodie ſunt Tartari, in prouinciâ Nataij, quam Scythiam extra Imaum Ptolemæus, recentiores Cataiam vocant, fuit princeps Chriſtianus, inter Aſiæ principes potens in primis, quem Tartari Ethnici Vneam, populares eius Chriſtiani Ionanum, detorto ab Iona Prophetâ nomine nuncuparunt: eundemq; Preſbyterũ quod crucem in otio, tranquilliſque rebus, indicem ſuſceptæ tutelæ pro Chriſti fide geſtaret, quam ſub armorum ſtrepitũ geminabat; alteram ſolido ex auro, alteram pretioſis è gemmis, atque lapillis elaboratam præferẽs, vt ſignificaret ſe & opibus & nobilitate cæteris orbis terræ principibus anteire; & Chriſtianæ religionis propugnatorem eſſe, inde ſibi ſpecioſum Preſbyteri nomen apud noſtros inuenit. Hunc igitur verum aiunt fuiſſe inclytum olim Preſbyterum Ionanum, eámque appellationem ad cæteros deinceps illius imperij ſucceſſores, ſicut apud Romanos Cæſarum permanaſſe. Huius imperij tanta ferebatur eſſe potentia, tantæque opes, vt duobus & ſeptuaginta regibus imperaret. Verum id imperium cum ad Regem Dauid perueniſſet, inſtigante Chingio quodã, exercitus regij duce, vectigales Scythas, ne tributum in poſterum penderent, defeciſſe volunt, belloque exorto, cum Dauid captus & deuictus interiiſſet, regnum ad Chingium perueniſſe, autorem defectionis & belli, anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſecundo, vel vt alij volunt 1202. altero & quadrageſimo anno ex quo Neſtorianam Ionanus hæreſim admiſerat, vt florentiſſimo ampliſſimóque regno nihil niſi capitalis illa peſtis, exitium attuliſſe videatur. Chingius autem, cum cæterorum regum nomen, quod velut hæreditarium pertinebat ad poſteros, reliquiſſet, Vlarcanum de Catayo appellari ſe maluit. Relictus tamen Ionanus è ſtirpe, modici Imperij Rex, vt quibuſdam ſcriptoribus placet, qui Neſtorianas reliquias vna collectas vltro fouit: quas Innocentius huius nominis quartus anno 1246. à poſteris Tartarorum regibus diuexatus, miſſis illuc è Dominicanâ familiâ patribus Magno Camo Tartarorum principi commendauit, cuius adhuc in regnis plurimi Chriſtiani è Neſtorij ſectâ reperiuntur.

Nataij.

Ionanus princeps Cataiæ.

Ionani Preſbyteri nomen & ornatus 72. imperabat regibus.

Hæreſis regnorũ profligatrix.

Vlarcanus de Catayo.

Chriſtiani plures apud Tartaros.

2. Addunt

2. Addunt Francorum annales circa annum Chriſti 1248. regnaſſe in Tartaria quemdam dictum Hyocay, cuius mater Preſbyteri Ionani filia erat Chriſtiana, cuius exhortationibus nec non cuiuſdam Epiſcopi, qui Malaſſias vocabatur, & ipſe rex & cum eo 18. filij regum, pluresque alij maximéque, belli duces Baptiſmum ſuſceperant. Chriſtianum ſimiliter quendam Ercheltay Tartarum qui in finibus Perſidis ab oriente imperabat. Sanctiſſimum vero Regem Francorum Ludouicum tum ad hunc Ercheltay, tum ad ipſum Chamum oratores miſiſſe, tranſmiſiſſéque per illos ſanctiſſimæ Crucis particulas, & pretioſum è purpurâ conopœum, Phrygio opere intertextum, in quo omnia quæ Chriſtus Dominus pertulerat ſupplicia, arte exquiſita eſſent expreſſa; Calices præterea, libros, ornamenta, omnemque ad diuina celebranda Myſteria ſupellectilem, vt eos in ſuſceptâ Chriſti fide confirmaret. His tamen ex parte diſſentit Cantipratenſis qui ait nullâ ratione Chamum ad Chriſtianam religionem, quamquam illius mater pietate exculta eſſet, adduci potuiſſe.

Nangius in geſtis S. Ludouici. Vincent. bell. l. 3. c. 93.

Cantiprat l. 2. c. 54. n. 14.

Tartarorũ Apoſtolus Malaſſias.

Sanctæ Crucis particulæ ad Tartaros miſſæ à S. Ludouico. Conopœũ exquiſitæ artis.

CAPVT XXIV.

Cataia.

1. NVmerantur hoc in regno vrbes mille & quingentæ quarum omnium Metropolis Cambalu (quibuſdam Iſſedon Serica Ptolemæi in long. 161. latit. 45. aliis in China) viginti quatuor vel vt aliis placet, 32. colligens paſſuum millia in circuitu, vbi frequens mercatus vnionum, Serici & Aromatum. Regis præcipuæ vires & diuitiæ conſiſtunt in auri fodinis, nec non in elephantis 400. aduectis à Malacâ. Incolæ barbam alunt prolixiorem, venuſti cæteroqui & elegantes; nulla cum rege loquendi facultas eſt, ſed ſcripto illi traduntur, cuiuſque placita, quibus ille non ore proprio ſed per aliquem ex Aulicis dat reſponſum. Nullus hic aduena admittitur, niſi obtenta à Rege facultate. Magiſtratus, iuſtitiæ in omnibus eſt tenax, in prædones maximè quos abſoluit nunquam.

Ex libris Hieronymi Xauerij l. 1 datis Labor anno 1598. & 1599. Aiton Armenus & Paulo Veneto, du Iarric de India orient l. 4. c. 16.

Cambalu.

Cataiæ amplitudo, mores, diuitiæ, iuſtitia.

2. Plerique omnes Ieſanitæ ſunt, hoc eſt, Chriſtiani, nonnulli quoque Meſſanitæ ſeu Iudæi, nec non Mahumetanæ ſectæ aliqui. Ieſanitarum Sacerdotes aluntur regiis ſumptibus, pullis veſtibus induti, diebus quibus licet operari, feſtis vero rubris, quibus plebem docent, maximè eos qui ſibi in

Ieſanitæ.

Digitized by Google

officio debent ſuccedere, galerum ſalutando, non aperiunt, ſed applicitis pectori manibus & intertextis mutuo digitis, quos deinde capiti ita innexos admouent, dum ſalutem dant alicui. Caſtitatem perpetuam colunt. Suntque præter eos ſacerdotes non pauci ibidem Chriſtiani, qui ab omni conſuetudine ſecluſi Auſterum vitæ genus agunt. Impenſis regiis ædificantur Eccleſiæ & labantes reſtaurantur, in iis cernere eſt plures imagines Sanctorum, & Chriſti Crucifixi.

Chriſtianorum in Cataiâ ritus.

CAPVT XXV.

Iaxartes.

1. QVem Scythæ Silin & Schittim appellabant, Bactri Iaxartem: Arianus, Suidas, Curtius, & alij qui res Alexandri proſecuti ſunt, Tanaim, nunc Tartari appellant Cheſel, fluuius eſt non Europæ & Aſiæ limes, vt vult Curtius, ſed orbis antiquitus noti verus terminus & victoriarum Liberi patris, Herculis, Semiramidis, Cyri & Alexandri meta. Influentium in mare Caſpium longè maximus. Oritur apud Comedos, & Sacas è monte Paropaniſſo, quem alij Caucaſum Indicum appellant in longit. 125. & latit. 43. poſt emenſa circiter quingenta ſupra mille minuta Geographica ſeu milliaria Italica, violenter exit in Mare Caſpium in longit. 100. latit. 47. Ripas eius & ripis hærentia poſſidebant olim Scythæ, vna gens, aliquot populi & nomina, Borealem quidem Sacæ, Comedæ, Maſſagetæ, & Iaxartæ, omnes Nomades, Auſtralem Sogdiani. pleriſque, mores vtcumque probi, quibus diu pro domibus fuerunt nemora, alimenta Baccæ. In Sogdianis tamen ponunt aliqui vrbes octo, alij pauciores, quæ ab Alexandro fuerunt expugnatæ, quarum præcipua fuit Cyropolis, Ptolemæo Cyreſcata, ad Demum amnem qui in Iaxartem fluit, cuius ſitum ponit in longit. 24 & latit. 43. 40. Deleta Cyropoli, & aliquot præliis 120. millibus Sogdianorum, medio quaſi itinere inter fontes Iaxartis, & Oxi in longit. 122. & latit. 41. in eo ipſo loco in quo Liber, Hercules, Semiramis, & Cyrus aras conſtituerant, Alexander vrbem condidit, quæ Alexandria tertia ſeu vltima appellata eſt, ad cóſtituendos ſuarum victoriarum terminos, ad quos promouiſſe itineris ſui metas, poſteri omnes duxerunt proximum gloriæ; dicitur vero tertia, quod duas alias in his partibus, excitarit, & vltima, quod omnium eſſet maximè orientalis. Ferunt etiam petras eum admodum altas, atque

Tanais Grecorum eiuſque incolæ. Sacæ. Comedæ. Maſſagetæ. Iaxartæ. Sogdiani. Cyropolis. Cyreſcata. Meta victoriarum Alexandri. Munitio inexpugnabilis in petra ſeu monte ex altiſſimis totius orbis.

Plinio. Solin. c. 72. Strabo l. 11 p. 510. Curtius l. 7 Strabo l. 11 p. 517. Solin. c. 52

atque munitas proditione accepiſſe, quarum vna fuit alta 15. ſtadia, ambitu 80. ſuperne plana ac Gleboſa & 400. viris alendis ſufficiens, aliam verò quæ dicta eſt, Sogdiana, duplæ altitudinis fuiſſe in longit. 135. & latit. 43.

Strabo l. 11 p. 514.

2. Has partes nunc obtinent Zagatai, omnium Tartarorum maximè vrbani, & diſciplinis exculti, ſic dicti ab eorum principe magni Chami fratre, qui in iſtis partibus imperauit. Dicuntur etiam Turcheſtan, quod Turcicam profiteantur impietatem, Mahumeto addicti, & Hieſelbas, id eſt, caput viride, quòd eius ſint ſectæ quæ Dulepano viridi, à Perſis diſtinguitur, qui dicuntur Cacebas, id eſt rubrum caput, nomenclatione deducta à coloribus, quibus tegumentorum capitis prælongi apices teguntur. Fines eorum ſunt fluuij Iaxartes & Oxus ſolidi, & maris Caſpij pars ortiua. Vrbes præcipui nominis ſunt Lop, à quâ itinere dierum quinque diſtat Ciarcian, caput Prouinciæ cognominis, quæ perpetua gerit bella cum eâ, cui nomen Caſcar, in qua plerique gemmarij artifices. Sequuntur ad Iaxartem vrbes Pain & Quotam in qua homines generoſi, & qui in Cataiâ negotiantur maximè Muſco. Caſcar autem vrbs eſt & prouincia, alij ampliſſimum regnum Tartariæ appellant, cuius caput dicunt aliqui Hircande alij, Yar-Chaun, vbi ſedes regis Caſcar celebre emporium è quo plurimum Xili Rheubarbari, & aliarum mercium peti ſolet, quæ merces pene omnes è Chinarum regno in hanc prouinciam ſubuehuntur; quippe quæ tantummodo trium menſium itinere à limitibus Chinæ abeſſe perhibetur. Barbam incolæ habent prolixiorem. Quæ huic regno proxima ſunt, vide alibi, vbi de fontibus Indi, & vbi de fontibus Gangis & in regno Tibet & lib. aliis.

Zagatai. Turcheſtan. Mahumetani alij Capitis viridis, alij Capitis rubri. Lop. Ciarcian. Caſcar. Gemmarij artifices. Muſci negotiatio. Hircande.

Vide quæ de his dicemus in China.

CAPVT XXVI.

Polycimetus amnis, Sogdianorum generoſus animus.

1. INter Iaxartem & Oxum, in mare Caſpium labuntur amnes Iaſtus & Polycimetus apud Ptolemæum, hunc Curtius vocat Polycimetum, aitque torrentem eſſe, quem ripæ in tenuem alueum cogunt, deinde cauerna accipi & ſub terram rapi, abſcondi autem iudicium eſſe, aquæ meantis ſonum, cum ipſum ſolum ſub quo tantus amnis fluit, ne modico quidem reſudet humore. Ferri autem per ingens ſpacium regionis, Sogdianorum, quam vaſtæ ſolitudines

Curtius l. 7. c. 24. Ptol. tab 7

Fluuius ſubterraneus.

Digitized by Google

tenent. Eum autem ſic deſcribit Ptolemæus, quaſi aperto vbique fluat alueo. Eodem vero loco Curtius hiſtoriam narrat, quam quia præter eum quem ſciam deſcripſit nemo, eam paucis accipe. Ex captiuis Sogdianorum, ad Alexandrum 30. nobiles corporum robore eximij perducti, vt cognouerunt per interpretem ſe iuſſu regis, ad ſupplicium trahi, carmen lætantium modo canere cœperunt. Admiratus rex tantâ magnitudine animi homines appetere mortem, eos reuocari iuſſit. Cauſam tam effuſæ lætitiæ requirit, illi, ſi ab alio occiderentur, triſtes morituros fuiſſe reſponderunt, nunc à tanto rege victore omnium gentium maioribus ſuis redditos, honeſtam mortem, quam fortes viri voto expetebant, carminibus ſui moris, lætitiáque celebrare. Quæro itaque an viuere velitis, inquit Rex, non inuiti mihi, cuius beneficio victuri eſtis? Illi nunquam ſe inimicos ei, ſed bello laceſſitos hoſtes fuiſſe reſpondent; ſi quis ipſos beneficio potius, quam iniuria experiri maluiſſet, fuiſſe certaturos, ne vincerentur officio. Interrogantique quo pignore fidem obligaturi eſſent? vitam quam acciperent, pignori facturam eſſe dixerunt, reddituros quando repetiiſſet, nec promiſſum fefellerunt: nam qui remiſſi domos ierunt, in fide continuere populares, & quatuor inter cuſtodes, corporis retenti, nulli Macedonum in regem charitate ceſſerunt.

Mortis contemptus.

Generoſum & prudens reſponſum.

CAPVT XXVII.

Oxus fluuius.

1. OXus nunc Albia, fontes habet in Caucaſo Indico, in lacu Oxo in longit. 119. 30. & latit. 39. multis in eum aquis influentibus vehementer auctus, per plana camporum, turbido fertur alueo, deinde vbi ad deſerta loca venit in confragoſa delatus ſaxa de ſuperioribus locis aquas ſic præcipitat, vt longius ſtadio abſiliens equiti relinquat ſpacium ad tranſitum, poſtea ſubter terram fertur amnis, rurſumque emergens, in conſpectum redit tandemque abit in mare Caſpium, in longit. 100. & latit. 43. 6. oſtio duplici inſulas complectens, oſtia diſtant ab oſtio Iaxartis ſtadiis 2400. ſi credimus Straboni, ſi vero Ptolemæo, minutis Geographicis circiter 636. Verum de his quæ in hac parte ſita ſunt, & tam longè à nobis remota, cautè adhibenda eſt fides, maximè ſi diſtantiæ locorum recitantur. Dum limoſus fluit & turbidus adeo potui eſt inſalubris, vt in Alexandri

Solin. c. 51. Plin. l. 6. c. 16. Polyb. l. 10 hiſt. p. 619. Strabo l. 11 p. 507. & 518 Ptol tab. 7

Cataractæ Oxi flu.

Oxus fluu. ſubterraneus.

exercitu

Digitized by Google

exercitu multo plures, ex eo intemperantius hauſto, quàm vllo prælio interierint. Cum autem latitudo eius extenderetur, ad 6. ſtadia, & profundior eſſet, curſuſque, tam rapidi vt facilè, quæ vado infixa fuerant ſubuerteret. Materia etiam pontibus ſtruendis deeſſet, Alexander collectis pellibus, ſub quibus milites in tentoriis degebant, ſarmentis quam maximè ſiccis eas impleri, accuratéque vinciri & conſui iuſſit, ne aquam ex vlla parte admitterent, quibus ita obligatis exercitum 5. dierum ſpacio traduxit. Præcipui amnes qui in eum ex Paropaniſſo, & ex Sgodiis montibus fluunt ſunt Dargidis. Dargomanis cum Ocho, Margus & alij. Vnde fit vt nullus ſit in Aſiâ fluuius maior Oxo (ſi Indicos excipias) nauigandique magis commodus, hinc multæ merces Indicæ, per eum deuehuntur in mare Caſpium, indeque in Albaniam tranſportantur per Cyrum & loca quæque deinceps ſunt, in Pontum Euxinum perferuntur.

Curtius l. 7 cap. 25. *Arianus lib. 3.* *Strabo l. 11*

Pons Alexandri ad Oxum ex pellibus. Mercatus ex India per Oxum.

2. Borealem olim eius ripam, Sogdiani incolebant, Auſtralem Bactri ad Taurum montem.

Duæ huius tractus vrbes nunc præcipuæ, ſunt Zahaſpa in Boreali oſtio Oxi ſita, ad quam multi mercatores confluunt ex India & Cataiâ eſtque ſedes Cami vnius, ſectæ capitis viridis; Auicennæ creditur patria.

Emporium celebre. Auicennæ patria.

Ad Dargomanem vero in longit. 112. & latit. 39. 15. ad radices Paropaniſſi, fuit Maracanda regia, ad quam Alexander dimicans, ſagittâ ictus eſt, quæ in medio crure fixa, reliquit ſpiculum. Samarcanda, poſtea dicta fuit & Zagataiæ regionis Metropolis, & in amplitudine ſtructura ædificiorum, rerumque omnium copia, cæteris eius tractus vrbibus antecelluit, quando Tamerlanes, hic natus patriam ſeneſcentem & dirutam inſtaurando, atque augendo immenſis opibus, & ſpoliis deuictarum ab ſe gentium exornauit, poſtquam Baiazetum anno 1397. cum exercitu numeroſo cepit, & per omnem Aſiam cauea incluſum circumduxit. Celebrabantur vero antiquitus plures, aliæ vrbes quas Alexander vel deleuit vel ædificauit, quales fuerunt Dreſpa Metropolis Sogdianorum, Alexandria Oxiana & Bactra regia hodie Ephra ſita in longit. 110. & latit. 41. quam Bactus amnis, qui & vrbis regioni nomen dedit, perluit.

Curtius l. 7. c. 14. *Plutar. 2. de fort. Alexand.*

Dreſpa. Alexandria. Oxiana. Bactra.

Digitized by Google

CAPVT XXVIII.

Bactria.

Bactria regio mire fertilis. Vitis caudex prægraſſus. Olei fons.

1. BActrianæ terræ multiplex & varia natura eſt. Alibi multa arbor & vitis eſt, quarum nonnullæ caudicem habent, quem duo viri vix queant complecti; quæ largos miteſque fructus alunt. Solum pingue crebri fontes rigant: à fodientibus prope Ochum inuenta olei ſcaturigo, licet olei ferax non ſit regio. Quæ mitiora ſunt, frumento conſeruntur; aut armentorum pabulo cedunt, tantáque hominum & equorum multitudo gignitur, vt mille in eá vrbes, numeratas contendat Iuſtinus. Certe Oxiartes Bactrianorum rex, contra Ninum qui primus Bactrianis bellum intulit, quadringenta millia eduxit, & de copiis Nini centum millia interfecit, numero tamen à Nino demum oppreſſus, & victus contra Alexandrum 30. millia equitum Bactriani expleuerunt. *Curtius l. 7. c. 7. Strabo l. 11* *Iuſtin. l. 41*

Exercitus ingens Bactrianorum contra Ninum.

Cameli duplicis generis eorum natura & genium.

2. Camelos etiam fortiſſimos gignit hoc ſolum, qui in hoc differunt ab Arabicis, quod Arabici duo tubera, in dorſo habent, ſingula Bactriani. Hi nunquam pedes atterunt, ſunt aliqui oneri ferendo accommodati, alij perniciores, ſed nec illi vltra iuſtum pondera recipiunt, nec iſti vltra ſolita ſpacia paululum aliquid volunt progredi. Sæuiunt cum Venerem requirunt, oderuntque equinum genus. Sitim etiam quatriduum tolerant, verum cum occaſio bibendi data eſt, tantum implentur, quantum & ſatiet deſideria præterita, & in futurum diu proſit. Lutulentas aquas captant, & proculcatione limum excitant vt turbetur, homines vehunt interdum 5. iacentes in lecto, horum lac potant Bactri. Durant in 100. annos niſi forte tranſlati, inſolentiâ mutati aëris morbos trahant. Ad bella fœminæ præparantur, & ſic caſtrantur, vt & genituræ tollatur cupido, & fiant validiores. Cameli matres nunquam ineunt ſuas. Cum aliquando Curator non haberet admiſſarium, pullo matrem opertam admouit ad initum, verum delapſus operimento, agnita matre pullus Camelarium morſu interemit. *Diod. Sic. rerum antiq. l. 2. c. 23.* *Solin. c. 23.*

Magnam etiam partem eiuſdem terræ ſteriles arenæ tenent. Cum vero venti ſpirant à mari, quidquid ſabuli in campis iacet, conuerrunt, quod vbi cumulatum eſt, magnorum collium procul ſpecies eſt, omniaque priſtini itineris veſtigia intereunt. Anno ante Chriſtum 250. Theodotus

dotus

Digitized by Google

dotus mille vrbium Bactrinarum præfectus, cum defeciſſet, Regémque ſe appellari iuſſiſſet, illius exemplum ſecuti Parthi & totius orientis populi, à Macedonibus ſimiliter defecerunt. Quibus impunitatem dedit duorum fratrum regum Seleuci & Antiochi diſcordia.

Iuſtin l. 41 Euſebius.

CAPVT XXIX.

Tamberlani Scythæ Imperium.

Petr. Perondinus in eius vita. Calchōdil. in reb. Turcicis. Petr. Biſarrus in Perſicis. Heroldus in confinia belli ſacri l. 6.

1. DE Tamberlani nomine & origine mira inter auctores diſſentio, quem enim Latini Tamberlanem & Tamerlanem dicunt, hunc Græci Temirem, Turci Temir Chaam aut Temirlane, quod claudum ſignificat, appellant. Volunt quippe claudicaſſe propter lapſum è muro, quem ad furtum committendum aſcenderet. Tartari Temir Cuthlu, hoc eſt fortunatum gladium. Aiunt autem fuiſſe natione Scytham ſeu Tartarum patre pecuario in Sogdianis montibus natum, regémque à paſtoribus, inter quos agilitate & ſagittandi peritiâ eminebat, per ludum creatum, in ſua verba eos iurare compuliſſe, moxque cum armatorum manu non contemnenda, Sogdianâ occupatâ, prædam inter Commilitones magnâ æquitate diuiſiſſe. Deinde in Perſidem ducentem, miſſum aduerſum ſe à rege Perſarum ſtrenuum ducem cum mille equitibus, deuinxiſſe ſibi, inuictíſque copiis, Perſarum regis fratri de imperio cum eo contendenti, ſuppetias ferendo, necato Rege, in ſolio eum collocaſſe, & in præmium tanti beneficij ab eo cunctis Perſicis copiis præfectum eſſe, quarum paulopòſt ope, nouum ipſum regem apud Tauriſium, Perſidis regiam, vna cum liberis omnique cognatione cum obtruncauiſſet, regnum ſibi aſſeruiſſe.

Nomen. *Dotes animi & corporis.* *Victoriæ.*

Dein Parthicam petiiſſe regionem quo Saracenorum incurſiones comprimeret, demumque eo potentiæ perueniſſe, vt nulla gens & natio fuerit inter Imaum montem, mare Caſpium, Ægeum, & Rubrum, quæ ab eo non fuerit domita. Occurrentem vero ſibi Baiazetem Turcorum Imperatorem cæſis 200000. Turcis viuum in poteſtatem redegiſſe, & incluſum caueâ, feræ inſtar, ad ludibrium circumduxiſſe, donec ille è tantâ calamitate ſibi quæſiuit exitum voluntariâ morte.

Limites Imperij.

2. Tartaricam hanc excurſionem, cladem que Baiazetis annales Turcici anno Hegiræ tribuunt 804. qui anno cœpit

Chriſti 1401. Aiunt vero in oppugnandis vrbibus hæc obſeruaſſe vt primo die candidum tentorium in caſtris figi iuberet, quo certo ſcirent, ſi ſtatim ſe dederent, clementiæ locum inuenturos eſſe, ſecundo coccineum, quo cæteris incolumibus, maiores tantum cunctationis pœnas daturos: Tertio denique nigrum quo ad vnum omnes etiam lactantes perituros intelligerent. Cum autem in caſtigandâ militum licentiâ eſſet maximè ſeuerus, ad eius caſtra non ſecus quam ad celeberrima Emporia merces omnis generis deuehebantur.

Vexilla tria. *Mirus ordo in caſtris.*

Pro inſignibus ſumpſit tria o o o vt ſignificaret fore ſe dominum trium partium orbis terrarum. Cum Baiazete conflicturus, milites dicitur habuiſſe 800000. & vt contraham in pauca, quæ fuſius à pluribus ſunt deſcripta. Termicum Chanem, prælio Tartarico ſuperauit, & Sultanum Babyloniæ Achmetem. Sebaſtiam Cappadociæ & Smyrnam deleuit. Damaſcum & Alepum innumeraſque vrbes alias cepit. Cum de India cogitaret, è viuis exceſſit anno Chriſti 1402. fuit cum omnibus omnium ætatum maximis quibuſcumque Imperatoribus comparandus, cum nullâ vnquam expeditione, nullo certamine, nulla rei gerendæ ſuſceptione aduerſam fortunam ſenſiſſe reperiatur. Narrant Arabes trucis fuiſſe aſpectus, dextrâ manu baculo ſe ſuſtentaſſe, non ob claudicationem, ſed ob paralyſim ſiniſtri lateris, pileum altum geſtaſſe, cum magno lapide pretioſo in ſummitate, indutum promiſſa veſte, cum perula & Zona pendente, mentique ac malarum crinibus illigatos gemmarios lapillos.

Inſignia tria ooo. *Numerus militum.* *Mors.* *Barba Tamerlani lapidibus pretioſis ornata.* *Nicenus apud Spur. a. 1402. n. 2.*

3. Reliquit duos filios, neque indole neque fortuna eadem. Sachrucus tamen natu maior, æquitatis ſtudioſus fuiſſe dicitur & fœderibus cum vicinis iunctis pacificè aliquot annos regnaſſe. Paianguremque minorem natu, fratrem à Ioſepho quodam Armeniâ exturbatum reſtituiſſe. Eo vero mortuo diſſidiis inter eundem ac nepotes ortis, ampliſſimi regni opes ſenſim diſſipatæ ſunt, diuiſionibus domeſticis & quibuſdam ſua repetentibus.

Poſteri eius. *Calchondilus l. 3. Contin. bell. ſacr. l. 6. c. 5.*

De natalibus Tamerlani non omittendum, Alchacenum Arabem, qui eius vitam ſcripſit, referre, eum regio Tartarorum ſanguine ortum, fuiſſeque principem Samarcandæ, corpore elegantem ſcientiis excultum, caſtitate, humanitate, & æquitate inſignem quæ plurimum differunt ab iis, quæ Turci de eo vulgarunt. Quomodo autem ex eius poſteris ortum ſit Mogoris imperium ſuo loco deſcribemus.

Natales Tamerlani.

CAPVT

CAPVT XXX.

Pylæ durues & regnum Candahar ad Bargomanem fluu.

1. FLuuiorum, qui in Oxum influunt, præcipuus eſt Darſgomanis, ad quem ſuperius dixi ſitam Samarchandam. Oritur è cubito montis Paropaniſſi, qui Indos ſeparabat à Bactris & Indiam ſeu regnum magni Mogolis à regno Perſarum. Hic ſunt in Paropaniſſo Pylæ ſeu anguſtiæ dictæ Durues, paucis millibus diſtantes à Samarchanda, in quibus pauci admodum plurimos poſſunt morari & ſiſtere. In montanis degunt populi maximè feroces, quos Puttanes, & Aggunanes vocant, robuſto corpore & colore candidiore, quam vulgo ſint Indi, verum furtis, latrociniis & inſigni crudelitate infames qui nec ſibi timent à Mogole.

Paropaniſſus eiuſque deſcriptio. *Pyla Durues.* *Puttanes.*

2. Superatis anguſtiis, peruenitur ad regnum Candahar, quod medium perluit Bargomanes iam ab ipſo fonte. Regno nomen dat Candahar antiquum opidum admodum potens, & antiquitate illuſtre quod priuſquam Za Abas Rex Perſiæ illud eriperet Mogoli, incolebant Baniani, reſidebatque in eo præfectus prouinciæ, cum præſidio 15. millium equitum, nomine magni Mogol, ad compeſcendas excurſiones Perſarum Aquilonarium. Eſt enim ad confinium prouinciarum vrbs, regni clauſtrum, ingenti ac præcipiti rupe munita ad occidentem, ad Auſtrum vero mœnibus, vt & ad Orientem, validiſſimis cincta. Creuit autem ad magnitudinem vix credibilem gliſcentibus bellis inter Indos & Luſitanos. Per eam enim omnes Carauennas ſiue agmina mercatorum, qui in Perſide & Indiâ negotiantur, ſiue eant ſiue redeant diuertere neceſſe eſt. Præterea & Perſæ & Indi noua hic iumenta ad reliquum iter ſibi conducunt, nec fas eſt ſine proregis permiſſu hinc diſcedere. Quamuis autē & vrbs & vniuerſa prouincia, rebus omnibus ad victum neceſſariis abundet, ob nimiam tamen mortalium copiam pleraque hic magno pretio venduntur, quia inter hanc vrbem, & Hiſpaham Perſarum regiam admodum eſt infœcunda regio, nihilque pene eſt herbidi propter aquarum penuriam, & quæ adhuc vt plurimum ſunt & ſalſæ & inſalubres, vnde fit vt & proficiſcantur minoribus agminibus, qui hac iter ſuſcipiunt, & per montium ſterilitatem cibaria ad dies aliquot ſecum ferant.

Candahar emporium celebre. *Baniani.* *Præſidiariorum 15. millia.* *Carauennæ.*

Digitized by Google

CAPVT XXXI.

Imperium de Sopo.

1. EX literis à patre Andradâ, noſtræ ſocietatis, datis ex regno Tibet, anno Chriſti 1626. nouimus ampliſſimam Tartariæ magnæ vaſtitatem à Moſcouiâ excurrere ad Sinas, diuiſam in plura quam 100. regna, quorum reges parent, magno Imperatori de Sopo, & regi de Tibet, de quorum moribus, multi ſcripſerunt.

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS.

Continet Aſiam in Tauro, & Aſiam Peninſulam.

CAPVT I.

Sophorum Imperium.

Ex Spandugino in eius vitâ. Angiolello in geſtis Vſumcaſſani Barroſo in ſua Aſia. Bizarro de reb. Perſic. Paul. Iou. l. 14.

CVm duro Tartarorum iugo iam ab anno 1250. æræ Chriſtianæ premerentur Perſæ; quidam Iſmaël, Vſumcaſſani ex filiâ nepos, & filius Sicaidaris, cui agnomen Harduellis, ab oppido cuius erat regulus, qui præter originem quam repetebat ab Hali Patruele, & genero Mahometis, Saracenorum & Turcorum legiſlatoris, credebatur etiam diuino afflatus ſpiritu: hic inquam Iſmaël oris ſpecie, facundiâ, animi magnitudine, nec non famâ ſanctitudinis præſtans, proptereáque à popularibus ſuis dictus Sophus, quaſi eſſet Dei & ſectæ Halis interpres ſapientiſſimus, dum videt bella acerbiſſima, quibus ardebat Perſia, propter odia, quibus, Vſumcaſſani, poſterorum aliqui ab aliis diſſidebant, ſub ſpecie paternos agros & modicum illud imperium, quod dotale matris fuerat, repetendi, reipſa autem voluens animo, qua arte Perſarum imperium poſſet obtinere, Tauriſium regiam in varias partes diſtractam, ex improuiſo occupauit; moxque eductis copiis ſeparatim diſcordes fratres vicit & breui potitus eſt regno, interfecto in acie Aluante, Vſumcaſſani ex filio Iacupio nepote: ſequentibus annis, Babyloniam, Seram, & omnem Meſopotamiam adeptus eſt, Chamum Tartarorum debellauit & maximam orientis partem victricibus armis peruadens, longè latéque fuſum circa mare Caſpium conſtituit imperium, quod ab hoc Iſmaële Sopho, regnum Sophorum appellamus, quod ab anno 1499. ab Iſmaële Sopho conſtitutum in hodiernum vſque diem, obtinent eius poſteri.

Imperio Sophorum initium dederunt.

Iſmaël Sophus vi armorum.

Vſumcaſſani poſteri.

2. Dum autem arma circumferebat Iſmaël, Techellis vnus ex diſcipulis Harduellis, propter famam ſanctitudinis multorum ore iactatus, per prouincias diſcurrens, cum con-

Mahometi ſectæ 72. ſtaret ex Alcorano, Mahometanam ſuperſtitionem eſſe in 72. partitam ſectas, quarum vnica ad æternæ beatitudinis ſedes duceret, reliquæ ad orcum detruderent, Sophianam ſolam veram eſſe prædicans, miſſúmque ſe à Deo vt [illegible]m hominibus propalaret, cæteraſque deſtrueret: moxque accedente mandato Iſmaëlis quo edixit, ſe pro hoſtibus habiturum eos qui intra trigeſimum diem, antiquos ritus minimè reliquiſſent, illico omnes vſi ſunt toroſi limbi petaſo rubro, perſimili ei, quo ipſe Techelis caput velabat, vt ſic eius aſſeclæ diſtinguerentur à Turcis qui Album, & à Tartaris, qui viridem puluinatæ oræ Galerum induebant, & quia hoc genus petaſi non conſtabat ex lino vt cæteri, ſed ex lanâ, conuenerunt, vt Sophiani omnes dicerentur, cùm propter vocem Arabicam, Sophi, quæ lanam, ſignificat, tum quia huiuſmodi rubro Galero ſe Iſmaëlis Sophi ſubditos profitebantur.

Dulipani triplex genus album viride & rubrum.

CAPVT II.

Margiana nunc Karaſon; & Aria, nunc Eri.

1. AMbitu ſtadiorum mille quingentorum, Amœni montes, Tauri Cubiti, & mare Caſpium, nec non arenoſa ſolitudo, in faciem theatri, claudit regionem inclytam cœli ac ſoli commodis, dictam olim Margianam, à Margo amne, qui per eam lapſus miſcetur Oxo. Hîc vites ſæpius repertæ, cuius ſtipitem vix duo homines complectebantur: Racemi vero duorum cubitorum longitudinem implebant. Arbor item eſt, à quercu non multum differens, ex cuius frondibus mellis guttæ defluunt, quæ ſunt vtiles ad vſus vitæ plurimos. Regionis amœnitatem Alexander Macedo vſque eo miratus eſt, vt ibi primum Alexandriam condiderit, quam mox à Barbaris exciſam Antiochus reformauit, & Antiochiam dixit, & de nuncupatione familiæ ſuæ Seleuciam, cuius vrbis circuitus diffundebatur ad ſtadia 75. ſita eſt apud Ptolemæum ad Margum fluuium, in longitudine graduum 106. & latit. 40. 20. Malwoh aliqui nunc dicunt.

Solin. c. 61 & Plini. Strabo l. 11 p. 516.

Racemi duorum cubitorum. Arbor mellea. Alexandria Margiana. Seleucia.

Texeira l. 1. c. 12.

2. Fuit & alia vrbs dicta Ptolemæo Rhea in longit. 102. latit. 40. 30. nunc Maxet, caput prouinciæ Karaſon, tantæ amplitudinis, vt centum mille incolas dicatur habere, intra pomœrium, quod ad leucas ſex patet; Perſarum Reges hic mandantur ſepulturæ, iam à Sopho Xa Iſmaële. Viſiturque turris,

Rhea maxet. Sepultura Sophorum.

Digitized by Google

Relatus. Dom. Iuan. de Perſide.

Turris ex auro ſolido.

turris ex auro ſolido alta vnam haſtam cum media, in cuius ſummo, ſunt varij arcus, ex lapidibus pretioſis, quibus ſupereminet carbunculus, magnitudinis vnius caſtaneæ, cuius ſplendor noctu ad ſpacium vnius leucæ emicat.

Carbunculus cuius ſplendor ad leucam emicat.

Aria.

3. Marginanæ & Bactrianæ contermina eſt Aria ad Auſtrum, Paropaniſſo, Bagoo, & Maſdorano montibus cincta, non ſic tamen quin ex vna in aliam regionem pateat aditus. ipſi nomen ab Ario fluuio, qui antequam effluat, abſorbetur ampliſſimo lacu ſeu voragine olim dicto Aria, nunc Burgian: Longitudo Ariæ ſtadiorum eſt circiter bis mille Latitudo campeſtrium trecentorum. Regio eſt Ambuſta feruoribus, deſertiſque circumdata, multâ tamen interfusâ opacitate, eſtque vini boni ferax, quod in tertiam vſque ætatem durat in vaſis non picatis Quod Strabonis dictum interpretantur, qui has partes viderunt ad 90. annos: abundat & Rubarbaro & Muſco. Vrbes olim in eâ fuerunt, Arctacana, Alexandria, Achaia, nomina, à conditoribus habentes. Alexandria patebat ad ſtadia triginta. Arctacana ad 50. Præcipua tamen vrbs fuit Aria, in longit. 105. & latit. 35. dicta nunc Eri, & Perſis Sargultzar, hoc eſt vrbs roſarum, quod tanta ſit earum copia, vt Culcitras in quibus decumbunt, noctu, roſis repleantur. Numerantur in ea vrbe domus circiter ſeptem mille, tantaque eſt Serici copia, vt vnâ die Camelorum: onera quater mille poſſint educi circum ambiente piſcoſo lacu egregiè munitur, & cyani lapilli, quem Turchinam vocant, prouentu nobilitatur.

Burgian lacus.

Vinum tertiæ ætatis.

Ætas quotannis definitur.

Rubarbarũ & muſcum frequens.

Eri.

Roſarum vrbs.

Anani, Truc. Barthen. de Perſ. c. 4. Iouius l. 14

Serici ingẽs copia.

Turchinus lapis.

CAPVT III.

Hyrcania hodie Mazandaran & Geilan.

Coronus mons.

1. HYrcaniæ limites à naturâ præſcripti, ſunt montes Coronus, ver Baſaraſi, & Maſdoranus ver, Chiteliur, Oxus fluuius & litus maris Hyrcani, ab oſtio Oxi per centum & amplius leucas, ſeu maiores gradus pene ſex exporrectum. Solum eſt amplum admodum, ex alto ſe paulatim ſubmittens, & in vallem longiſſimam procumbens, pars inculta & ſyluis horrida, pars fructuum vbertate cæteras longè ſupereminet, vnaquæque enim vitis producit, vini Mettretam ſeu Cadum, hoc eſt Congios 10. ſiue ſextarios 60. Et ficus 60. medimnos exſiccatarum ficuum: frumentum, ex ſemine, quod ex ariſtâ excidit naſcitur copioſum: in arboribus ſunt Apiaria, melque de foliis defluit. Vrbibus

Hyrcaniæ mira vbertas.

Sicul. l. 7. p. 148. Strabo.

Arbores melleæ. ſemper fuit memorabilibus prædita, etiam temporibus *Iouius l.14* Strabonis & Ptolemæi. Præcipuæ nunc memorantur in maritimis Straua & Sandara, bombicum & pexi ſubtilioris Serici copia claræ, ſed propter vadoſa, admixtiſque dulcibus aquis paluſtria loca peſtilentes. Ab vrbe Strauâ non longè à mari Hyrcano ſita pars Hyrcaniæ Orientalis, dicitur Strauena, quæ licet frumenti inops ſit, tamen vix poteſt credi, quantam vim habeat Oryſæ, perdicum, & Serici, quod per Ruſſiam delatum in Europam, Itali vocant Sericum Strauenum. Metropolis tamen eſt Mazandaron, in quâ numerantur ciues 50. mille omnes ad bella nati, nomen communicat ſuum occiduæ parti Hyrcaniæ. Darij quondam regia fuit in Hyrcaniâ Metropoli in longit. 98.30. latit. 40. ad flumen Maxera, nunc Mimamerza, dictum. Quando eam occupauit Alexander, ipſum conuenit Amazonum regina, impurior ad Venerem fœmina, Trecentis fœminis comitata, ſobolis causâ, ab ipſo Termodonte fluuio profecta.

Straua & Sandara.

Sericum Strauenum.

Mazandaron.

Darij regia.

Curtius l. 6. c. 10. Iuſtin. l 12

Amazonum regina.

2. Pars Hyrcaniæ inculta, ſyluis horrida eſt & immanibus multis Tygribus, nec non Pantheris. Tygres maculis ſunt inſignes & pernicitate, fuluo nitent, nigrantibus ſegmentis interundato, varietate apprimè decenti, tam vero ſunt pernices, vt longè progreſſum equitem conſequantur, catulorum profugus raptor, nunquam euaderet, niſi vnum de pluribus abiiceret. Hæ enim dum proiectum ad cubilia referunt, rurſumque ſæpius remeant, tandem ad tutiora ſe recipit. Minutis ex fuluo cæruleóque orbiculis ſuperpictæ Pantheræ, tergi pellis alba, odorque armenta mirè afficit, quando autem præſentiſcit, properato animalia varia conuenire, nec terreri, niſi ſola oris toruitate, caput abſcondit, & ſpectanda tantum præbet, quæ corporis reliqua ſunt, moxque ſtupidos greges populatur.

Solin c 21. & Mela.

Tygrium & Pantherarũ deſcriptio.

3. Zioberim amnem omni admiratione dignum, in his partibus ſic deſcribit Curtius, è radicibus montium effunditur poſt tria ſtadia, ſaxo quod alueolum interpolat, repercuſſus, duo itinera velut diſpenſatis aquis aperit, inde torrens, & ſaxorum per quæ incurrit, aſperitate violentior, terram præceps ſubit, per 300. ſtadia conditus labitur, rurſuſque velut ex alio fonte conceptus, editur, & nouum alueum intendit, priore ſui parte ſpacioſior, quippe in latitudinem 13. ſtadiorum diffunditur, rurſuſque anguſtioribus coërcitus ripis iter cogit, tandem in alterum amnem cadit, Rhidigo nomen eſt, quæcumque demiſſa ſunt in cauernam quæ propior eſt, rurſus vbi aliud os amnis aperitur, exiſtere

Ziobéris fluuij ſubterranei deſcriptio.

Curtius l. 6 c. 5.

expertus

Digitized by Google

expertus eſt Alexander, duos Tauros qua ſubeunt aquæ terram, præcipitari iubens, quorum corpora rurſus alio ore eruperunt.

4. Geilan aliud Hyrcaniæ oppidum non longè à mari Caſpio ſitum, nomen etiam dedit prouinciæ, cuius pars, quæ ad ſeptentriones vergit, denſis nemoribus opaca eſt, in quibus tanta ferarum eſt copia, vt itinera infeſta reddant, ad oram tamen maris, abundat paſcuis peramœnis, & riguis, propter ingentem copiam ſcaturiginum, quæ è vicinis montibus ſaliunt. **Geilan.**

5. Ad Auſtrum prouinciæ Geilan eſt Sultania, vrbs quæ nomen ſortita eſt à Sultanis, quod Perſiæ quondam fuerit regia, Sultanique ſedes: quatuor millia ambitus complectitur, fontibus abundat, nec infrequens eſt. Integra adhuc ſunt per celebris ſtructuræ, Mahometanorum delubra, quibus Tamerlanes Scytharum Imperator, cuncta obuia immaniter euertens, tactus religione pepercit: Sita eſt in planicie, cui contigui ſunt montes perpetuâ niue tecti, hic continui, alibi diuiſi. Amplâ arce munitur, in vrbe tres portæ Æneæ conſpiciuntur Damaſceno opere elaboratæ. Aiunt vero, tempore hiberno, in tantum frigus ſæuire, vt incolæ migrent alio. Plures in his partibus ſunt pagi, incolis frequentes, multæque viſuntur templorum ruinæ à Chriſtianis olim mirifice ſtructorum, cum celſis turribus. Ante vrbem iacet patentiſſima planicies, horrenda tempeſtate memorabilis, quæ Solymanem anno 1534. ſic afflixit, vt ingens multitudo eius exercitus præ frigore, ex inundatione, proximi amnis Docus-Gezid interierit. **Sultania.** *Leuncla.* *Paul. Iou. l. 14.* **Portę Æneæ operis Damaſceni.** **Exercitus Solymani præ frigore interiit.**

6. A Sultaniâ ad Caſbin ſeu Kaſuin quatridui iter eſt per plurimos pagos, ſita eſt in longit. 85. & latit. 36. in amœnâ & fœcundâ valle, quæ quatridui iter patet in longum, quæque duo millia villarum numerat. In hanc vrbem Perſarum Imperator Xa Thanaz ſedem ſuam tranſtulit, poſt Tauriſium vulgo Tabris captum & direptum à Turcis. Supra centum millia oppidanorum numerat, quorum ædes, ſtructæ è lateribus ad ſolem duratis, vt ferè ſunt omnia per totum regnum ædificia. Magnificum in eâ ſibi conſtruxit palatium Imperator & aliud concubinis. Palatij porta ſaxis verſicoloribus & auro fulget. Atriorum ſolum ſtratum eſt Tapetibus Serico & auro intertextis, tabulata eleganti opere Picta, prælia omnia cum Turcis & Tartaris commiſſa à Perſarum regibus repreſentant. Variæ ſunt in vrbe plateæ, in quibus ſingulis ſingulæ merces precioſæ venales reperiuntur. **Caſbin.** *Texeira.* **Tauriſium.** *Ioannes de Perſia.* **Palatij Tauriſij deſcriptio.**

præcipuum forum eſt quadratum, in eo conſident duodecim menſarij, qui gemmas & alia precioſa vendunt, nummos peregrinos mutant, vel pignoribus acceptis, ingenti fœnore elocant. Robur vrbis non in mœnibus, ſed in milite, nam in illius agro aluntur, continenter, equitum viginti millia.

Præſidiariorum 20. millia Tauriſij.

Com vaſta vrbs.

7. A Caſbin ſex dierum itinere ad opidum Com peruenitur per plurimos pagos & commodiſſima iuxta viam diuerſoria: opidum hoc antiquiſſimum eſt. Exiſtimatur Guriana Ptolemæi, fertur fuiſſe tantæ amplitudinis, vt Conſtantinopoli duplo maius eſſet, ſed illud ſic vaſtauit Tamberlanes, vt ne nunc quidem reſpirare potuerit, licet omnibus abundet, & præterlabatur fluuius, qui lapideo ponte hic tranſitur, eoque tranſmiſſo Parthia aditur. Incolæ colendis agris & vinetis vacant. Plures hic viſuntur horti, in quibus naſcuntur optimi melones, quorum aliqui pendunt 30. libras carne candida melliti & aromatites: focorum numerat 20. millia.

Ex itinerario Ioannis Carthwrigti Angli.

Ex Ioſephato Barbaro.

Melones 30 librarum.

8. A Com ad Caſſan, bidui iter eſt, formoſum & opulentum opidum in pulchrâ planicie ſitum in longit. 86. latit. 34. verum quia montes vix diei itinere diſtant, pene hic æſtuat vt Ormuzij: abundat tamen fontibus, & omni genere annonæ, atque adeo ſingulare eſt Perſiæ emporium, ad quod omnis generis merces deportantur. Oppidani excellunt omni genere texturæ, è Serico & lanâ, adeo vt hic precioſiſſima periſtromata conficiantur. Nulli hic otioſi tolerantur etiam ſexennes, pueri laboribus admouentur, ſinguli que apud magiſtratum coguntur profiteri, quam artem exerceant. Si mentiuntur, ſub plantis pedum caſtigantur, aut publicæ ſeruituti mancipantur; vnica hic ſcorpionum lues qui permagni & nigri.

Caſſan ſingulare emporium Perſiæ.

Ex itinerario Ioannis Carthwrigti Angli.

Periſtromata precioſiſſima.

Otioſi nulli in vrbe Caſſan tolerantur.

CAPVT IV.

Parthia ad Auſtrum Hyrcaniæ ſita. Arſacidarum Imperium.

1. HYrcaniæ ad Auſtrum ſuccedit Parthia figuræ quadratæ vel potius Rhombi, cuius ſingula latera maiores gradus ſex, hoc eſt 120 leucas, obtinent. Montibus Corono ad Boream & ad occaſum, Maſdroano ad ortum, & parchoatra ad Auſtrum, ſic vallata, vt in eam duntaxat, patens faciliſque ſit aditus per Caſpiam portam, qua tranſitur in Mediam in longit. 94. lat. 37. cum eam exules quidam è Scythiâ incolerent, dicta eſt Parthia, quod Scythæ exules Parthos

Parthiæ ſitus & nomen.

Ptol tab 5. Aſiæ.

Caſpia porta.

Digitized by Google

Parthos vocent, apud Curtium & Stephanum dicitur, Parthyæna & Parthiene, à Boreali eius parte quæ propriè hoc nomine appellatur. Regio eſt denſa ſyluis, montoſa & ſic inops vt reges ſtipatores ſuos curſu eam prætervehi iuberent, quod ne ad breue quidem tempus alendis par eſſet.

Parthiana.

Regio inops.

Strabo l. 11 & 14. Iuſtin. l. 41 Euſeb. Solin. c. 69

Alexandri æuo leuia obſcuraque genti principia fuerunt, vſque ad annum ante Chriſtum 250. quo Arſaces Scytha vir ſicut incertæ originis, ita virtutis expertæ, Dais Parnis (hoc eſt Margianis) imperans Macedonum gratia, cum accepiſſet deuictum in Aſiâ Seleucum, à Macedonum Imperio receſſit, & Parthiam ſibi proximam inuadens oppreſſo Andragora Præfecto, ex ea Macedones eiecit anno 292. poſtquam Perſicum regnum obtinuerant.

Strabo l. 11 p. 115. Suidas verbo Arſaces.

Arſaces Parthorum rex primus.

2. Cum autem Romanis nihil admodum curæ eſſent ea, quæ extra Taurum fiebant, factum eſt vt ipſe & eius poſteri qui omnes ab eo dicti ſunt Arſacidæ, ita viribus aucti ſint, vt regna duodeuiginti obtinuerint, & quidquid eſt inter maria Hyrcanum & rubrum, cis Euphratem, ad Babyloniam & Arabas in ſuam poteſtatem redegerint, tantumque poſſeuerint terræ, vt Romanorum potentiæ quodammodo fuerint pares. Medis ac Babyloniis imperarunt, Armenios etiam circa annum Chriſti 54. ſibi ſubiecerunt, ſed ad breue tempus. Romanorum amicitiam coluerunt, Craſſo bellum ipſis inferenti fortiter reſtiterunt eoque mortuo de Romanis trophæa erexerunt ante Chriſti 53. redintegratâ poſtmodum amicitiâ, à Labieno exciti Parthi in Syriam irruperunt, & Hyrcanum Pontificem inſtigante Antigono Ariſtobuli F. mutilatum auribus, Pontificatu exutum in captiuitatem abduxerunt, anno ante Chriſtum 40. Auguſto, ſigna Craſſo erepta, perhumaniter remiſerunt anno Chriſti 20.

Strabo l. 11 p. 514. Solin. c. 69 Strabo lib. 16 p. 745. Tacit. l. 15. p. 738. Ioſeph. l. 14. c. 24. & ſeq. Diod. l. 48 Diod. l. 54.

Arſacidæ regna duodeuiginti obtinuerũt.

De Romanis trophæa erexerunt.

Tunc autem maximè pollebant equitatu, nec temerè eorum quiſquam pedeſter conſpiciebatur, ſed ſemper in equis: illis bella, illis conuiuia, illis publica ac priuata officia obibant, apud illos ire, conſiſtere, mercari, licebat. denique liberi non niſi equis incedebant. Grauiſſima autem iniuria cenſebatur, ſi quis nudo aſino impoſitus duceretur.

Iuſtin. l. 41 Ioſeph. l. 18. antiq.

Equites præſtantiſſimi.

In eoſdem poſtea cum Traianus irrupiſſet anno Chriſti 115. & Abiadenos viciſſet, Arbella, Babylonem & Cteſiphontem aliaque oppida cepit, propter quæ Parthici nomen obtinuit, vbi tamen in mare rubrum nauigauit, illico vrbes, quas domuerat, defecerunt.

Diodorus & Euſeb. in Chr.

Digitized by Google

Parthici regni finis. Artaxerxes Perſarum regnum inſtaurauit.

3. Durauit autem hoc regnum, ad annum Chriſti 233. quo Artaxerxes Perſa, cum Parthos tribus præliis ſuperaſſet & Artabanum eorum regem interfeciſſet, Perſarum in oriente inſtaurauit imperium. *Herod. l. 6*

Regia Parthorum Hecatompylos. Ecbatanæ.

Tres in eo regno regiæ fuerunt præcipuæ. Prima in ipſa Parthia Hecatompylos in longitud. 96 latitud. 37. 50. à centum portis ſic dicta. Poſtquam vero ſibi ſubiecerunt Mediam & Aſſyriam, Ecbatanæ in Mediâ in longit. 88. latit. 37. 40. vbi reges degebant menſibus æſtiuis, quod frigidius ſit ſolum propter proximum montem Orontem, & Seleuciam Tygridi impoſitam prope Babylonem, 79. 20. 35. 40. in qua menſibus Hybernis commorabantur. *Strabo l. 11 p. 514. Ptolem.*

Seleucia.

Terræ motus frequentes in Parthiâ. Parchoatras Rages.

4. Frequentes vero fuiſſe in Parthia terræmotus, maximè verſus montes Parchoatras patet ex regione dicta Rages 98. 20. 34. 20. (quæ vox rupturas, ſonat) in quâ complures vrbes, & pagi bis mille perierunt. *Strabo l. 11 p. 514.*

Sagittandi peritia.

Porro quantum ſagittandi arte & peritiâ cæteris gentibus præſtiterint, nemo neſcit. Nec aratro arua proſcindere, nec nauigare, neque armenta vel greges paſcere, ſed primâ pueritia equitate, neruo ſagittas aptare, arcuque emittere docebantur, ipſiſque ſiue equitibus, ſiue peditibus ſuſpenſæ ab humeris ſagittæ pendebant, quas etiam terga vertentes emittere norant in hoſtes ſuos. *Dionyſ. de ſitu orbis. Ouid. 2. fab. Plutarch. in Craſſo.*

CAPVT V.

Hiſpahan Metropolis Perſarum, in Prouincia Hierach.

Hyerach duplex.

1. PArthia nobiliſſima olim prouincia, hodie ita eſt permixta inſertáque Perſiæ, vt ne nomen quidem ſuperſit. Præcipua illius pars ea eſt quæ nunc Hyerach appellatur, quo nomine Arabes & Perſæ duas regiones inſigniunt. Vnam cui tribuunt pro limite Babyloniam, & alias Prouincias verſus Occidentem & Ægyptum: Alteram citra hanc, verſus Septentrionem quæ multa includit regna & principatus, præter prouinciam Hyerack propriè dictam, quæ magna & nobiliſſima eſt totius Perſiæ, plurima habens oppida ampliſſima, quorum Metropolis eſt Hiſpahan, in qua rex, Aulicique generis vniuerſum corpus vt plurimum commorantur, quod celeber ſit locus, propter commercia & annonæ copiam. Plurimi eam eſſe exiſtimant quam antiqui autores vocant Hecatompylum, quantumuis ſitus qui à Ptolemæo ipſi traditur repugnet; aliqui Niſpechaham eam appellant, *Texeira & Nic. Hemmio qui eam inuiſit anno 1614.*

Hiſpahan Metropolis Perſicæ deſcriptio.

Digitized by Google

pellant, quaſi diceres, medium mundum. Verumtamen *Ionius l.14* nomen eſt, Hiſpahan & Iſbahan dialecto Arabum qui ſæpius mutant P. in B. & per Aphæreſim dicunt Spahan vel Spaam. Abulfeda longitudinis gradum illi tribuit 76. & latit. 34. 34. Batavi long. 86. 40. & lat. 32. 25. quibus nunc cum Arabes tum Angli conſentiunt pro latitudine, licet loca ſint quædam, quæ ab hac vrbe vix diſtant itinere 3. dierum in quibus tantum eſt frigus & niues tam altæ, vt vix tribus menſibus in iis liceat operari. Cretacea olim habuit mœnia, nunc cingitur terreno vallo modicæ altitudinis, & foſſa minus latâ quæ fermè ſicca eſt menſibus æſtiuis. Ambitur fluuio quem Senderu vocant aliqui, alij Zinderoend, ager illius humilior & riguus, longiuſculè diſtans à mari cœlum non admodum ſalubre, vallum ornant turres centum elegantiſſimi operis ex quibus proſpectus eſt ad leucas ſex.

Lact. in ſua Perſia. *Ioan. de Perſia.* *Paul. Iou. de Perſia.*

Eius nomen. Situs. Mœnia.

2. Continet intra vallum octodecim aut plura ædium millia quæ deſuper planæ ſunt, elegantes & amœnæ propter hortos & ſtagna. Regis palatium, præcipuo rerum venalium foro imminens, è nitido & rubenti marmore eſt ſtratum, opere teſſelato, & tabetibus aureis & ſericis conſtratum: feneſtræ Alabaſtro, & candido varioque marmore pellucent, poſtes conſtant Ebore & Ebeno, omniáque ſunt adeo grata, vt oculos ſiſtant potius quam ſatient. Stabuli regij parietibus inſerta dicuntur eſſe triginta mille ceruorum capita, vel aliarum ferarum crania, quæ dicuntur mactatæ vnica venatione regis Tahamas, in qua hominum viginti millia cenſebantur. Horti arboribus conſiti ſunt, herbis beneolentibus & floribus quos mille fontes rigant.

Palatium. Ceruorum 30000. capita ſtabuli regij parietibus affixa. Venatio celeberrima. Horti.

3. Forum patet in longum ſeptingentos paſſus, & in latum 250. ambiunt illud proceræ arbores, & domicilia æqualiter edita, ex coctilibus lateribus ſubſtructa cum ſuis concamerationibus, ſiue cellis, in quibus ſuauiter flagrantes officinæ odorariorum: Gemmarij ſectores, compoſitoreſque, nec non aurarij fabri ibi degunt, & ex oppoſito ad alterum latus viſuntur. diſtrahendarum mercium ſericarum tabernæ: ſunt & cauponariam exercentes. Ambit idem forum torrens inter duos muros è viuo ſaxo eductos concluſus, qui ad vtrumque fori cornu influit in Octangulas ciſternas, à quibus deinde ſubter plateas, per concamerati operis ſtructuras in hortos & plurimas ædes deriuantur.

Forum. Aquæductus.

Ad vnum fori latus viſitur magnificum & ſumptuoſum delubrum Mahometanum, marmoreis parietibus, ad quod tredecim gradibus aſcenditur, ex vno marmore exciſis.

Delubrum.

Digitized by Google

4. Ædes autem plurimæ reperiuntur in opido quadratæ formæ & diuerſæ molis quas vocant Carauanſeras, in quibus mercatores tam peregrini, quam indigenæ diuerſantur, conſtituto precio in ſingulos menſes.

Carauenſeræ.

Arx.

Arx ſita eſt ad partem vrbis quæ Eurum reſpicit, ampla, muro duplici & foſsâ & turribus 40. vallata. *Ioann. de Perſia.*

Octoginta millia ciuium dicitur vrbs continere præter aduenarum infinitum numerum, qui in 600. hoſpitiis diuerſantur, habetque vrbs portas 12, à quibus viæ ſunt in præcipuas totius Imperij prouincias.

Ciuium numerus.

CAPVT XXVII.

Media & Medorum Imperium cum Metropoli Ecbatanæ, nunc Tauris.

Situs.

1. MEdia ampla regio patet à porta Zagri 84. 25. 37. ad portam Caſpiam 94. 37. per ſtadia circiter quater mille & centum, æqualiſque fere eius latitudo, inter montem Parchoatras in latit. 16. & mare Caſpium. Ea regio cum ſcorpiis maximè infeſtaretur, triduo antequam è Perſide rex in eam ſe conferret, incolis venationem ſcorpionum indicebat, & eum, qui quam plurimos confeciſſet, muneribus donabat, vt habet Ælianus l. 15. *Strabo l. 11 p. 525. Plin. l. 6. c. 15.*

Nomen.

Ipſi nomen vel à Medo, qui in honorem matris ſuæ Medeæ Medeam vrbem condidit, regnumque conſtituit, ſub cuius maieſtate Orientis poſtea fuit imperium: vel quod in Medio Tauro ſitum ſit, namque ibi locorum Taurus in multas finditur partes magnaſque conuallium obtinet cauitates. Magnâ ſui parte Media ſublimis eſt & frigida, maximè ea, quæ vergit ad Septentriones. Ad portas autem Caſpias ſolum humile & in conualle ſitum, vberrimum, & omnium ferax demptâ oleâ. Bonorum autem & præſtantium equorum fuit feraciſſima, iiſque alendis excelluit, indeque quoddam pratum Hippobotum dictum, quòd in eo alebatur grex proletarius viginti mille equarum. Rex autem Perſarum equis non vtebatur aliis, quam Niſæis à regione quadam Mediæ ſic dictis, qui & ingentes erant, & albi, vt habet Dio Chryſoſt. *Max. Tyr ſer. xi.* *Max. Tyr. & Themiſt.*

Hippobotum, armentum equarum 20000. ad ſobolem.

Magnæ Aſiæ potita eſt per annos 282. quando ſcilicet circa annum ante Chriſtum 876. Arbaces Medus & Mediæ Præfectus à Sardanapalo conſtitutus, cum audiuiſſet à Beleſo Caldæo ipſum aliquando Aſſyriorum regno potiturum & corruptiſſimos *Herodot. Iuſtinus. Petau l. 9. de doct. temp.*

Arbaces.

Beleſus Caldæus.

corruptiſſimos Sardanapali mores videns, Babylonem obſidione cinxit,& impuriſſimum regem coëgit,vt ſe cum concubinis in domunculam, quam in medio Pyræ exſtruxerat, concluderet, & incendio abſumeret. Arbaci ſucceſſere reges octo ad Aſtyagem qui anno ante Chriſtum 594. à Nabuchodonoſor captus & exciſâ Niniue ſuperatus eſt,tum videlicet cum ipſis regibus Medis, & cultus & ornatus & honor quaſi diuinus à ſubditis habebatur.

Petau l 13. *Strabo.* Aſtyages, Nabuchodonoſor, exciſa Niniue.

2. Mediæ regia Ecbatanæ (nunc Tauris & Tabriz) in long. 88. latit. 37. 40. ſita eſt in montanâ regione, Oronti proximâ, Aquiloni obuerſâ. Ambitus olim fuit 33. millium paſſuum Geometricorum, ſeu minutorum Geographicorum, vallata muro ſeptemplici, quorum ſinguli alternis gradatim erant ſublimiores, ſoliſque pinnis prominentes, in quorum poſtremo regia erat & theſauri; Primi ambitus pinnæ erant colore albicanti, ſecundi nigro, tertij purpureo, quarti cæſio, quinti Sandaracino, poſtremi vero duo alter argenteas, alter inauratas habebat pinnas. Arcis regiæ laquearia, columnæ, porticus, Trabes omnes è cedro & cupreſſo, laminis argenteis vel aureis circumamictæ; omnes item tegulæ argenteæ, lateres quidam aurei, multi argentei. Addit ſcriptura muros, quos ædificauit Arphaxad in Ecbatanis fuiſſe altos cubitis 60. latos 30. turres vero altitudinis cubitorum 100. portaſque eiuſdem altitudinis cum turribus. Porro an vnus & idem fuerit princeps, qui ad eum ſplendorem eam euexerit, & quis ille fuerit an Arphaxad an Deioces, Seleucus vel Semiramis, non eſt huius loci ſtatuere.

Ecbatanæ deſcriptio. *Herodot. l. 1. in Clio. Polib. l. 10.* *Iudith c. 1.* *Vide hac fuſius diſputata apud Salian. ad ann. ante Ch. 708.*

Videntur autem vrbis muri, in eius contumeliam euerſi nec deinceps reſtaurati. Certum tempore Polybij eam caruiſſe mœnibus, quantumuis alias vrbes opibus, & magnificentia adhuc ſuperaret: arcemque haberet ad miraculum vſque munitam, & arci regia ſubiaceret.

Euerſo. *Polib. l. 10*

Hodie appellatur Tauris vel Tebris, fuitque prima Sophorum regia ab anno 1499 quo Iſmaël Sophus eam occupauit ad annum 1514. quo fuit Selymo Turcorum Imperatori dedita, qui præter ingentem pecuniæ vim, tria millia præſertim familiarum, armorum fabricandorum ſcientia præcellentium abduxit Conſtantinopolim. Rurſus à Solymane fuit ſpoliata anno 1536. denique anno 1585. ab Oſmane Vizirio Amurathæ III. Tandem Xa Abas Perſiæ Impeperator anno 1603. in ſuam redegit poteſtatem. Octo dierum itinere diſtat à mari Caſpio, eſtque in hanc diem celeberrimum orientis emporium, quod merces, quæ ex Aſiâ in

Tauris. *Ortelius. Ananias. Minadous.* *Ex itinerario. Ioannis Carturigti Angli. Minadou. l. 8.* Celebre emporium Orientis.

Digitized by Google

Syriam atque Europam, tum ex occidente in Orientem tranſmittuntur huc vt plurimum, deferri ſoleant, continetque fere ducenta animarum millia, nec vallo nec muro munita, vnde & omnibus exercitibus patet. Dicitur autem amœniſſimum habere viridarium incolis dictum Sechis-genet quod octo paradiſos ſonat. *Paul. Ven l. 1. c. 18.* Narrat vero Paulus Venet. quando Saraceni in his partibus rerum potiti, optionem Chriſtianis dederunt, vel montem Tauriſio proximum mouerent loco, vel Mahumeti ſubirent legem, vel gladio plecterentur, repertum illico Chriſtianum qui ſuſa oratione montem tranſtulit, & plures Saracenos ad Chriſti fidem adduxit.

Contra Mahometi ſectum miraculum celebre.

CAPVT VII.

Atropatia hodie Siruan.

Atropatiæ ſitus.

1. SIta eſt regio iſta inter magnam Mediam & Armeniam, montem Choatras, Zagrum, & mare Caſpium vſque ad oſtium Araxis fluuij, & Derbentum. *Strabo l. 11 p. 523.* Nomen habuit olim ab Atropato duce, qui obſtitit, ne ea Macedonum in poteſtatem veniret, quanquam magnæ eſſet portio Mediæ. Ab eo orti reges Atropatiæ, qui per nuptias, affinitates contraxerant cum Armeniæ, Syriæ, Parthiſque regibus, poterantque tempore Strabonis, decem equitum & 40. peditum millia armare. Eorum regia fuit Gaza vrbs, ſic dicta, quod Cambyſes Medorum Rex in eâ tanquam in arce munitiſſimâ opes conieciſſet. Laudantur vina quæ ad eam naſcebantur.

Reges.

Vina.

Montis Zagri altitudo 100. ſtadiorum.

2. Mons Zagrus, qui eam ſeparat ab Aſſyria, tantæ eſt altitudinis, vt aſcenſus eius ſit ſtadiorum fere centum, variis tamen diſtinctus eſt voraginum hiatibus, & alicubi etiam cauis vallibus, quas colunt Barbari propter bella commendati.

Siruan.

3. Siruanum nunc dicitur hæc eadem regio ab vrbe Xiruan, aliis Schiruan & Siruan Mediæ aliquando Metropolis, *Leonclau. & Ramuſius.* capta à Turcis anno 1578. per Muſtapham Vezir, qui totum hoc regnum, quod tunc patebat 7. dierum itinere, à Maumutaga ad Derbent, Oſmanidis ſubiecit; mox tamen à Perſis receptum, vrbſque Siruanum muris nudata, ne hoſtibus receptum daret. Erat quippe prius nobilis prouincia, quæ plures tunc ciuitates habebat, & arces, Regulumque ita potentem, vt Perſis ſe conferre non dubitaret; verum cum adhæſiſſet

adhæſiſſet Turcis, & multarum vrbium ciues Muſtapham admiſiſſent, & ipſam Sumachiam alteram Metropolim Sirvan, in quâ aulam ſuam habebat regulus, expugnarunt Perſæ, pluresque vrbes, cum ipſa Sumachiâ exciſæ, ab Hemir Hamza primogenito Codabendæ Perſarum Regis, qui opidanos miſerum in modum contriuit, ædes proſtrauit, mœnia à fundamentis diruit, & turrim è ſilicibus extruxit inter cuius iuncturas eminent Crania nobilium, quæ in hanc diem triſte & horrendum præbent aduenis ſpectaculum & incolis terrorem: *Sumachia.* *Turris è Craniis rebellium.*

4. Omnis regio fœcunda eſt & rigatur à fluuiis quos Ptolemæus vocat Amardum, Cyrum & Cambyſim. memorantur nunc in eâ,

Ramuſius. Maumutaga arx munita ad mare Caſpium portum habens ad quem naues appellunt à Sara, & Maſandram cum omnis generis mercibus, quæ Tauriſium ſubuehuntur & Sumachiam & Derbentum. itinere trium dierum hic portus remouetur à Sumachia, 7. vero à Derbento. *Maumutaga portus.*

Ramuſius. 5. Celebratur etiam ab autoribus famoſa Palus dicta Straboni Spanta, Ptolemæo Marcianes lacus, Ortelio Argis, Ramuſio Totauan, patet in longitudinem trecenta millia paſſuum, in latitudinem 150. Accolunt eam potiſſimum Armeni, plurimis pagis. Ad partem eius orientalem ſunt arces quatuor Totauan, Vaſtan, Van, & Belgari, & ad occidentalem tres, Argiris, Abalgiris, & Calata magnum olim opidum, vt ex ruderibus patet, nunc exigua arx. *Salſus lacus Spanta ſeu Marcianes nunc Totauan dictus.*

Petr. Gillius apud Ortelium verbo Spãta. Eſt autem lacus adeo ſalſus vt totum litus, per quatuor ſtadia extra aquam, tectum ſit perpetua glacie ſalis. Inter Totauan & Vaſtan iacet inſula duobus millibus paſſuum à ripâ, edita & mera rupes, quæ ab opido tota occupatur, quod continet duo millia paſſuum Arminiq dictum, quod frequentibus Armeniis habitetur, vniuerſum lacum ambiunt altiſſimi montes iugi niue tecti. *Arminiq.*

Vaſtan caſtellum eſt, ab Iſmaële ſic exciſum, vt tantum pagus cum foro ſuperſit. Vnius diei itinere aditur Van caſtellum cuius ambitus eſt paſſuum mille ſuper rupem ſtructum, formâ oblongâ, diſtans milliari à lacu. A Van tridui iter eſt ad Elatamediam, caſtellum à Turcomanis habitatum, & alterius tridui ad Mercent, quæ olim fuit grandis vrbs, vti ex antiquis ædificiis apparet, ſita in planicie quæ à multis amniculis rigata pulcherrimos hortos complectitur. *Vaſtan.* *Van.*

Tridui itinere à Merent aditur pulcherrima planicies, *Merent.*

Digitized by Google

Coi. montibus vndique cincta, in cuius medio iacet Coi, aliis Choy & Chouuy vrbs quam Arabes ponunt in longit. 79. 40. & latit. 37. 40. focorum circiter 400. olim autem longe maior, vt ex ædificiorum ruderibus apparet. Rex Perſiæ Xa Iſmaël hic ſumptuoſum Palatium ſtruxerat, quod vocabat Doulet Chana, id eſt, domum pulchram.

Calderani Campi. Pugna & victoria cruenta. 6. Calderanis in campis ad Coim pugnatum eſt ſeptimo Cal. Septembris eius anni qui fuit à partu Virginis milleſimus quingenteſimus decimus quartus, quo prælio Selymus licet ſupra triginta hominum millia amiſerit, victoriam tamen de Perſis retulit, poſtquam Iſmaël Sophus fortiſſimè pugnans ictu Sclopeti ſaucius è prælio pedẽ retulit, vt vulnus obligaret. Moxq; Selymus ab Tauriſio vrbe regia, quæ diſtabat ab Coi itinere bidui abiit: tum legati venerunt qui commeatum affatim dare & imperata facere paratam dixerunt, & vero illico profectus eſt ad eam, ſtudio viſendæ & obtinendæ Perſarum regiæ. Vix autem decem dies Tauriſij moratus, cum Tauriſianorum fidem habens ſuſpectam, in Cappadociam redire conſtituit. Iſmaël autem accitâ valida manu Iberorum & Albanorum equitum quanta potuit celeritate eum licet fuerit inſecutus, aſſequi tamen non potuit, iam enim Euphratem tranſmiſerat, ſatiſque ipſi fuit eiectum & fugatum videre hoſtem, tormentaque, quibus maximè cladem acceperat, obtinere. *Iouius hiſt. l. 14.*

Taurisium captum & receptum. Iſmaël Sophus victus & victor.

Bachu portus. 7. Verum vt redeamus ad litora maris Caſpij Tauriſium diſtat à Bacuco portu vulgo Bachu, centum & quinquaginta millibus paſſuum. Eſt autem Bacucum vulgo Bachu peropportunum emporium portum habens ad mare Caſpium. Iuxta eum viſitur mons, oleum eructans nigrum, grauis odoris, quod in lucernis vſurpant & Camelis inungendis aduerſus ſcabiem, cui alioquin ea animalia valde ſunt obnoxia. Haud magno interuallo, hoc eſt minutis 30. ab eo portu diſtat Sumachia, Metropolis Siruan, de qua initio huius capitis dixi; colitur nunc ab Armenis, & Georgianis, qui texendis ſericis dant operam. Diſtat à mari Caſpio vnius diei itinere, ſeptem vero à Derbent. *P. n. Iou. l. 14.* *Ex itinerario Ioſephati barbari.*

Fons olei. Cameli frequenter ſcabioſi. Sumachia.

Circiter milliare ab ea viſuntur rudera caſtelli, olim ab Alexandro magno non niſi difficilè expugnati, & paulò poſt Virginum monaſterium magnificè ſtructum, in quo tumulatam narrant Armelekem Cannam filiam regis, quæ virginitatis voto obligatâ, cùm à patre cogeretur cum principe Tartarorum nuptias contrehere, vim ſibi cultro intulit, in cuius memoriam indigenæ virgines, ſemel quotannis

Digitized by Google

quotannis illuc confluere ſolent; ſequitur inter ingentia naturæ miracula reponendum Derbent. Nam altiſſimis montibus repente hic interruptis, tam arcta & difficilis eſt via, vt qua iter eſt, Fores & ferratis trabibus poſſint obduci, & orbis terrarum, eo loco portis (mirum dictu) diſcludatur.

Ex itinerario Ioannis Carthurigti Angli.

8. Derbent opidum varia ſortitur nomina, nam interdum vocatur Derbent, ob formam oblongam & anguſtam. Interdum Demir Capi, quia hic ferreæ portæ fuerunt, quæ aditum in Scythiam aperiebant. Interdum Alexandriam, quia primum conditum fuit ab Alexandro Magno, quum Medis & Perſis bellum inferret, quo tempore & altiſſimum & craſſiſſimum vallum perduxit ab hoc opido ad Telphin Armeniorum opidum, cuius nunc tantum veſtigia apparent. Opidum inſidet edito colli Caſtow, mœnia illius è viuo ſaxo educta in ſummam altitudinem & craſſitiem, hodie tamen parui æſtimatur, quia tantum præbet tranſitum iis, qui vltro citroque è Perſiâ in Tartariam commeant, eſtque aduenis magis neceſſarium, quam incolis ſuis vtile. Diſtat ab Æquatore grad. 4. 52. vide quæ diximus cap. 14. lib. 1. Derbent.

CAPVT VIII.

Araxes.

1. DEſcriptis hactenus à nobis Perſici imperij prouinciis, quæ ſunt ad mare Caſpium, ſupereſt tantum nobis explicandus Araxes, famoſus fluuius. Et Bimaris Iſthmus quo mare Caſpium à Ponto Euxino ſeparatur.

Ptol tab 3. Aſia. Mela l 3. c. 5. Plin. l 6. c. 9.

Araxi nomen ἀπὸ τοῦ ἀράξαι hoc eſt à perrumpendis obicibus: Armeni Arath, Leunclauius Achlar, vocant fons eius in monte Pariarde, in longit. 76. 30. in latit. 42. 30. ſexto minuto à fonte Euphratis, quod Solinus expreſſit breuibus inuallis, imo ex eodem Pariardorum montium cubito, cui nomen Abus, originem ducere contendit Strabo. Abus inquit, vnde Euphrates Araxeſque prolabuntur, verſus occaſum alter, verſus ortum Araxes. Iouius Pariardem vocat montem inclytum, & propter miram rerum omnium fœcunditatem dicit hodie appellari leprum, hoc eſt frugiferum. Namque inquit, lib. 14. hiſtoriarum ſui temporis Euphrates & Araxes ſingulis ex aduerſis emiſſi paludibus, campeſtrem aridamque regionem emiſſariorum copiâ, & ſumma frugum felicitate nobilitant. Nomen. Pariardes Abus. Leprus.

Digitized by Google

2. Per campos autem Armeniæ labitur tam placidus & ſilens, vt in vtram partem eat, quamuis intuearis, non ſit manifeſtum, cum autem in aſperiora deuenit, hinc atque illinc, rupibus preſſus, quanto anguſtiòr, tanto magis pernix, frangit ſe ſubinde ad oppoſita cautium, atque ob id ingenti cum murmure, ſonánſque deuoluitur, adeo citus, vt qua ex præcipiti caſurus eſt, in ſubiectam non ſtatim declinet vndam, ſed vltra quam canalem habet euehat plus iugeris ſpacio, ſublimis & aquis pendentibus, ſemetipſum ſine alueo ferens, deinde vbi incuruus arcuatoque amne deſcendit, fit tranquillus ac primum Azaram præterfluit, deinde Artaxatam vrbem, poſt per Araxenum campum tacitus & vix fluens in mare Caſpium elabitur in longit. 79. 40. latit. 43. 50. fuit vero Artaxata Armeniæ regia ad campum Artaxenum condita eleganter, in cubito quodam peninſulam referente, cincta, loco muri, flumine, niſi qua Iſthmus, is foſſa & vallo includitur. De amœnitate huius fluuij, vide ea quæ dicemus inferius quando vnum è quatuor paradiſi fluminibus probabo fuiſſe Araxem. Ad eum autem primum conſediſſe Scythas, indeque in omnem partem longè latéque fuſos contendit Diodorus. has regiones magnam partem nunc occupant Georgiani de quibus vide quæ diximus.

Curtius l. 5. c. 10. Strabo l. 11 p. 527.

Azara. Artaxata. Araxeus campus.

p. 529.

Georgiani.

Diod. Sic. l. 2. c. 11.

CAPVT IX.

Tranſitus è Mari Caſpio ad eas partes Aſiæ, quas abluit Pontus Euxinus.

1. Licet hic Iſthmus Colchicus, non ſit latior minutis Geographicis ſeu millibus paſſuum 375. difficillimus tamen eſt, quod ipſi incubant niuoſi admodum excelſique montes, Caucaſi cubiti, & abruptæ valles, cathenatis inter ſe rupibus adnexæ, olim pertinentes ad Albanos, Iberos & Colchos, nunc autem ad Georgianos verſus ortum & mare Caſpium, & ad Mengrelios verſus occaſum & Pontum Euxinum.

Qui igitur è Georgiâ in Mengreliam volunt tranſmittere, è Goride caſtello Georgiæ ſito in planicie, per ſyluas & horrendos montes duobus diebus perueniunt, ad caſtrum Scander, in quo ſub annum Chriſti 1514. Rex Georgiæ Pancratius reſidebat, rurſum pergunt per ſyluas & montes ad Cotachim arcem lapideam ſitam in colle, in finibus Georgiæ. Tum ingreſſi Mengreliam, incedunt per continuas ſyluas

Scander.

Cotachim.

Digitized by Google

luas & montes, donec Phaſi nobiliſſimo Mengreliæ & Colchidis fluuio, variis pontibus tranſmiſſo, tandem ad oſtia Phaſis & litus Ponti Euxini perueniunt.

CAPVT X.

De Colchide & Mengreliâ.

1. EA regio clauditur à Septentrione monte Caucaſo, & parte Sarmatiæ, ab occaſu Ponti Euxini parte ea, quæ extenditur à Corace amne, vſque ad interiorem ſinum, à Meridie parte Capadociæ, & ab Oriente Iberia. Incolas olim immanes fuiſſe & barbaros fabulæ de Æneis Taurorum pedibus, de gigantibus prodeuntibus è terra, nec non Ætæ primi illorum Regis Tyrannis abundè ſignificant. Poſtea Seſoſtres Ægyptiorum Dux cum quibuſdam Ægyptiis origine Iudæis ad Phaſim ſubſedit, quorum aliqui fortunarum ſuarum ſedem, atque domicilium cum hic fixiſſent, factum putatur, vt in hanc diem plures in Colchide ſint coloris atri, criſpi capillicij, & recutiti non pauci, lanificiis & linificiis addicti. Aſſidua autem Romanorum & Græcorum conſuetudine cultiores & humaniores effectos teſtantur Phryxi & Iaſonis expeditiones in eas partes, quibus aurum, argentum & ferrum, fructus, & fruges omnis generis, canalem & linum, ceram, & picem, nec non materiam ad fabricandas naues vtilem exportabant in Europam, hinc quippe & Phryxus, cum Helle ſorore nouercales inſidias fugiens naui vectus eſt, cuius inſigne fuit Aries anno ante Chriſtum 1383. & in has partes ſuſcepta Argonautarum expeditio circa annum ante Chriſtum 1263.

Ptolem. — Termini. — Incolarum origo. — Ætas. — Seſoſt — *Herod. l. 4* — *Petau. & Euſebius.* — Phrixi, & Iaſonis expeditiones. — Fodinæ & materia ad naues. — *Petau. ex Clem. Alex.*

2. Poſtea temporis ſucceſſerunt reges, qui in prouincias diuiſam ditionem, mediocri rerum ſtatu tenuerunt, tandem Mithridates Eupator Rex Ponti magnam nactus potentiam, cum eam ſemel iterumque ſubieciſſet, iſtis potitus eſt regionibus, & in iis naues ædificauit tam multas, vt vix pares ipſi fuerint Romani, mortuus circa annum ante Chriſtum 63. Poſt bellum Mithridaticum Pompeius ipſis dedit Regem Ariſtarchum cuius operâ egregiâ in illo bello vſus fuerat. Vltimo Polemon ſucceſſit, eoque mortuo vxor Pythodoris. Eaſdem partes obtinuit poſtea Lazica gens de qua poſtea. Hæc denique Colchis, Trapezuntini Imperij pars potiſſima, à Ioanne Alexio Comnino occupata, ſimul cum Trapezunte in Mahumeti & Turcorum venit pote-

Subacti à Mithridate. — *Strabo l. 11 p. 498.*

Digitized by Google

Colchicum lethale venenum.

ſtatem anno Chriſti 1461. Colchidum, à Colchide (vbi maxima eius copia) dictum, bulbus eſt agreſtis, quem Ephemeron lethale appellant autores, quòd guſtatum fungorum more iugulat.

3. Mengreliam nunc appellant hanc regionem, itinere dierum nouem extenſam, ſecundum litus Ponti Euxini, trium vero in latum. Alij Auagoſiam dicunt. Rex illius exiguo tributo colit Perſarum Regem, & interdum Turcum. Sed heu quam immutata harum regionum facies. Enimuero ne hic amplius quæras rura Colchorum ditiſſima, non aurum quod incolæ excipiebant alueolis perforatis & velleribus laneis, quando velleris aurei extitit fabula. Erant tunc incolæ induſtrij & commercia exercebant cum exteris, nunc autem ſtoliditate, temulentiâ & latrociniis infames male audiunt apud omnes. Cibus ipſorum ex panico fit pultis inſtar coctо, quantumuis nihil ipſis deſit, præter induſtriam & vigilantiam, quibus vel ſoli piſces ad vitam neceſſaria affatim poſſent ſubminiſtrare. Valles præterea hic ſunt frequentes in quibus paſcua ſunt vberrima, propter fluuios, qui ex altiſſimis montibus per ea dilabuntur, vnde caſeorum in hanc diem maxima exiſtit copia, quibus vt plurimum veſcuntur; eos incolæ vocant Zolleffret, Scythæ Pinir.

Mengreliorum mores.

Caſeorum multitudo.

4. Quando abundant liberis, eos vt plurimum diuendunt aduenis, vel Conſtantinopolim tranſportant, & in foro venales proponunt in ſeruitutem abducendos, plures naues iis onuſtas interdum videbis Conſtantinopolim appellere, quos vt plurimum Græci emunt, ne cogantur Chriſti fidem negare, vel ſe circumcidi patiantur:

Mengrelij liberos vendunt.

Theuet. tom. 1. Aſia.

Præter D. Clementem, à quo primitus ſunt fide Chriſtianâ imbuti Colchi & Iberi, Mengrellios & Circaſſos S. Cyrullus & Metudius fratres, tempore Michaëlis Imperatoris ad fidem Chriſti conuerterunt, & vſque nunc fidem & ritum Græcorum profitentur. In Colchidem ad Mengrelios, & maximè Georgianos qui latè poſſident quidquid inter Pontum Euxinum & mare Caſpium interiacet, profectus eſt aliquando pater Ludouicus Grangerius è noſtra ſocietate, verum non licuit ipſi per illam terrarum vaſtitatem Euangelio vulgando pro voto inſiſtere. ſed operæpretium eſt explorare loca, quæ inuadere deſideras, erit forſan cum poſt debilitatas alibi hæreſes, alibi deletum idolorum cultum, licebit in Mahometum plenas copias conuertere. Qualis autem ſit loci temperies & aquarum natura vide quæ proximo capite dicemus de Phaſi fluuio.

Apoſtoli Mengrelliæ & Circaſſiæ.

Mathia à Mich. de Sarmatia. l. 1. c. 7.

Digitized by Google

CAPVT XI.

Phaſis fluuius.

Arianus. — Eius color.

1. PHaſis celeberrimus eſt Colchidis fluuius, ſic dictus vel quod diaphanus ſit & mirè pellucidus, vel quod inſtar Chameleontis colorem ſæpius mutet ſuum, variaſque habeat Phaſes, licet vt plurimum color eius ſit ſimilis plumbo, aut ſtanno aquis immerſo.

Stephanus de vrbibus. Ptol.tab.3. Aſia. — Fontes.

Ortum ducit ſuum ex Armeniæ montibus Paryardis apud Amarantos populos in longit. 75. latit. 43. 78. Paraſangis 15. à fonte Euphratis remotiſſimo, à proximo vero, vix nono lapide.

Strabo l.11 & Plin. — *Procop. de bell. Perſ. l.2.* — Rapiditas. Altitudo. Latitudo. Oſtium. Eius aqua dulcis in ſummo, ſalſa in imo. Phaſiani populi. — *Xenophon l 4. Anabas. Arianus in periplo Ponti.*

Præteruectus Armeniam per anguſtias Caſtelli Colchorum, centum viginti pontibus pertranſitur, ac propter flexiones aſperas violenter in Colchidem defertur, vbi ex imminentibus montibus vaſtos & mirabiles in eum influentes fluuios Hippum ac Cyaneum Glaucum & Surium recipit, tandemque tam violenter ruit in mare Ponticum, in long. 72. 30. latit. 45. 0. vt diu aquas non miſceat, ſed eas etiam in medio pelago bibant nautæ incorruptas. Altus & profundus eſt ſi quis alius, vt dixit Procopius & Theocritus, qui propterea eum vocat Bathym hoc eſt profundum & vero, ait Plinius nauigari quamlibet magnis nauigiis per plures, quam triginta octo mille paſſus vſque ad Sarapanos, indeque minoribus longo ſpacio. Latus eſt circiter viginti paſſus. Eius aquam ſi quis à ſummo hauriat, dulcem; ſin ab imo vrnâ aquaria in profundum demiſſa, ſalſam experietur. Oſtium Phaſis diſtat à Mæotide expedito viatori dierum 30. itinere, à Calcedone 40. Regio, per quam fluit, Phaſiana, & illius incolæ Phaſiani dicebantur tempore Diodori & Xenophontis.

Hippocrates l. de aere, aquis, & locis. — Auſter violentus. Boreas leuis in Colchide.

2. Mirum autem quod de iis ſcripſit Hippocrates, videlicet eos vitam agere in paludibus, domos ligneas & ex arundinibus in ipſis aquis habere extructas, neque inde multum ad emporia vrbeſque prodire, verum nauiculis quibuſdam ex vno ligno fabrefactis, ſurſum ac deorſum per foſſas ductuſque aquarum, quos habent plurimos, commeare, aquas bibere calidas & ſtagnantes, à ſole putrefactas, imbribuſque auctas, Cenchrona hoc eſt ventum Auſtrinum huius regionis proprium & violentum, Boream rarum & leuem, & ob hanc cœli terræque temperiem, fructus inſalubres, vix

Digitized by Google

matureſcere. Incolas magnos, corpulentos, quorum neque iuncturæ neque venæ apparerent, colore pallido qualis eorum qui regio morbo laborant, lingua grauiſſima ob aërem obſcurum & humidiſſimum, ad laborem à naturâ ſegnes, anni tempora non varia, neque ad æſtum neque ad frigus mutationes. Quæ omnia quantum exiſtimo ſunt intelligenda de iis qui incolunt eius foſſas, ad inferiores partes Phaſis: conſtat enim, ex ſe limpidum eſſe, eius aquas leuiſſimas & omnis putredinis expertes, quæque ad decimum vſque annum ſaluæ incolumeſque permanent, magiſque paulatim dulceſcere.

Aquæ Phaſis ad 10. annos ſeruantur ſine corruptione.

Arianus in Periplo Ponti.

3. Vrbibus celeberrimis ripæ eius fuerunt ornatæ, quarum fuerunt præcipuæ Tiritace, Cygnus & quæ teſte Plinio in illius faucibus ſita eſt Phaſis, Poliſtouia dicta, Colchorum emporium, quod vnâ ſui parte fluuio præcingitur, ex aliâ lacu, ex aliâ mari, vnde biduo triduoque Amiſum, Sinopemque nauigatur. Maximè etiam inclaruit Æa quindecim mille paſſuum à mari remota, vbi Hippus & Cyaneus vaſti amnes è diuerſo in eum confluunt, quæ vrbs Mileſiorum erat colonia.

Vrbes Phaſi appoſitæ.

Æa emporium.

Plinius & Strabo.

Martial. l. 13. Hernandes.

4. In ore illius ſunt inſulæ ſine nomine, eius aquas laudat Lucanus quod vim habeant agri fœcundandi, ſicuti Euphrates & Nilus: Plinius propter aues Phaſianas, quod illarum ibi maximus ſit prouentus, vnde ab Argonautis, primum in Græciam atque inde ad nos putentur deportatæ.

Auis Phaſiana.

Cælius l. 14. & Columella l. 6.

Columella Phaſianos equos prædicat, vel quod optimis equis huius auis inſigne inurebatur, vel quod ad Phaſim equi naſcebantur pulchritudine præſtantes. Æſchilus in Prometheo, quod Europæ & Aſiæ ſit limes, vt habet Arianus. Alij quod Gades & Phaſis termini fuerint longiſſimarum nauigationum, & curſus carinarum vltimus. Alij Phaſianam Deam, quæ intrantibus Phaſim à ſiniſtris apparebat, accuratius deſcribunt; Rhea fuit, illa magna deorum mater, quam Argonautæ plurimũ venerabantur, in eo ſita loco, vbi Iaſon 12. diis ſacrificauit, & Phrixus fanum poſuit in quo aries nunquam mactabatur, ipſique ſacrificabant, qui illum nauigando obibant, & tanquam patronam in tempeſtatibus inuocabant; quod templum videtur fuiſſe illud quod poſtea à Zenone Imperatore Diuæ Mariæ & S. Nicolao dicatum fuit, cum prius Conſtantinus Magnus Rheam illam, vna cum leonibus ſuis in forum Byſantinum tranſtuliſſet.

Equi Phaſiani.

Phaſis Europę & Aſiæ limes.

Phaſiana Dea ſeu Rhea mater Deorum.

D. Virginis templum ad oſtium Phaſis.

Strabo. Arianus.

Cedrenus & Gillius. Zozimus.

CAPVT

CAPVT XII.

Tibareni, Calibes, Heptacometæ, Lazi.

Strabo l. 12 p. 548. & 549. 1. VErſus Auſtrum, reliquum Ponti litus, à Phaſis oſtio ad Trapeſum, prorſus arctum eſt; ſtatim enim imminet mons aſperrimus Scydiſſes, Moſchicis iunctus ſyluis, metallorum plenus: agri parum coluntur, plerique ſunt metallorum foſſores vel piſcatores Pelamydum, qui primum ibi capiuntur, aliorumque piſcium, propter Delphinos, qui eſcam quærentes auidius ad terram vſque ſectantur piſcium greges. Incolarum alij dicuntur Tibareni, alij Calibes, & Heptacometæ, ſeu in ſeptem pagos diuiſi, omnium quos Græci nouerunt maximè barbari, ſimiles prorſus Americanis huius æui. Nam cum ſint corpore molliſſimo & candidiſſimo, terga & pectora Anthemij flore picta crebriſque notis & figuris diſtingunt: impudici ſunt, planeque Cynici. Tybarenorum autem in primis mos ridiculus, qui vbi primum vxores pepererunt, ipſi ceu puerperæ, obuolutis capitibus in lectulis decumbentes, ab vxoribus effœtis delicatè molliterque tractantur & fouentur. *Scydiſſes mons.* *Pelamydũ prima piſcatio.* *Delphini.* *Xenophon. l. 5.* *Tibareni.* *Mariti decumbunt effœtis vxoribus.* *Apollonij Scholiaſtes.*

Strabo l. 12 2. Tibarenis proximi ſunt Moſſini, ſeu Moſſinœci, id eſt turricolæ qui ferina carne & arborum fructu veſcebantur, & è lignis deſilientes, peregrinos adoriebantur. Notis corpus omne perſignabant, propatulo veſcebantur, promiſcuè concumbebant, & palam reges ſuffragio deligebant, vinculiſque & arctiſſimâ cuſtodiâ tenebant, & vbi culpam praue imperando admiſerat, inedia diei totius afficiebant. Cæterum aſperi, inculti, & pernoxij peregrinis. Dicti ſunt etiam Heptacometæ quod in 7. pagos eſſent diuiſi, hi ſcilicet, qui tres Pompeij cohortes olim, interemerunt, cum prius ipſis propinaſſent mel inſanum, cuius ea vis eſt, vt eos qui ſana ſunt mente inſanos reddat, contra, mente captos ſanitati reſtituat. *Moſſini.* *Regis qui male imperat pœna.* *Mela l. 1.* *Heptacometæ.* *Ariſtot.* *Mel inſanum.*

3. Trapezo proximi ſunt Chalibes, quibus licet in riſu luſuque omne bonum fuerit, memorantur tamen omnium, ad quos Græci peruenerunt, fortiſſimi, conſpectoque hoſte etiam cum lætitia prælium iniiſſe & eorum maximè opera Mithridatem contra Romanos vſum. Arianus autem in Periplo, primos omnium ferrariam artem tractauiſſe exiſtimat. *Chalibes.* *Vide Apian & Melã l. 1.* *Serrariam artem primi tractarunt.*

In his autem litoribus plurima ſunt & opida & caſtra, ab

Digitized by Google

Imperatoribus Romanis vel ædificata, vel ornata, inter quæ Sebaſtopolis centum millibus paſſuum remota à Phaſide verſus Auſtrum, olim dicta Dioſcurias, à Caſtore & Polluce cum Iaſone Pontum ingreſſis, vt aliqui tradunt, ædificata: emporium adeo celebre vt 300. ad illud nationes quæ diſſimilibus linguis vterentur mercaturæ gratia confluerent, totque interpretes in eo haberent Romani: quod tamen nec Straboni fuit perſuaſum, nec Plinio qui videntur hæc intellexiſſe de alia Sebaſtopoli, ad flumen Antenunta ſita, ad Boream Phaſis. Poſtea cum diu tantum fuiſſet Caſtellum, Iuſtinianus iterum vrbem reddidit clariſſimam, vt habet Procopius l. 3. de ædificiis Iuſtiniani, ſimiliter Chalcondylas l. 9. Mencaliorum poſtea (Mengrotiorum alij legunt) Atque Dadianni Metropolim, fuiſſe dixit. Incertum prætereа quæ Sebaſtopolis olim dicta fuerit Cabira magna ciuitas ad quam Sophronius ait Andræam Apoſtolum perueniſſe & Euangelium docuiſſe.

Emporium celebre. *Plinius.*

Anchiali regia ad Pritanim fluuium, nempe vnius è quatuor regulis Heniochis, qui tempore Mithridatis, in hac regnabant parte maritima. Idem enim eſt Anchialos, quod maris accola, vnde vrbs alia ad occidentem Euxini eodem appellata nomine.

Anchiali duplex: Heniochi.

Athenæ quadraginta ſtadiis diſtantes ab Anchiali, à Græcis Athenis, ſuum nomen ſortitæ. Fuerunt prætereа in his partibus, caſtella 75. ab Eupatore Mithridate extructa in quibus maximam Gazam recondidit Eupator, qui anno ante Chriſtum 160. mortuus eſt totumque hoc litus à Phaſi ad Trapeſum ab Eupatore ad Archelaum, iunctum Prouinciæ, Cappadociæ tenuit.

Athenæ. *Strabo l. 12 p. 555. & 548.*

4. Eaſdem partes obtinuit poſtea Laſicâ gens & regnum, quam Procop. l. 12. de bello Perſico ad oſtia Phaſidis, ab vtraque eius parte dicit habitaſſe. Ex Iuſtiniani autem nouellis conſtat plures in his partibus vrbes fuiſſe & in his Petram quæ Iuſtinianæa eſt dicta. quomodo autem à Romanis ad Perſas defecerint, & rurſus Romanorum auxilio ex Perſarum imperio ſe ſe eruerint, deque illorum religione vide Procopium & Agathiam. Non omittendum vero quod quandiu fuerunt Romanis ſubiecti, regia ipſis fuerunt inſignia, lapillis diſtincta, aurea corona, longior veſtis auro intexta, Calcei rubro infecti, mitra auro & gemmis viſenda, permiſſa chlamis alba, prohibita purpurea. dicemus poſtea quomodo Lazorum regibus ſucceſſerunt Comneni, qui Trebiſondam, ſedem regni tranſtulerunt.

Lazica gens & regnum. *Petra Iuſtinianæa.* *Regia inſigna. Lazorum regnum.* *Ex Cœlio Rodig. l. 18 c. 30.*

CAPVT

CAPVT XIII.

Aſia Peninſula, dicta nunc Anatolia.

1. HÆc eſt adhærens continenti magnæ Aſiæ maxima Cherſoneſus cuius ab Euphrate ad mare Ægeum procurrunt termini, orientis quidem in occaſum per maiores gradus circiter 12. ſiue leucas horarias 240. Boreales vero in Auſtrum limites à Ponto Euxino ad mare Pamphilium, per gradus octo ſeu leucas, horarias 160. extenduntur, ſunt alij qui minores ipſi terminos aſſignent quos poſtea referemus. Huic apud veteres Aſiæ minoris nomen dedit pars eius cultiſſima, cuius inter vrbes princeps fuit Epheſus. Recentiores vocarunt Turciam ex quo Othomanus primus Turcorum Imperator ſedem regni ſui in eâ conſtituit Pruſæ, anno Chriſti 1300. nec dum expugnatâ Conſtantinopoli, cuius reſpectu quod hæc ſit peninſula ad Orientem ſita, mediæ ætatis ſcriptores Anatoliam nuncuparunt. Hac ſunt olim potiti Græci, Syri, Babylonij, Ægyptij, Macedones, Galli, Romani, Scythæ, quorum ſinguli & ſi ſuam locutionem ſimul in eâ cum imperio propagarint, Monet tamen Plinius inter omnes præualuiſſe Græcorum ſermonem, potiſſimum vero floruiſſe Dialecticos, Doricam, Ionicam, Æolicam: Linguas alias ex Barbarorum fontibus, maximâ ex parte deriuatas, nunc in eâ vigent plurimum, Græca, Turcica, Italica.

Aſiæ peninſulæ termini. *Amplitudo.* *Nomina.* *Anatolia cur dicta qui in ea imperarunt.* *Quis ſermo.* *Plin. l. 6.*

2. Eadem eſt adhuc in hiſpartibus, quam tantopere prædicabant maiores, cœli clementia, aëris benignitas, agrorum pinguedo, aquarum nitor, animantium omnis generis fœcunditas, & montium diuitia, ex quibus defluunt amnes bene multi, qui aureas voluunt arenulas. In hanc vſque diem perſeuerant præclaræ dotes innumeræ, quas ab orbe condito in has partes liberaliter effudit præpotentis Dei benignitas, indeque adhuc efferuntur ad exteros lanæ, pelles variorum animantium Goſſipia, Cilicij pili vndulata texta, ſtragulæ & villoſæ frontis tapetia. Perſeuerant & aſſidui terræ motus, quibus aliquando vrbes 12. ſimul vna ruina concidiſſe tradunt annales.

3. Sed pro dolor. In hominibus, qui eas partes nunc incolunt ab iis, qui ſuperioribus retro ſeculis eaſdem obtinebant, quanta morum diuerſitas! quam mutatus Imperij ſtatus! olim ad omnem elegantiam fuerant informati & totius

Antiquorũ & recẽtium incolarum quanta in moribus diuerſitas.

Digitized by Google

orientis cultiſſimi; nihil eorum quæ ſunt aut digna memoratu, aut vtilia cognitu, minoris Aſiæ populos fugiebat, nunc omnis ſunt humanæ comitatis imperiti: ſi vrbes maritimas, & pauca quædam excipias emporia, in quibus aduentantium exterorum frequentia fouit aliquid humanitatis, ſed quis amans pietatis, Turcorum qui nunc Anatoliam poſſident, auaritiam & impietatem componens cum virtute, doctrinâ, & pietate maiorum, temperet ſibi à lacrymis? Cum euerſas arces, diruta templa, extinctum ſacerdotium in his regionibus intuemur, & audimus vbique prædicari legem quæ nihil ſanctum patitur nihil humanum, quis ſibi perſuadeat, in eâ ſe verſari regione, quæ tot olim viros edidit & doctiſſimos & pientiſſimos, quæ tot ſanctiſſimorum hominum miriades peperit, quam Apoſtolorum ante ſignani Petrus, Paulus, & Ioannes innumeris fundatis Eccleſiis erudierunt, & quam innumeri viri Apoſtolici, vel ipſius Pauli teſtimonio celebres, indefeſſis vigiliis excoluerunt, doctrinâ & pietate, quæ hinc tanquam ex fonte copioſo in omnem partem, tam verſus orientem quam verſus occaſum longè latéque feliciter emanarunt, ex quibus paucula in eâ adhuc Eccleſiæ perſeuerant, ſed expoſitæ & preſſæ Tyrannicâ rapacitate præfectorum quos Baſſas, vocant, Mahumetanæ impietatis.

Quomodo Turcus eas partes inuaſit.

4. Tantam differentiam inuexit immanis Turcorum crudelitas, quippe tenuibus initiis ſeſe per Aſiam ſparſerunt, ab annis retro plus minus octingentis, ſenſim conualuerunt diſſidiis quæ inter Romanos & Græcos pene ſemper fuerunt continua. Reguli quidam Turcica auxilia implorantes hoſtem aluerunt in gremio qui tandem faſiſcentibus Europæorum auxiliis cum in Aſiâ nemo vnus eſſet princeps qui tam corroborato hoſti valeret reſiſtere, pluribus oppreſſis & aliis innatâ mobilitate animi à Chriſti lege deficientibus, omnes Turcus ſuæ ditioni ſubiecit.

5. Sane quod de omni homine inconſtanti & vario iactari ſolet acroma Chameleonte mutabilior, hiſce minoris Aſiæ populis peculiari iure, videtur poſſe tribui; & verò per omnem hanc regionem Chameleon plurimus, grande nomen times ſi audis; ſi videris ſub pampino totum, rides audaciam & Græcam nominis; quæ enim humiliora ſunt & parua, vocant χαμαί. Eſt ergo leo, ſed Chamæleon hoc eſt paruus. Eius magnitudo eſt lacerti, roſtrum eminet haud abſimile villo, cauda prælonga in tenuitatem deſinit & ſe implicat viperinis orbibus, vngues adunci, motus tardior vt teſtudini,

Chameleontis deſcriptio.

Digitized by Google

teſtudini, corpus aſperum vt Crocodilo, hiatus æternus ac ſine vllius vſus miniſterio, quippe ſolus animantium neque cibum capit, neque potum, ſed ſolo hauſtu aëris viuit, concolor eſt rei cui ſe iungit: colores tantum duo ſunt quos fingere non valet, rubeus & candidus, cæteros facile mentitur. Corpus pene ſine carne, vitalia ſine liene, nec niſi in corculo & oculis pauxillum ſanguinis. Latet hyeme, producitur vere. Coruus, occiſo Chamæleonte, qui etiam victori nocet, lauro infeſtum virus extinguit. Heu quando naſcetur laurus aliqua in Chriſtiano ſolo, quæ de ventoſa tardigrada, agreſti, & aſpera gente triumphet. Sed iam terræ intrandæ & loca regionum quæ in hoc Cherſoneſo ſunt, ſingillatim indicanda.

CAPVT XIV.

Cappadocia, nunc Toccat.

Strabo l. 11 p. 517. 1. HÆc regio minori Armenia ab ortu clauditur: ab Arcto, longo litore, ſecundum Euxinum expanditur, à Trapezo ad oſtia Halys per leucas horarias 90. ſeu maiores gradus 4. 36. (quamquam ab Halys oſtio tantum tribuant aliqui initium) & introrſus recedit in meridiem, ad eam Tauri montis partē, quam in gradu 38. ſecat Euphrates, vbi Syriam Ciliciamque attingit; ab occaſu Galatiā, Paphlagoniamque habet. Terra illa pene omnis ante alias altrix equorum, qui non niſi primos dominos agnoſcunt, obliti manſuetudinis, ſi quando mutent conſueta ſeruitia, inimicos partis ſuæ norunt, adeo vt inter prælia hoſtes morſu petant, & rectoribus, quos diligebant, perditis, interdum ſibi accerſant fame mortem, affectum equinum etiam lacrymæ probant. Nec minus famoſi greges mancipiorum Cappadocum ob nequitiam, vnde tria K K K. peſſima, quod Cappadoces, Cretenſes, & Cilices perſtrinxit. *Cappadociæ terminus.* *Solin. c. 57* *Equorum affectus erga dominos.* *Cicero in orat. poſt reditum.*

2. Ipſi nomen vel à Cappadoce fluuio, qui inter eam fluit & Galatiam, vel à quodam Perſa, cui hæc regio conceſſa ab Artaxerxe, quod leonem interemiſſet, qui equum cui inſidebat iam inuaſerat. Quandiu ſubiecti fuerunt Regi Syriæ, dicti ſunt Leucoſyri, quod ij qui erant trans Taurum, his eſſent aduſtiores, vnde & Melanoſyri ſeu nigri. Vtebantur legibus Charondæ, & legum decantatorem deligebant, qui ipſis erat legum interpres, vt apud Romanos Iure Conſulti. *Nomen.* *Plin. l. 6. c. 3.* *Conſtantinus Porph. de Themat. 2. Armeniaco.* *Leucoſyri.* *Charondæ leges.*

Digitized by Google

Amazonum regnum. Qui regnarunt in Cappadocia. Tributum.

3. Hic primum regnarunt Amazones, quæ Aſiæ & Europæ magnam partem ſibi ſubiecerunt annis ante Chriſtum 1209. Perſis deinde fuit ſubiecta, in duas diuiſa Satrapias quæ ipſis pendebant præter argentum 1500. equos, mulorum duo millia, ouium 5000. Ariarathes vero primus Cappadocum rex fuit appellatus circa annum ante Chriſtum 217. cui deficiente ſtirpe, Ariobarzanes ſuffectus, & huic ſimiliter Archelaus, qui teſtamento Cappadociam reliquit Romanis, qui eam redegerunt in prouinciam anno Chriſti 17. *Vide Diod. Sic. Strabo l. 11*

Diuiſa in 3. Cappadocias.

4. Poſtea valens Imperator Arianus, in odium D. Baſilij ne vniuerſæ prouinciæ Archipræſul eſſet, duas fecit Cappadocias, primam ſeu maiorem cuius Metropolis relicta eſt Cæſarea quæ excurrebat à Cæſareâ & Antitauro ad Euxinum & Halym; & ſecundam, cuius metropolim conſtituit Tyanam: fuit & in tres aliquando diuiſa; verum à Iuſtiniano in priſtinum eſt ſtatum reſtituta. *Gregor. Naz. in or. de funere patris.*

CAPVT XV.

Chorographia litoris Cappadoci & Trapezuntinum Imperium.

Trapezus.

1. PRæcipuas inter vrbes Cappadociæ prima occurrit in litore Trapezus, ſeu Trebiſonda, nunc Taraboſſam dicta, à menſæ vel Trapezij ſimilitudine fundata à Sinopenſibus Mileſiis in Colchorum regione 1400. ſtadiis ab oſtio Phaſidis, in longit. 70. 45. latit. 43. 6. in inſula quæ vaſto monte clauditur. Emporium fuit celebre, à quo proxima regio dicta olim Trapezula. Dedit & nomen & ſedem, per annos circiter 254. imperio Trapezuntino, quòd fundatum ab Iſaacio Comneno profugo, Chriſti anno 1204. Conſtantinopoli captâ à Francis, deletum vero anno 1461. à Mahumeto. Dauide Comneno cum familia Conſtantinopolim abducto & paulo poſt interempto. *Arianus. Plinius. Amianus.*

Trapezula. Trapezuntini Imperij initium & finis.

2. Huc autem ſe potiſſimum contulerat Iſaacius Comnenus quod nepos eſſet Colchorum, & Lazorum regis. Et vero aduenientes Colchidis incolæ ducem pronunciarunt. Captâ vero Trapezunte ſimul cum eâ Colchicum imperium in Turcorum poteſtatem venit. Ex ea vrbe oriundi Georgius Trapezuntinus omnis generis literarum Doctrinarumque cognitione pariter ac obliuione, quæ illi in extremâ ſenectute contigit, clarus, qui nonagenarius obiit, anno 1486. nec non Beſſarion qui ob ingenij doctrinæque præſtantiam ab Eugenio IIII. Cardinalitia dignitate *Vide Nicephanum & Chalcondil. l. 9.*

Colchorum regnû quando venit in poteſtatem Turcorum. Georgius Trapezuntinus. Beſſarion.

Digitized by Google

dignitate & Patriarchæ Conſtantinopolitani titulo ornatus mortuus eſt anno 1472.

Pharnacia.

3. In eodem litore, & parallelo ſunt inclytæ vrbes Pharnacia munitum quondam opidum, ſic dictum à Pharnace Mitridatis filio, Boſphorano Regulo, & Ceraſus Synopenſium colonia, vrbs expugnata à Lucullo, qui ceraſa poma in Italiam primus inde tranſtulit. Ibi Pelamidum fit piſcatio, ſed non copioſa admodum. Polemonium opidum ſic dictum à Polemone rege, Zenonis Laodicæi oratoris filio, quem ob eximiam probitatem prius quidem M. Antonius, dein Cæſar Auguſtus dignum regno iudicarunt, Pontoque præfecerunt, qui ab ipſo Polemoniacus dictus eſt, hic autem vxorem habuit Pithodorin clariſſimam fœminam, Pithodori Tralliani ciuis, qui Pompeio ſingulari amicitiâ iunctus fuit, filiam, hæc vidua marito in regno ſucceſſit, & Trapezum Ponti Metropolim cum aliis locis circumiacentibus magna prudentiâ gubernauit. Ex huius autem Ponti Polemoniaci parte Conſtantinus aliam fecit Prouinciam, quam è matris nomine vocauit Helenopontum, ſed vtramque poſtea Iuſtinianus in vnam contraxit Helenopontum, iudicans æquius, nomen eſſe repetendum à muliere de Chriſtiano orbe bene merita, quam à Ptolemi vocabulo, quod bellum, & tumultum deſignat.

Ceraſa primus in Italiam tranſtulit Lucullus.

Polemonium.

Strabo l. 12 p. 578.

Strabo l. 4 499.

Helenopontus.

4. Poſt minuta 14. ab oſtio Sideni fluuij qui Polemonium alluit, habes os fluuij Thermodontis nunc Pormon, qui rigat Phanageriam vrbem celebrem propter Amazones, quarum regia dicta eſt Temyſcyra, ad litus maris ædificata, ab earum vna quæ dicta eſt Martis filia, & quæ viros ad texturam, muliebriaque deputauit exercitia, legeſque ſtatuit, vt ſolæ fœminæ in re militari erudirentur, & maribus, qui ex iis naſcerentur, crura, & brachia debilitarentur, fœminabus vero dexteram inurerent mammam, ne pugnæ eſſent impedimento, ex quo & Amazonum eis eſt inditum nomen. Victorias earum lege apud Diodorum. Huius regionis laudantur equi, boues, milium, apes, quæ in arboribus, & ſub terra mellificant vberrimo prouentu. Iaſpis item ceruleus, & alabaſtrites, ex quo vaſa fiunt longè optima ad vnguenta ab omni corruptione conſeruanda.

Thermodon.

Amazonum regia & mores.

L. 2. c. 11.

Apes quæ in arboribus & terra mellificant in Capadocia.

Iaſpis ceruleus.

Strabo l. 12 Plin. l. 37. & c. 13. 8. c. 8.

5. Ad Irim fluu. nunc Lirio ſita fuit Comana minor, vrbs Bellonæ ſacra: Neocæſarea nunc Tocat ſedes Saniaci ad Lycum, qui in Irim abit. Amaſia vrbs olim munitiſſima ex qua oriundus Strabo Geographorum doctiſſimus, qui ſcribere deſiit anno Chriſti 25. ſub Tiberio: eſtque nunc ſedes Baſſæ,

Comma minor.

Neocæſarea.

Amaſia Strabonis patria.

Strabo l. 12

ſeu præfecti Cappadociæ ipſius quæ nunc Amaſia dicitur. Poſt Irim ſequitur vſque ad Halym Gadilonitidis regio fertilis admodum & beata, tota campeſtris quæ oues nutrit lanæ denſæ, & mollis. Incolas vocat Ptolemæus Leucoſyros, extremumque eius ad mare Promontorium Leucoſyrorum cubitum. Eſt in eadem ora Amiſus hodie Simiſo à Mileſiis condita, cum imperarent Capadocibus, deinde ab Athenienſibus habitata, & Piræa nominata. Eam Eupator templis ornauit, partemque vrbi de integro adiecit ac deinde à Pharnace victo Mithridate vocata eſt Pompeiopolis, liberatam à Cæſare Antonius ſubiecit Regibus. Denique hanc partem ad Pharnaciam, Trapezum & Colchos Pompeius dedit Deiotaro eiuſque regem conſtituit.

Leucoſyri. Amiſus. Deiotari Regnum. Halys fl.

6. Deinceps ſunt oſtia Halys & ſinus dictus Amiſenus à quo ducta linea cc. mille paſſuum ad ſinum Iſſicum ſeparatur Aſia peninſula ſeu Occidentalis ab Aſia Magna ſeu Orientali, vt antiqui tradiderunt, quamuis eam non fuerimus ſequuti diuiſionem. Fontes ſuos habet ex Armeno monte, quem Ptolemæus vocat Antitaurum: perluit primum Cilicas, dehinc Mantienos, qui ſunt ad dexteram, & Phrygas, qui ſunt ad læuam, tum boream verſus tendens, Syros Capadoces Paphlagoneſque perſtringens, contra ventum Aquilonem in Pontum Euxinum euoluitur, latus non minus ſexaginta mille paſſus. Fertur de eo, hoc Apollinis oraculum: Croëſus Halym penetrans magnam peruertet opum vim, quo deceptus inquit Cicero, cum regnorum opes expectaret, ſuas profligauit.

G Herodot. & Strabo l. 12 Xenophon. l. 6.

Eius oſtium latum 60. mille paſſus.

Lib. 1. de Diuinat.

CAPVT XVI.

Galatia, Honorias, Paphlagonia.

1. GAlatia vnde dicta ſit, ipſo ſonat nomine, nempe à Gallis Ambianis, aliiſque eiuſdem gentis qui anno ante Chriſtum 277. euocati à Nicomede Rege Bithiniæ in Aſiam tranſmittentes duce Leonorio Tectoſago, Ancyra Phrygum opido occupata, ad Sangarium amnem conſederunt, & variis potiti victoriis, cum Aſiæ eſſent terrori, regnum cum Nicomede diuiſerunt, agroſque Phrygiæ maiori ex parte obtinuerunt, eos nempe qui ab Haly ad Sangarium amnem excurrunt ſecundum litus Euxini per 250. mill. & interius ad ipſum pene Taurum recedunt, imo ſi credimus Iuſtino Aſiam omnem velut agmine impleuerunt, ſieque Græcis,

Gallogræcia quando, vbi, & à quibus fundata. Ambiani.

Solin. c 53. Strabo l. 12 Liu. l. 38. D. Hieron. in Act. Apoſt. Athen. Iuſtin. l. 25

Græcis, qui prius has regiones magnam partem obtinebant, admixti, primum Gallogræci, poſteáque Galatæ ſunt appellati, licet Treuirenſium hoc eſt Gallorum lingua vterentur,
Lib. 38. vt narrat Hieronymus. Notat Liuius Gallogræcos pugnaſſe nudos, candidaque habuiſſe corpora, vt quæ nunquam niſi in pugna nudarent. Caput quondam eius regionis Gordium ad Sangarim ſitum, vbi nempe Alexander fatalem Imperio nodum, quem manu non potuerat explicare, gladio ſoluit. Poſtea quod Antiocho contra Romanos fauiſſent, eos Gn. Manlius Proconſul vicit: illam à Romanis obtinuit Deiotarus, demum ſub Octauio Cæſare in formam prouinciæ redacta eſt. Hæc autem eſt Galatia, quam D. Petrus Epiſtola plena Apoſtolicæ maieſtatis erudiit, quam & Paulus peragrauit ſæpius, epiſtolaque miſſa ex vrbe arguit, quòd abduci ſe permiſerint à veritate quam ab ipſo acceperant. Theodoſius duas fecit Galatias, primam & ſecundam dictam ſalutarem, cuius Metropolis fuit Ancyra ſynodo habita celebris nunc dicta Angori in long. 62. 40. lat. 42. abundabat vtraque frumento & ficubus. Aiunt etiam hic Chryſtalli tabulas prope Galatiam inuentas ab iis, qui Archelao metalla fodiebant.

Gordium. Deiotari Regnum. Ancyra. Criſtalli tabulæ.

Strabo l. 12 p. 540. Plinius.

2. Pars Galatiæ borealis inter fluuios Halym & Billim comprehenſa cognominata eſt Paphlagonia à Paphlagone Rege filio Plinij Ægyptij, qui has partes inuaſit, & Philemenia, à Philemene eius alio rege, qui amicus populi Romani, ſæpe à Mithridate pulſus regno, & à Romanis reſtitutus, beneficij memor eos teſtamento heredes reliquit; Cùm verò vrbibus eſſet deſtituta, pars eius Ponto eſt adſcripta, aliaque ſcilicet occidua in honorem filij Honorij Imperatoris dicta Honorias, cuius Clandiopolis noua facta eſt Metropolis, prius dicta Andrapa, ſita apud Ptol. in long. 63. 15. & lat. 42. 20. Denique Iuſtinianus antiquato nomine Honoriadis, vt prius, Paphlagoniam eſſe voluit. Regio eſt campis pulcherrimis, & altiſſimis montibus prædita, & difficillimi aditus. Bina hic perdicibus eſſe corda ſcripſit Gellius. Eupatoriam hic olim condidit Mithridates, quæ poſtea ſubacta à Pompeio, Pompeiopolis eſt dicta, fuit etiam in Mediterraneis Gangra vrbs, in qua ſynodus habita Gangrenſis dicta. Hinc Heneti Paphlagones imprudentia, & nequitia famoſi, in Italiam tranſlati ſunt & nominati poſtea Veneti, prudentiâ nunc maxime clari.

Paphlagonia. Perdices ni cordis Ga[illegible]

Sext. Ruff.

Cap. 16. Plin. & Theophr. Solin. c. 5. Strabo l. 12 Plin. l. 6. c. 2.

3. Plurimas in ea regione vrbes etiam condiderunt Mileſij maxime ad litus, inter quas præſtantiſſima fuit Sinope

Digitized by Google

Pelamidum capturæ. Minium Sinopenſe. nunc Sinopi celebris ob Pelamidum ſecundam capturam, nam tertia fit Byſantij, nec non propter Minium omnium præſtantiſſimum, & materiæ copiam fabricandis nauibus oportunam, omnigenas enim habet arbores plurimas, tam fructiferas, quàm ſylueſtres; Damularum & Leporum viuaria. Sita eſt in longitudinem 63. 50. latit. 44. o. In collo peninſulæ & ex vtraque parte Iſthmi portus habet & ſtationes oportunas, ſed aquam non habet, niſi quam deducit à ſexto decimo milliari. In ea natus Mithridates Eupator, qui eam caput totius regni ſui fecit. Qui vltimus ipſi imperauit Iſmaël Rex quando eam occupauit Mahumetis, ex ſolo ære eius regionis quod ſecundum Iberiæ æs optimum profert, percipiebat quotannis quinque myriades ſtaterum auri. Ex tota vero regione 20. myriades. Carambis Promontorium in his partibus eminentiſſimum ſic porrigitur in Cherſoneſum Scythicam, vt hic Pontus quaſi freto in duas partes diuidatur. *Strabo. Calchond.* Aquæductus. Sinope caput Regni Mithridatis. *Plin. in Epiſt. ad Traian.* Æs Iberum & Sinopenſe optimum. *Chalcond.* Carambis Promont.

CAPVT XVII.

Pauca de Mithridate Rege Ponti.

Mithridatis genus. 1. Mithridates magnus cognominatus, decimus ſextus fuit ſuæ ſtirpis à Dario vltimo Rege Perſarum, octauus à Mithridate primo regni Pontici fundatore à quo ſequentes Mithridates dicti. Maternum genus ab Alexandro Magno, atque à Selenio Imperij Macedonici fundatoribus repetebat. Natus Sinope, ibique educatus eam vrbem pulcherrimis ædificiis exornatam regni ſedem fecit, tandemque iuſſu Pompeij ibidem honorificentiſſime ſepultus eſt. Anno quo natus eſt & poſtea regnum iniit. Cometes bis per 70. fere dies portentoſæ magnitudinis, atque fulgoris apparuit. Lacertoſus fuit, exercitatè robuſtus, ſtatura procera, & appoſita ad dignitatem, niſi eam & crudelitatis labe, & voluptatum dedecore oppreſſiſſet: namque fuit Charybde voracior, & vinolentus adeo, vt etiam fuerit cognominatus Bacchus. Cumque nemo eſſet qui magnitudine poculorum bibendoque ſe ipſi æquaret, certamen conſtituit vinolentis, & propoſuit præmia ei quem primum ab ipſo cæteri indicaſſent valentius bibiſſe. Veneri etiam ſupra modum deditus fuit. Laodice ipſi & ſoror, & coniux. Sic autem corpore valido & robuſto, vt vno die mutatis equis mille ſtadia conficeret, currumque octiiugem regeret etiam ſenex & laſſitudine afficeret. 2. In

Cometes Portentoſus. Vinolentiæ certamen. *Appian. in Mith. Plutar. l. 1. de quaſt. conuiu. Cicero pro Flacco. Plin. de Vir. Illuſt.* Dotes, & vitia.

Digitized by Google

2. In herbarum viribus inueniendis diligentiſſimus fuit, & Medicinæ peculiariter curioſus. Scriniumque habuit ſuarum commentationum, quo potitus eſt Cn. Pompeius eo deuicto, in quo reperit compoſitionem anthidoti, quod ab eo dicitur Mithridates conſtans duabus nucibus ſiccis, ficis totidem, & rutæ foliis 20. tritis ſimul, addito ſalis grano. Aiunt autem nullum venenum eo die naſciturum ei qui ieiunus eo fuerit vſus. Eius certe antidoti beneficio etiam tum cum à filio Pharnace obſeſſus venenum ſumpſiſſet, mori non potuit, ſed à milite curauit ſe occidi. Mortuo patre factus Rex Ponti, cum animo Aſiæ imperium concepiſſet: vt diligentius locorum ſitum inſpiceret, ipſe ſolus eam peragrauit, periculoque ſe obiecit, ne illic detineretur vbi imperium quærebat. Viginti duabus gentibus quibus per 57. annos imperauit ſuâ cuique linguâ ius dixit, neque de ſubiectis populis vllum allocutus eſt per interpretem.

Mithridaticum remedium.

[illegible] l. 25. c. 8. Galenus l. de vſu Theriacæ.

Peregrinationes.

Fulgoſius l. 9. c. 8. Plin. l. 7. Plutarc. in Lucullo

Linguarum peritia.

3. Vna in eo omnibus ſumme diſplicebat crudelitas plus quàm barbara, nam & vxorem, & tres filios, & filias totidem interfecit, occidit & fratrem, & ſorores duas. Ex eoque ortum celebre illud bellum, quod ab eo dictum eſt Mithridaticum. Namque Ariarathe Cappadociæ rege, ſororis ſuæ marito, per inſidias occiſo, nec non eius cognomine filio, cum regnum illius occupaſſet, ac poſtea iniqua poſſeſſione pulſus Ariobarzanem regem à ſenatu Cappadocibus datum, quem L. Sulla Proprætor reſtituerat anno V. C. 660. expuliſſet, iterumque Ariobarzanes Capadocia, Nicomedes Bithinia, Mithridatis opera deiecti, ex Senatuſconſulto regna ſua recuperaſſent, hoc ægre ferens Mithridates, & à Nicomede ac Romanis inſuper armis laceſſitus Cappadociam, & Bithiniam inuaſit, Romanos exercitus profligauit: Italos omnes ad condictum diem per totam Aſiam interfecit; Macedoniam, Thraciam, Græciam, & Athenas in ditionem ſuam redegit. Sed contra ipſum Sulla Conſul anno ante Chriſti æram 88. v. c. 666. profectus & Athenas recepit, & Mithridatis ducibus victis ipſum ad pacis conditiones adegit, vti Aſia, Bithinia, & Capadocia cederet. Iterum vero cum Bithiniam, quam Nicodemes moriens anno ante Chr. 75. v. c. 679. Populo Romano reliquerat, armis occupaſſet L. Lucullus anno ante Chriſt. 74. Conſul eo profectus, ſecundiſſimis præliis terra, marique factis Mithridatem in Pontum primo, indeque mox in Armeniam ad Tigranem fugere compulit anno ante Chr. 71. Pontoque ſubacto, ambos Reges cum ducentis peditum millibus, equitum ſexaginta con-

Mithridatici belli cauſæ, & diuturnitas.

Appian. in Mithr. Plutar. Flor. 3. c. 5. Oroſ. 6. c. 2.

Ingens exercitus.

greſſos acie deuicit anno ante Chr. 69. Sub hæc capta Tigranocerta Armeniæ caput, & Niſibis vrbes maximæ: Pompeiuſque ſuccedens Lucullo cum vtroque rege bellum gerens iterum Tigranem ad deditionem adactum ſola contentum Armenia eſſe iuſſit, Iberoſque & Albanos dum Mithridatem perſequitur, Romano adiecit Imperio. Mithridates vero poſtea per annos aliquot neque vrbis neque ruris tecto vſus per ſyluas vagatus eſt ignorãtibus omnibus, quibus eſſet in locis: exiſtimo autem ſe recepiſſe inter Hippios montes & fluuium Rha, vbi Solinus ponit Mithridatis latebram: licet enim Ptolemæus Aſiæ tabula 2. hic Mithridatis patriam ponat, melius dixiſſet latebram, ipſi enim patria fuit Sinope. Denique anno ante Chriſt. 63. vndique pulſus, deſperatis domi rebus, Pharnacis filij, & exercitus defectione territus necem ſibi, vt ſuperius monui, conſciuit anno ætatis 68. vel 69. regni 57. vt Appianus ſentit, Belli Mithridatici 40. Conſule Tullio Cicerone. Illius cadauer à Pharnace filio proditore in trireme Pompeio Sinopem tranſmiſſum regiis monumentis cum magnifica exequiarum pompa illatum eſt.

Luculli & Pompeij victoriæ, de Mithridate.

Solin. c. 25. & Plin. l. 6. c. 5.

Mors & ſepultura.

4. His ita conſtitutis Pompeius ea quæ ad Armeniam ſunt & Colchidem regulis diuiſit, quorum opera in bello vſus fuerat. Reliqua in vndecim Reſpublicas diſtribuit, & Bithiniæ addidit, cui & præfecit Pharnacem Mithridatis magni filium, & proditorem, qui annis 15. illam obtinuit, & quinquagenarius obiit, cuius regnum Cæſar dedit Mithridati Pergameno ob egregiam ſibi nauatam operam. Poſtea temporis Romani principes alias aliaſque diuiſiones fecerunt, reges, reguloſque conſtituendo, vrbeſque alias liberas faciendo, alias regulis ſubdendo, quaſdam ſub populi Romani poteſtate relinquendo. Porro Romani Mithridatis morte audita, quaſi in vno illius pectore innumeri hoſtes extincti eſſent, magna cum lætitia dies feſtos egerunt, nec ſine cauſa; maximum enim ſua ætate regem dixit Plinius. Eutropius totam Armeniam minorem & totum Pontium mare in circuitu cum Boſphoro tenuiſſe, in bello aduerſus Romanos naues proprias habuiſſe quadringentas, equitum quinquaginta millia, peditum 250000. frumenti cc. medimnum myriades ad mare detuliſſe. Theſauros præterea tantos habuiſſe in Thalantis vrbe, vt quando traditi ſunt Pompeio, 30. dies in iis recipiendis Quæſtor poſuerit. Eorum pars à Dario Hytaſpis filio ſucceſſoribus per manus fuerat tradita. Partem ex Ptolemæorum regnum Gaza, Cleopatra penes

Strabo l. 12. p. 541.

Mithridatis ingens copia.

Et Theſauri vix credibiles.

Ex Appian. Plin. & aliis.

Digitized by Google

penes Coos depoſuerat, vnde Mithridates à ciuibus traditam deportauerat. Partem ipſe Rex collegerat, elegantioris ſupellectilis percupidus. Hinc aurei, argenteique currus à Pompeio in triumpho deportati, traductaque carpenta, & fercula onuſta auro & ornamentis, in quibus lectus Darij Hytaſpis filij, & ſella ſceptrumque Eupatoris, aureaque illius effigies octo cubitorum pectore tenus, argentique ſignati ſeptem millia myriadum, & DX. drachmæ.

CAPVT XVIII.

Pontus, ex Bithinia.

1. POnti proprie dicti limites valde exigui, Parthenus, & Sangarius amnes: Bithiniæ paulò maiores; Sangarius, & Rhyndacus. Si tamen Pontum accipias pro iis regionibus, quibus Mithridates vltimi duo Reges Ponti imperarunt, longè erunt alij, nam pater dictus Mithridates Euergetes, & amicus populi Romani appellatus quod contra Pœnos auxiliaribus nauibus Romanos iuuiſſet, obtinuit præterea Syriam præmij loco, & ea tenuit omnia, quæ erant ab Heracleâ ad Colchidem: Mithridates vero magnus dictus Bacchus, qui à Pompeio ſuperatus eſt, obtinuit quæcunque erant in totius Pontici maris circuitu. Bithiniam Nicomedes Philopator, qui Iulium Cæſarem educauit, liberis carens, populo Romano, imperante Auguſto reliquit teſtamento. Ponti ſimiliter regnum deficiente ſtirpe, Neronis tempore, prouincia facta, Pontuſque dicta, ſicque tota regio à Boſporo Thracio vſque ad Colchidem, Euphratem, & Armeniam Ponto attributa. In codice Iuſtinianæo paſſim appellatur Diœceſis Pontica, cuius Vicarius vndecim prouinciis præerat.

Pontici regni limites varij.

Pontus & Bithinia & quando ad Romanos peruenerũt.

2. Pontus abundat frumento, cui primas poſt Africum tribuit Theophraſtus, aitque eſſe duriſſimum. Materia ſimiliter ad fabricandas naues eximia. Hinc enim ligna ſpiſſa, recta, procera, enodia, ex quibus fiunt remi longè optimi. Margaritis Pontum fuiſſe plenum multi tradunt: aliquas aureas, alias ſanguineas ſtellas habere, quaſdam guttis aſperſas, & longis colorum ductibus lineatas. Vniones etiam habet, ſed quæ Britannicis inferiores ſunt, & cum Erythræis nullo modo comparandæ. Hic etiam ſicut & in Paphlagonia & ad Heraclæam effodiuntur piſces gratiſſimi in locis, vbi nullæ reſtagnant aquæ, qui gignuntur ſine coitu,

Theophr. l. 8. c. 4. & l. 5. c. 3. & l. 4. c. 1.

Plin. l. 2. c. 103.

Ælian. l. 15. de anima c. 8.

Plin. l. 9. c. 57. & Ariſt.

Lignorum Ponti prima laus.

Vniones & Margaritæ Ponticæ.

Piſces foſſiles.

qui nonniſi patinarum calore, vitalem motum fatentur. Bithinia ſimiliter regio opulenta, fertilis, opima. In ea foditur auri pigmentum, & criſtallus. Rebus naualibus excellit. In deliciis ſunt hic certi quidam vermes albi, & obeſi, qui nigello ſunt capite, & in lignorum carie naſcuntur, doctiſſimorum etiam virorum ferax fuit. Nec ſilendum quod ſcripſit Plinius in Ponto, equas nigro eſſe lacte, indigenaſque eo ali.

Fodinæ criſtalli & auripigmenti.

Lac equarũ nigrum.

3. Sed ad litora oratio noſtra videat. Poſt Paphlagoniam deinceps eſt Parthenus fluuius per florida labens loca, vnde id nomen conſecutus quaſi virgineum diceres. Fontes habet in Paphlagonia quam & ſeparat à Bithinia. Modo lenis, modo rapidus fluit. Ad eum fabulantur Dianam venando ſe oblectaſſe, & corpus abluere ſolitam. In litore Ponti fuit *Mela.* Tium vrbs, Mileſiorum colonia, & patria Anacreontis poëtæ. Abeſt à Tio 30. mille paſſus Heraclea, nunc Penderachie *Plin.* vrbs ab Argonautis in gratiam Herculis condita, & dicta Pontica, quod aliæ ſint 22. eiuſdem nominis ciuitates. Prædita eſt Acone portu commodo, ſed prouentu malorum graminum vſque adeo celebri, vt noxias herbas omnes aconita nominemus. Fuit primum libera, deinde Tyrannos paſſa & *Solin. c. 55* Reges, tandemque Romanorum facta eſt colonia, cui pars vrbis & agri tributa fuit, aliquando Ponti Metropolis. Celebrantur hic mures Pontici beneolentes: laurus dicta inſana, quod ſi quid ex ea decerptum inferatur nauibus, iurgia *Niceph. l. 11.* fiant, donec abiiciatur. Quercus duæ ab Hercule ſatæ. Acheruſias peninſula & Promontorium excelſum præruptum, platanis ſatum, in cuius deſcenſu verſus meridiem *Solin. ibid.* ſpecus eſt Acheruſia, foramen cæcum, quod aduſque inferna aiunt penetrare, per quod & volunt deſcendiſſe Herculem ad tartara, & Cerberum extraxiſſe, ex cuius ſpuma Aconitum magna copia hic procreatum ſit.

Parthenus fluuius.

Tium Anacreontis patria.

Heraclea Ponti veru Pẽderachie.

Mures Pontici.

Laurus inſana.

Acheruſiũ foramen.

4. Superato poſtmodum Promontorio de Cio, vbi olim Diopolis aperit ſe ſinus, in quem flumina plurima, & magna euoluuntur Acheron, Lycus, Elatas, Hippius, & Sangarius. Lycus per Mariandynorum regionem rapido violentoque curſu ad animalis voraciſſimi ſimilitudinem, ſic dictus eſt; hodie Lartachus appellatur; per Heracleam abit in Pontum. Sequitur Elatas, qui vrbem rigat Bithynium dictam, poſteaque Claudiopolim. Hyppius & à lenitate ſic dictus & à monte Hyppio, ex quo oritur, perlabitur Pruſam, quæ ad Hyppium cognominatur, Turcis etiam nunc celebris. Bruſam inuerſis & mutatis literis poſteriores vocarunt.

Lycus flu.

Hyppius fl.

Pruſa ad Hyppium.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XIX.

Bithynia.

Liu. 1. SAngarij fl. oſtio imminet mons Scoroda Ponticorum, & Bithinorum terminus. Accolis præbet ingentem piſcium vim. Cn. Manlius in bello contra Gallogræcos, quia *Cedrenus.* vado nuſquam per eum tranſitus erat, Pontem fecit ligneum ad exercitum traducendum: Iuſtinianus verò lapideum quinque fornicibus fultum. Fons eius in vico primum dicto Sangio, poſteaque Paſſo, in quo ſub Valente Imperatore con- *Strabo.* cilia coacta duo Epiſcoporum Nouatianorum: cumque in his partibus ex antiquo templum eſſet non longè à fontibus ſacris Matri Deorum, quæ à Phrygibus imprimis culta fuit, & cuius ſacerdotes Galli nominabantur, Deiparæ Iuſtinianus illud conſecrauit. Ad ſuperiores eiuſdem fluuij partes fuerunt perantiqua Phrygum domicilia Midæ, & eo prioris Gordij; & Gordeius regia Caſtoris, & Saocondarij quem *Strabo l. 12 p. 568.* ibi & vxorem eius, filiam ſuam Deiotarus trucidauit, caſtellumque diruit. Aiunt hunc Gordium virum ruſticum, cum lora plauſtri geſtans, Rex ſalutatus eſſet, ipſa lora ad rei memoriam in templo Iouis ſuſpendiſſe, fuiſſeque in iis nodum adeo perplexum, & implicatum, vt indiſſolubilis putaretur, quem Alexander Macedo cum vidiſſet, & audiuiſſet editam eſſe ſortem oraculo, Aſiæ potiturum, qui inexplicabile vinculum ſoluiſſet, gladio ruptis omnibus loris ſortem oraculi vel eluſit, vel impleuit. Huius vero filius Midas *Curtius l. 3. c. 1.* cum cunctos Reges Phrygiæ ſuperaret pecuniæ copiâ, ſubauſcultatores ſolitus erat mittere in omnem partem, quorum auribus quum reſciret quæ clam, & procul fiebant, occaſionem dedit Acroamati, auriculas aſini Midas Rex habet. Regnabat in Phrygia circa annum ante Chriſtum 1310. Ad eundem amnem ſed in Bithinia fuit Iuliopolis, quam condidit Cleo prædonum dux ab Auguſto Cæſare auctus diuitiis, quòd ipſi adfuiſſet in Acciaco bello, Comanenſe ſacerdotium etiam poſtea obtinuit.

Matri Deorum conſecrata templa Iuſtinianus Deiparæ addixit.

Midæ & Gordij domicilia, nodus, & fabulæ.

Prædonum dux à Cæſare auctus honore, & diuitiis.

2. In reliquo litore vſque ad Boſporum Thraciæ nihil occurrit magnopere dignum relatu. Hoc autem fretum licet ſit rapidum, & fluctus in eo inſtar montium aliquando aſſurgant; nauigabile tamen eſt, quod plures 30. ſint in eo ſinus portuoſi. Sacrum oſtium illud maiores appellauerunt, quòd innumeris Deorum, Dearúmque templis, & delubris

Boſpori Thraciæ grata deſcriptio.

Digitized by Google

oneratum potius eſſet quàm ornatum. Colles, atque valles circum circa nemoroſæ, vitiferæ, & frugiferæ, riuique perennes, atque pellucidi hinc atque hinc in illud illabentes gratiſſimum præbent ſpectaculum, quod non mediocriter augent Delphinorum, Pelamidum, aliorúmque piſcium greges, qui in aquis, quæ ſunt hic dulciores, quàm in mari, laſciuiunt. Freto prætenduntur Cyaneæ exiguæ duæ inſulæ, ſtadiis circiter 20. à freto diſiunctæ, poëtarum fabulis illuſtres.

Cynaneæ inſulæ.

3. Vrbium, quarum diues fuit Bithinia, præcipuæ fuerunt appoſitæ huic freto, & Propontidi. In ipſo ore ad caput Giro vbi quondam Dianæ fanum, nunc eſt Noſocomium celebre fundatum à matre Mahemeti, in quo aluntur peregre proficiſcentes, cuiuſcunque ſint religionis; paulo interius ad Promontorium quod Græci dicunt Scutari, Iſcodar Turci, è Regione Bizantij olim ſtetit Chryſopolis, vbi tributa Regi Perſarum pro Aſia pendebantur: Poſtea nauale Calcedonis Megaricæ vrbis, in qua celebratum concilium generale anno Chriſti 451. Viſuntur in hanc diem eius rudera 10. circiter lapide à cornu Scutari, ad quod etiamnum eſt forum equarium, in quo egregij plures equi cum Arabes tum Armeni proſtant venales.

Suidas. Leunclav. & recent.

Chryſopolis. Calcedon Scutari.

Forū equarium.

4. Chalcedonium litus ſubſequitur ſinus Aſtacenus, pars Propontidis, cui nomen ab Aſtaco vrbe, quam Megarenſes, & Athenienſes condiderunt, Dædalſus inſtaurauit, Lyſimachus deleuit, Helena adamauit, tùm quod ibi orta eſſet (vt ſentiunt plures viri docti, non tamen Baronius, nec Angli) tum quod Lucianus Martyr, poſt Martyrium, à Delphine fuit in eam deportatus, tandemque Conſtantinus inſtauratam illam à matre ſua Helenopolim voluit nuncupari, magna immunitate vrbi conceſſa anno 327. In eodem ſinu eſt Nicomedia vulgo Comidia 57. 30. 42. 30. nomen habens à conditore ſuo Bithiniæ rege, habuit hæc vrbs Epiſcopum Euſebium à Libanio falſa Deorum perſuaſione primo dementatum, poſteáque hæreſi Ariana infamem; hic etiam Lactantius Rhetoricam profeſſus, mox diſcipulorum penuria ſub Conſtantino ad ſcribendum ſe contulit. Denique in ea vrbe mortuus eſt magnus Conſtantinus, ad eam delatus è Pythia vrbe, quæ poſtea Soteropolis dicta ob thermas medicæ ſalubritatis, in quibus lauans Imperator venenum pro pharmaco inſcius hauſerat.

Aſtacenus ſinus. S. Helenæ patria. Henelopolis. Nicomedia. Euſebius quomodo corruptus. Lactantius. Conſtantini mors.

Chronic. Alexand.

5. Aſtaceno ſinui alius eſt contiguus, in quem deſinit Aſcanius fluuius nunc Londar, ex palude eiuſdem nominis deſcendens

Strabo. p. 565. deſcendens ad quem ſita Nicæa 57 30. 41. 40. Primaria Bithiniæ vrbs, quæ ambitur campo magno, & admodum fœcundo, ſed per æſtatem non admodum ſalubri. Hanc Antigonus primum condidit, & Antigoniam nominauit, deinde Lyſimachus, qui eam ab vxore Nicæam appellauit. Vrbs ipſa quadrata fuit ambitu ſtadiorum 16. habebat gymnaſium in campo portis quatuor apertum, cuius vici ſic erant ad angulos rectos conſtituti, vt qui in medio lapide gymnaſij conſtitiſſet, is portas omnes quatuor poſſet videre. Primum in ea fuit Æcumenicum concilium celebratum à 318. Epiſcopis anno Christi 324 tandemque anno Christi 368. funditus euerſa terræmotu. Obſeruandum vero quod narrat Gregorius Preſbyter Cæſareæ Cappadociæ, diſceſſuris patribus, fontem eo loco ſcaturiiſſe, vbi Patres in Synodo conſederant, perſeueraſſe etiam ſuo tempore. In ſeptentrionali ora eiuſdem ſinus fuit Lybiſſa Hannibalis ſepulchro nobilis. Sequitur in ora Apamia 56. 50. 41. 56. dicta poſtea Myrlea à Myrlo Colophoniorum Duce; & Pruſa penes Olympum montem ſita in long. 57. lat. 41. 40. Condita ab Hannibale poſt deuictum à Romanis Antiochum, cum Pruſias eum Rex hoſpitio excepiſſet; Burſa nunc vocatur, eſtque Turſici Imperij caput in Aſia, vix cedens Conſtantinopoli, ſedes Ottomannorum Imperatorum ante captam Conſtantinopolim, hodiéque in ea ſepeliuntur omnes, qui ex Ottomanica ſunt familia, exceptis Imperatoribus, qui Conſtantinopoli conduntur. Abundat omnibus mercibus, quibus Conſtantinopolis, maxime autem ſerico quod mille Camelis aduectum è Syria, & Oriente crudum, hic pectinatur, vltimo colore tingitur, texiturque opere topiario variatum heteromallon duplarij villi, auro, & argento mixtum, quod inde per Europam diſtrahitur. Negotiales in ea vrbe ſuos habent inſtitores Veneti. Burſæ à tergo imminet mons Olympus, qui flumen fundit Rhindacum, quod Bithiniam ab Aſia minore ſeparat, eſtque maximum eorum, quæ in Propontidem abeunt. Circa montem naſcuntur angues immanes, qui dum hiant ſuperuolantes aues abſorbent: altiſſimus eſt hic mons ſterilis in vertice, tectus niue pene ſemper, circa medium abundat malis granatis, aliiſque arboribus. Radices deſinunt in vallem, in qua gratiſſimi horti, & pars celeberrimæ vrbis Burſiæ. Eum montem vocant Græci Calogeron Oron propter Monaſteria, quæ in eo ſunt plurima.

Nicæa.

Vide Metaph. 10. Iulij. Lipom. tom. 6.

Fons è loco in quo Nicæna ſynodus emanás.

Burſa penes Olympum.

Serici magnum commercium.

Rhindacus flu.

Mons Olympicus.

Angues immanes.

Digitized by Google

CAPVT XX.

Aſia propriè dicta & Troas.

Aſiæ minoris vbertas tum ingeniorum, tum agrorum.

1. HÆc eſt opima, & fertilis illa regio, quæ & vbertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine paſtionis, & multitudine earum rerum, quæ exportantur, facile omnibus terris antecellit. Ex hac prodierunt celeberrima illa ingenia dicta Aſiatica, per gentes inclyta, Poëtæ, hiſtoriæ conditores, naturæ indicatores, & ſubtilioris doctrinæ arcanis inſignes. In totum felix regio, ſi terræmotus præcipuum Aſiæ malum, non infeſtarent. Hinc ſeptemuiri toto orbe dicti ſapientes, ſi tamen ſapientes dicendi, qui tantum iudicio ſtultorum crediti ſunt ſapere.

Cic. in Epiſt. ad Quintum frat. *Solin. c. 39.*

Continetur amne Rhyndaco in long. 46. 20. lat. 41. 45. parte Propontidis, nec non Ægeis litoribus ad Promontorium Telmeſſum ſeu flumen Xanthum in long. 60. lat. 36. Regiones illius fuerunt Phrygia, Myſia, Troas, Æolis, Ionia, Lydia, Caria, Lycia.

Difficile eſt, inquit Strabo, Bithinorum, Myſorum, & Phrygum fines diſtinguere, quod ij, à quibus plerique populi hæc deſumpſere nomina, conſtanter occupatam terram non poſſidebant, quippe milites aduenæ vt plurimum Thraces, & Barbari; ſed fermè vagabantur, eiiciebant, & eiiciebantur.

L. 12. p. 564.

2. Myſia, qua Helleſpontum attingit, Troianis poſſidentibus Troas fuit, qua Leſbum inſulam, Æolis. In Troade hæc occurrunt loca memoratu digna. Cyzicus vulgo Chyſico, quæ inſula eſt Propontidis proxima oſtio Rhindaci fl. iuncta continenti, habens vrbem eiuſdem nominis, mœnibus, arce & turribus marmoreis, cui nomen indidit Cyzicus Rex, quem Iaſon per imprudentiam interemit. Magnitudine, & pulchritudine fuit olim hæc vrbs cum primis Aſiæ comparanda, paci, & bello apta, ſita in long. 56. 45. lat. 41. 35. in Phrygia medio quaſi limite inter Bithiniam, & Troadem Rhindacum, & Æſapum amnes. Eſt enimuero Troas regio exigua Helleſponto adiacens inter fluuium Æſapum, & Promontorium Lectum comprehenſa. Primum eius opidum, quod occurrit in litore in longit. 56. 32. latit. 41. 25. fuit Parium, à Mileſiis Erythræis Pariiſque conditum, iuxta quod fuerunt gentes Ophiogenes dictæ, quæ ſaliua ſua ſerpentum ictibus medebantur. Sequitur Lampſacus vrbs clara,

Mela l. 1. Troas. Cyzicus. Troadis ſitus. Ophiogenes. Lampſacus.

clara & nobilis, deliciis dedita, & in qua Priapus potiſſimum colebatur. Inter Æſapum, & Priapum Granicus fluit Ptolemæo Grenicus fluuius ex Ida monte profluens per Adraſteum campum minoris Aſiæ, pugna quæ primum inter Perſas & Alexandrum fuit nobilem. Abydos vrbs à Mileſiis condita, Gyge Lydorum rege permittente, qui totius Troadis Imperium tenuit, cui Seſtos in Europa opponitur intercedente anguſto freto, quod ab Helle Phrixi ſorore in eo ſubmerſa, cum tranſmitteret naue, quæ in prora pictum habebat arietem, Helleſpontus nuncupatur: fuit Abydos patria Leandri; laudantur à Virgilio oſtrea Abydi. Dardanum vrbs condita eſt anno ante Chriſtum 1477. A Dardano, à quo regio vicina Dardania dicta. Is in Phrygiam traieciſſe dicitur, & à Rege Teucro, qui tum hic regnabat, obtinuiſſe dotis nomine terræ portionem, in qua vrbem condidit. Erichthonius eius filius genuit Troem, qui maluit à ſe vrbem Troiam, quàm ab auo dici Dardaniam. Trois filius Ilus Ilio nomen dedit, quod euerſum poſtea fuit anno ante Chriſtum 1184. poſt annos à Troia condita 298. Per campum Troianum labitur Simois ex Ida monte deiectus, cui miſcetur fluuius is, quem Dij Xanthum, homines Scamandum appellauerunt, in quo ſponſæ iam nuptæ ſe abluebant, Scamando virginitatem reſignantes: In Helleſpontum ſimul abeunt fama, quam natura maiora flumina ad Sigæum Promontorium, nam ſunt tam exigua, vt æſtiuo tempore deſtituantur aquis, hyeme vero vix ſint anſeribus natatilia.

Mela. Curtius. Strabo.

Granicus flu. Adraſtus Campus. Pugna 1. Alexandri contra Perſas.

Helleſpontus.

Troianæ vrbis origo, Ilium quando euerſum. Simois, & Xanthus fl.

3. Per Troadem Xerxes Perſarum Rex anno ante Chriſtum 480. ex Aſia appetente vere traduxit in Græciam exercitum, qui conſtabat peditibus 800000. ad Helleſponti fretum iunctis nauibus 1200. ad pontis inſtar conſtratis. Anno ſimiliter ante Chriſtum 335. Conuentu habito Corinthi, cum Græcorum aduerſus Perſas Imperator decretus eſſet Alexander, illico ex fœdere naues ſociis imperauit, quæ Helleſponto præſiderent, ipſeque ſequenti proximo cum annum ageret alterum & viceſimum cum 30. peditum, quatuor millibus equitum, & quingentis, centum & ſexaginta triremibus, plurimiſque onerariis primo vere per eundem Helleſpontum in Aſiam traiecit, primuſque ex naui haſtam in litus coniectam quaſi Aſiæ poſſeſſionem occupaturus defixit, eodemque anno in Adraſtiis campis conflixit & ſexaginta Perſarum millia fudit, decem peditum, duobus millibus equitum deletis, viginti millibus captiuis, deſideratis tantum è ſuis equitibus 25. & peditibus nouem; omniſque pene

Xerxis Pons & exercitus.

Alexandri magni exercitus & pugna ad Granicum.

Curtius. Iuſtinus. Plutar.

ora Aſiæ minoris ab eo ſubacta eſt. Nouiſſime autem anno Domini 1363. Amurates, octuaginta nouem annis, antequam nepos eius, Mahometes Conſtantinopolim expugnaret eodem tranſmiſit freto.

Mons Ida. Lectū Promontorium. 4. Mons Ida ex anguſtiis Abydi ad orientem Myſiæ declinans, inde flectitur ad lectum Promontorium, multa emittens flumina. In eius medio extructum antrum fuit diis accipiendis accommodum, in quo Paris de tribus Deabus iudicium habuiſſe dicitur. Altus eſt adeo hic mons, vt circa canis exortum, eius vertex nullum ventorum flatum ſentiat, nocte vero adhuc durante ante ſolis ortum videt ſolem, eiuſque fulgor in multas partes late circunſpicitur, velut ſi ignis luculentus terræ horizontem corriperet. Sigæum Promontorium & opidum, Hecubæ tumulo, Turri, & delubro Proteſilai, &, vt volunt aliqui, ſepulcro Aiacis nobile, ſic dictum putatur, quod nullum in eo ſit vnquam ſilentium, aquis ſe perpetuo ad ſaxa illidentibus. Poſt Sigæum è regione Tenedi inſulæ, ſequitur Troas opidum, colonia Romana, Apoſtoli etiam ætate Alexandria dictum, in ipſis Helleſponti faucibus iacet. Eius Lucas meminit Act. 16. cum ſoluiſſemus à Troade recto curſu venimus Samothracem: Eſt enim Troas & vrbis nomen, & regiunculæ, cui Phrygia ſuperfunditur, commodiſſimaque eſt è Troadis portu in Thraciam & Macedoniam nauigatio. Meminit etiam eiuſdem vrbis idem Paulus ſecunda ad Timotheum 4. Cum ait penulam ſe reliquiſſe apud Carpum & in Actis c. 20. vbi dicitur peragrata Græcia, & Macedonia huc veniſſe, 7. diebus, in ea memoratum panem noctu cum fratribus fregiſſe, & ſermonem vſque ad diluculum protraxiſſe. Supra Troadem remotius à mari Gargara fuerunt & mons Ida & Ilium, vt ſupra diximus. fuit & Gergythos à quo Gergythiæ Sibyllæ nomen eſt in Marpeſſo vico.

Diod. Sic.

Solis Orientis mirus aſpectus. *Sigæum Promontorium.* *Troas Alexandri.*

CAPVT XXI.

Æolis Myſia.

Termini. 1. POſt Troadem ſequitur Æolis à Lecto Promontorio 56. 15. 40. 25. ad Hermum fluuium in longit. 57. 50. in lat. 38. 45. ipſi nomen ab Æoliis Græcis iuxta Iſthmum Græciæ ſitis, qui 12. vrbes in hac parte Myſiæ ædificarunt. Litori prætenditur Leſbos inſula. In continenti fuit Antandrus, quam Leleges habitarunt, & ad quam Græci ſuas naues

Strabo l. 13 p. 581. Nomen. Antandrus. *Virgil.*

ædificarunt.

Digitized by Google

ædificarunt. Ab Antandro non multum remouetur Adramittium, cuius conuentus Adramittenus dictus, & Adramittina nauis illa in Lucæ Actis celebris, cui primum vinctus Apoſtolus à Iulio Centurione Romam nauigaturo impoſitus fuit. Ad Caicum amnem fuit in long. 57. 50. in lat. 39. 40. Pergamum in rupe ſitum (Pergama enim omnia loca editiora vocabantur) Phrygiæ maioris opidum, Regia Attalorum. Huius regni iacta fundamenta à Philetæro Spadone, qui fratres habuit duos Eumenem, & Attalum, qui & in Regnum ſucceſſerunt. Primus nomen regium vſurpauit Attalus, Porremus, prioris nepos Attali, Eumeni ſucceſſit anno ante Chriſtum 242. cumque eſſet pecunia ditiſſimus, & ſplendida, abundantíque ſupellectile, ab eo omnia magnifica, dicta ſunt Attalica. Memoratur etiam percelebris eorumdem Bibliotheca, & Galenus Medicorum clariſſimus qui ibidem floruit anno Chriſti 139. & Apollodorus Auguſti præceptor. Ad oſtium Caici fuit Eleum nauale 120. ſtadiis remotum ab vrbe regia. Cum autem liberis careret Attalus, moriens populum Romanum hæredem conſtituit anno ante Chriſtum 133. Itaque annis tantum circiter 152. Pergami regnatum eſt. Narrat Plutar. in Caico fl. prouenire papauer, quod fructus loco lapides producit, ex quibus nigra quædam exiſtunt lyris ſimillima.

Cap. 17. — Adramittium. — Caicus fl. — Pergamum. — Attalorum Regia. — Attalica ſupellex. — Attalica Bibliotheca. — Gallenus Apollodorus. — Attalis ſuccedunt Romani. — *Plut. de flumin.*

2. Sub Imperatoribus Romanis dicta eſt poſtea Phrygiæ hæc pars, Salutaris ſeu minor ab vrbe Soteropoli ſita ad eundem amnem Caicum, vbi aquæ calidæ ſalubres, & templum, quod S. Michaëli Archangelo magnificentiſſimum poſuit Imperator Conſtantinus, qui & hic obiit. Michaëlium ab antiquis dictum tradunt Nicephorus, & Metaphraſtes, quod hic ſæpius apparuerit, & ingentia patrarit miracula, & ſacer celebriſque fuit conuentus. In extremo ſinu in longit. 58. 5. in lat. 39. fuit Cuma vrbs, ex qua dicta eſt Sibylla, quam alij à vicinitate loci Erytream appellarunt, quæ profecta in Italiam multa de Romanis vaticinata eſt; nunc locus appellatur Foglia, quæ duplex eſt, vetus, & noua, in qua Pyratæ Turci caueam habent ſeu propugnaculum debile, quod oræ maritimæ aliquantulum imperat. In oppoſito eiuſdem ſinus fuit etiam Myrina, nunc Sebaſtopolis ſatis nota propter commercia.

Phrygia dicta ſalubris ab vrbe Soteropoli. — Michaëliũ templum. — Conſtantini obitus. — *Niceph. l. 7. c. 50.* — Sibylla Cumæa. — Myrina.

CAPVT XXII.

Ionia.

1. IOnia, cum cœli bonitate, tum ſitu ipſo nulli regionum poſthabenda. Ipſi nomen ab Ionibus Græcis. Dux Coloniæ fuit Androclus, Codri Athenienſium regis filius. Omnis Ionia vino ſiue ad iucunditatem, ſiue ad vſus Medicos excellit. Cicero de hac maxime parte Aſiæ videtur intellexiſſe, cum Aſiam laudat. Hinc quippe luxus ille Aſiaticus, quem Romani vt admiſerunt, euerſi ſunt, & vrbs illa gentium domina, quam & domeſtica, & militaris virtus euexerat, Aſiaticis opibus delibuta, repente mutatis moribus vitiiſque admiſſis ſeipſam oppreſſit. Poſtea litus aliquot ſe ambagibus ſinuat in ipſo limite boreali in long. 57. 40. lat. 38. 54. Phocæam condiderunt Athenienſes, verum incolæ aſſiduis Perſarum bellis exagitati communi conſenſu vrbem deſerentes, Maſſiliam in Galliis condiderunt. In Phocaicum ſinum illabitur infra Smyrnam Hermus fl. quibuſdam terminus Ioniæ, ortus iuxta Dorylaum Phrygiæ ciuitatem. Augetur Pactolo Lydiæ fluuio, fluoris aurei, qui ortus ex monte Tmolo, vino, melle, & crocco fragrantiſſimo perilluſtri, vrbes rigat Magneſiam, & Sardes quondam caput Lydiæ, ipſiuſque Croëſi Regiam, quæ vna fuit ex ſeptem Aſiæ Eccleſiis, quarum D. Ioannes meminit, ſita in long. 59. lat. 39. 8. In ea olim quum omnium ſe hominum fœliciſſimum Crœſus exiſtimaret, monitus à Solone neminem ante cineres beandum, victus anno ante Chriſt. 544. à Cyro, pyræque impoſitus, cum Solonis nomen inclamaret, Cyrus de ea re edoctus, humanæ viciſſitudinis memor, Crœſum ab incendio liberatum ſummo apud ſe habuit in honore. Cyrus autem Lydia potitus, Aſiam omnem ſibi ſubiecit, eique Mazarem, inde Harpagum præfecit; vt narrat Herodotus.

[Margin: Ioniæ vinū. — Luxus. — Strabo l. 14 p. 639. — Strabo l. 13 p. 582. — Phocæa. — Strabo l. 4. p. 179. — Hermus fl. — Pactolus. — Magneſia. Sardes. — Crœſus incendio liberatus. — Cyrus Aſiā ſubiecit.]

2. Lydia Pactoli & Mæandri recurſibus perfuſa, ſupra Ioniam procedit, Phrygiæ, Myſiæ, & Cariæ proxima. Incolæ primi aurum argentumque ſignarunt, de fœdiſſima libidine aliquando male audierunt. Smyrna non longe ab oſtio Hermi, affuſa amni Melete, in amœno ſita eſt littore in long. 57. 45. lat. 38. 40. Prope montem Maſtuſiam; à Lydis euerſa, ab Antigono & Lyſimacho fuit inſtaurata: Patria creditur Homeri; celebratur propter conuentum & Eccleſiam, quam Apoſtoli in ea vrbe condiderunt, quam & Polycarpus rexit

[Margin: Aurum primi ſignarunt Pactoli accolæ. — Smyrna.]

Apoſtolorum

Apoſtolorum diſcipulus. Portus item celebritate ſemper claruit, in hanc diem ſitus in Iſthmo peninſulæ quæ in occaſum excurrit, in qua etiam vrbes fuerunt Clazomene prius Grina, vnde Apollo Grinæus dictus eſt, & in extremo Cherſoneſi Promontorium Argeum dictum: mox è Regione Chiæ inſulæ Erytris fuit priſcis temporibus Sibylla mulier fatidua, & diuino furore incitata, Alexandrique etiam tempore alia ibidem orta & itidem vates. In proximo ſinu fuerunt Lebedus Hiſtrionum collegio aliquando celebris, & Colophon ad Haleſum amnem ſita iuxta Mirantem montem in long. 58. lat. 38. 10. ad mare, nobilis oraculo Apollinis, nauali commercio, & equitatu famoſo.

Clazomene
Erythrææ Sibyllæ duæ.
Hiſtrionũ Collegium.
Colophon.

3. Cayſter fluuius Aſiaticarum opum vector, quem è Lydiæ Cyldano monte venientem & frequentibus auctum fluuiis, ſinus Epheſinus excipit, creditur tantum limi, è Mæandro inuehere, vt terras propagauerit in maria, & inſulas continenti annexuerit. Philadelphiam ab Attalo Philadelpho conditam rigat, quæ tam frequentibus terræ motibus concutitur, vt eius incolæ, vt plurimum degant in agris; vna eſt è ſeptem Eccleſiis, quæ memorantur in Apocalypſi. Supra Philadelphiam, orientem verſus exuſta eſt regio, ſtadiis longa 500. lata 400. vbi nullæ arbores præter vitem, quæ vinum fundit generoſum, quod vocant exuſtum; rigat & Metropolim Epheſum, infra quam miſcetur mari Ionio.

Cayſter fl.
Philadelphia.
Exuſta regio.
Vbi vinum exuſtum dictum.
Epheſus.

Supra Epheſum in montibus verſus Mæandrum fuit Priena Biantis patria vnius è ſeptem ſapientibus, qui floruit anno ante Chriſtum 608. Mæander autem flu. crebris flexibus ita ſinuoſus eſt propter flumina, quæ recipit, ambiguoque lapſu ſic fluit, & refluit, vt cum ad originem reuerti videretur, Anabænon, hoc eſt, retrogradus ſit dictus. Cygnorum etiam copia memorabilis. Oritur è lacu in monte Aulocrone, lenis illabitur mari, quod dicitur Myrtorum ab auriga Ænomai Myrtilo merſo in hoc mari. Mæander vero appellatur à Duce Mæandro, qui poſt vxorem, & filium interfectos in id flumen ſe præcipitem dedit. Creſcit in ipſo lapis per antiphraſim Sophron, id eſt Sapiens dictus, quem ſi in alicuius ſinum proiicias, impotentis animi Veſano corripitur ſtudio. Nec procul diſtat mons Sipilus in quo generatur lapis Cylindro ſimilis, quem vbi pij filij inuenere, in templo Matris Deorum reponunt, nec vnquam impie peccant, imo parentes diligunt, & cognatis ſuis morigeri ſunt.

Bias Prienæus.
Mæander fl.
Plutarc. de flumin.
Seruius in 3. Geor.
Lapis ſapiens.
Plutarc. de flum.
Lapis pius.

Digitized by Google

CAPVT XXIII.

Templum Epheſinum.

Vrbs Epheſus. 1. IN pulcherrimo ſitu poſita eſt Epheſus, longe omnium Ionicarum vrbium clariſſima, & Aſiæ olim lumen dicta. Vrbis ſplendorem augebant circunſtantia opida, & obiectæ ſinui inſulæ Samos, & Icaria fertilitate memorabiles. Paluſtri loco ſita fuit in longit. 57. 55. latit. 37. 40. ne terræmotus ſentiret, aut hiatus timeret, eius fundamentum calcatis (Fundamenta carbonibus & velleribus ſtrata.) primum carbonibus, mox velleribus lanæ ſubſtratum. Clara fuit portu ſuo, celebris propter Parrhaſium pictorem, & (*Epiphan.*) Theodotionem, qui anno ante Chriſtum 216 ex Marcionita Iudæus ſacras literas Græce interpretatus eſt. (Parrhaſius. Theodotio.) ſed à religione & operoſiſſimo Dianæ templo in tantum aucta eius fama eſt, vt nec aliud opulentius templum, per Aſiam, aut ornatius creditum aut ſpectatum ſit. Nam omnium, etiam eius quod in Comanis fuit, opes, donaria, & anathemata Epheſinum numen vicit.

Templum. Templum vrbe media ſurgebat Græcæ magnificentiæ vera admiratio, ducentis, & viginti annis (vel vt alij habent quadringentis) factum à tota Aſia, longitudo 425. pedum latitudo 220. erat, columnæ 127. à ſingulis regibus dedicatæ, ſexaginta pedum altitudine, ex iis 36. cælatæ. (*Plin. naturalis l. 36. c. 14. & l. 16. c. 40.*) Iuſta templum (Aſylum.) Aſylum erat libertatis inuiolatæ, ad ſtadij ſpacium, ab Alexandro extenſum, quod Auguſtus tamen damnoſum eſſe ratus, quoniam impunitate propoſita multorum libido ad ſcelus inuitaretur, irritum fecit. Fons Callipias (Fons Callipias.) prope templum amœnus, & qui procul venientes vel aſpectu recreabat: intus (Simulacrum.) ſimulacrum Dianæ, quod alij vitigeneum ferunt, alij ex ebeno, & paſſim vbique innumeræ imagines, ſimulacraque auro, argento, ebore, marmore cum ſuis ædiculis & loculamentis conſpicua. (Donaria.) Donaria item à regibus, vrbibus, gentibus, populis collata, dicataque, quæ omnia vel per ſe ipſa ſpectata, peregrinantium iter, & ſudorem leuabant. Hic præterea multæ pecuniæ partim priuatorum, partim populorum (*Dio Chr. in Rho. orat. 31.*) & Regum depoſita, ſecuritatis gratia, nemine vnquam auſo, loco inferre iniuriam, cumque alij aliis fama excitati ſuccederent, nullus erat viſitandi numinis finis. Cum votorum quoque nullus eſſet, magnus ibi artificum prouentus, maior ſacerdotum erat: ſplendore, ornatu, opulentia radiabant omnia. Cum vero nullo ſæculo ea maieſtas videretur interitura,

Digitized by Google

titura, Chriſto Epheſiis per pauperem, humilemque Apoſtolum nunciato ita ceſſit, vt plus minus triennio magna vrbis pars Dianâ ſpreta, & reiectis inanium Deorum ſimulacris vnicum amplexa ſit Deum: præterea libros veteris inſcitiæ, & magicæ ſuperſtitionis plenos, nec paruo precio comparatos flammis tradiderunt Epheſij. Tantæque molis templum, orbis miraculum & ornamentum anno Chriſti 263. ſub Gallieno Imperatore inuadentibus Gothis Aſiam, vt author eſt Iulius Capitolinus, ſpoliatumque eſt penitus & incenſum, ab Heroſtrato, vt nomen memoria ſceleris extenderet & ſicut ipſe faſſus eſt, voto adipiſcendæ famæ latioris. *Incenſum.* *Luc. 10.* *Solin. c. 52*

Diog. 2. Nec prætereundus videtur Heraclitus Epheſinus Philoſophus, qui circa annum ante Chriſt. 504. Darium ad ſe ſe vocantem aſpernatus eſt, qui quoties domo egrediebatur, flebat, quod omnia, quæ agunt homines digna fletu iudicaret eo autem videtur admiratione maiori dignior, quod, vt tradit Suidas, nullum inuenitur habuiſſe præceptorem, tantumque profeciſſe naturæ ſolius diligenti obſeruatione, maximeque ſingulorum reſolutione in fumum, quippe exiſtimabat naribus poſſe cuncta facile diſcerni, quod vniuerſa in odoris rationem venirent. *Heraclitus.* *Cuncta naribus, diſcernebat.*

CAPVT XXIV.

Mæandro affuſa opida.

1. PLurima ſunt Mœandro affuſa opida, quorum præcipuum Apamia, Cibotus à nomine matris Antiochi ſoteris dictum, clariſſimum & totius Aſiæ poſt Epheſum, celeberrimum emporium: ſitum in long. 61. 10. lat. 38. 56. Sed illuſtrior Laodicæa ſuper Lyco, propter Paulum qui Chriſtum in ea docuit, & Epiſtolam, quæ prior ad Timotheum inſcribitur, ex ea vrbe Epheſum miſit. Ex ea fuit Hiero, qui hæreditatem populo diuiſit ſupra duo millia talentorum, & multis donis ciuitatẽ ornauit. Sita eſt in long. 59. 15. lat. 38. 40. loca, quæ ſunt circum Laodiceam, oues alunt præſtantiſſimas, non mollitie modo lanarum, quâ Milleſiis præſtant, ſed etiam ad coruorum nigredinis æmulum colorem. Mæandro influit Lycus amnis, ortus in monte Cadmo, qui & perluit Lycaoniam monti Tauro ſubiectam. Eidem Mæandro omni appoſita vrbs Magneſia, ad quam L. Scipio Aſiaticus deuicit Antiochum, iuxta fuit Antiochia penes Mæandrum vocata, Maſſico amne è Cadmo veniente circunflua, haud procul allabente Mæandro. *Apamia. Cibotus.* *Laodicea.* *Hiero.* *Laodiceæ lanę molliſſimæ, & nigerrimæ.* *Strabo l. 12 p. 578.* *Lycus fl. Lycaonia.* *Magneſia vrbs.* *Antiochia penes Mæandrum.* *Maſſicus fl.*

Digitized by Google

Plin. l. 36. c. 5. & Septentrione hoc ſepulcrum ſexagenos ternos pedes, breuius à frontibus, attollebatur in altitudinem 25. cubitis Cingebatur columnis 36. Ab Oriente cælauit Scopas, à Septentrione Briaxis, à Meridie Timotheus, ab occaſu Leochares, prius vero quam peragerent, cum regina Arthemiſia obiiſſet, non tamen receſſerunt, niſi abſoluto iam opere, id gloriæ ipſorum, artiſque monumentum iudicantes. Hodieque certant manus. Acceſſit & quintus artifex. Namque ſupra pteron, pyramis altitudine inferiorem æquauit, 24. gradibus in metæ cacumen ſe contrahens. In ſummo eſt quadriga marmorea, quam fecit Pythis, hæc adiecta, 140. pedum altitudine totum opus includit. Ex ea vrbe natus Herodotus, anno ante Chriſtum 483. qui ſuam ſcripſit hiſtoriam annos natus 44. natus & Dionyſius, qui ſub Auguſto ſcripſit anno ante Chriſtum circiter 7. ambo dicti Halicarnaſſenſes, ambo eximij hiſtorici, cornu peninſulæ adhæreſcentis Cariæ in long. 56. 25. latit. 36. fuit Cnidus veneris templo, & ſigno Praxitelis perilluſtris, ex qua oriundus Eudoxus Cnidus, qui claruit anno ante Chriſtum 422. trans Calbim amnem fuit Caunus opidum valetudine habitantium infame, æſtate & autumno ob calorem, & pomorum copiam, vnde & aër peſtilentus, & ſic pallentes accolæ & morbidi, vt in ea mortui dicantur ambulare.

Gell. l. 16. cap. 18. — Herodotus. — Dionyſius. — Diog. Euſeb. Strabo. — Eudoxus.

CAPVT XXVI.

Lycia.

1. LYcia prope tota premitur Tauro: eius iugis tam verſus Rhodum, quam Chelidonias inſulas magnam partem clauſa. Caragus mons præcipuus, octo habet vertices, quorum ſummus Chimera dictus, in hanc diem ardet, & leones alit: pars media habet paſcua; ima ad litus deſcendens plena eſt ſerpentibus. Viginti tres apud Lycios vrbes in ſuffragiis dandis participabant, ſed ita vt earum maximæ ius haberent trium ſuffragiorum, mediocres duorum, reliquæ vnius, eademque ratione penderent tributa, & reliqua obirent munia. In mari longe, lateque ſunt aliquando dominati. Syda portus fuit, ad quem Cylices pyratæ captiuos olim ſub haſta vendebant. Poſt Telmeſum promontorium & vrbem, quam Lyciæ finem vocat Mela, abit in mare flu. Xanthus, qui Xanthos rigat vrbem olim Lyciæ maximam. Poſt aliud promontorium eſt fl. Lymir. & eodem nomine

Tauri initium. — Mons Chimera. — Pars Caragi. — Telmeſum promontorium. — Xanthus fl.

Patara. ciuitas. Sequitur in ora Patara, dicta aliquando Lycia Arſinoë. Mox poſt aliud promontorium fuit fons Apollini ſacer, in quo ter vocati fiſtula piſces ad augurium præſtandum, veniebant. Olympus quoque inter alia ibi opidum fuit nobile, ſed intercidit poſtea caſtellum infra quod erant aquæ regiæ ſpectantibus gratiſſimæ.

Piſces euocati fiſtula ad augurium. Olympus ciuitas vbi aquæ regiæ.

CAPVT XXVII.

Pamphilia, Licaonia, Iſauria, Piſidia.

1. QVia his maxime locis vt gentium fines, ita & nomina ſæpe confunduntur, ideo has magnæ Phrygiæ regiones in hoc capite coniungemus. Pamphiliæ nomen dedit arborum copia. Incolarum plerique fuerunt è Troiâ conuenæ. Eam mons Taurus ita ſeparat à Lycia, vt ab vna in aliam nullus ſit aditus, quam per Climacem montem vltimum Tauri, vbi Phaſelis in long. 61. 50. lat. 36 20. vrbs à Mopſo Argiuorum rege condita in finibus Pamphiliæ, memorabilis, & propter Alexandrum, qui per mare in hac parte vadoſum, ſuum traduxit exercitum, & propter tres quos habet portus, Pyratarum perfugium, ad quos omnes furtorum aceruos olim deportabant. Poſt Phaſelidem erat Olbia magna quondam munitio. Sequebatur Attalea nomen habens ab Attalo Philadelpho conditore, hodie dicitur Satalie vrbs munita, & huius oræ præcipua, à qua & nomen ſinui Sataliæ inditum, ad quem frequentes concurrunt qui in Aſia negotiantur viri induſtrij propter tapetia turſici operis, quæ hinc non pauca educuntur, & propter Silicinum Pannum ſubtiliorem, & raſum, hic quippe frequentes capræ tenuiſſimi, molliſſimi, & candidiſſimi pili; viget in ea vſus linguæ Turſicæ, Arabicæ, & Græcæ corruptæ.

Mons Climax. Phaſelis. — *Mela l. 14* — Alexander ſuum vado traducit exercitum. — *Cicero act. 6. in Verr.* — Olbia. — Satalia. — Tapetia turſica. Silicinus Pannus.

2. Inde validus fluuius Cataractes dictus, quia copioſus de excelſo ſaxo, lapſu ingenti ſe proruit, torrentis in morem, eiuſdem decidentis fragor longè auditur, Piſidiam perluit, Phrygiam, & Pamphyliam ortus in Tauro, Piſidiam diuidit in plures regiones, quæ vrbes 12. aliquando ſuſtinuerunt, quibus qui præerat nominatus eſt aliquando Prætor Iuſtinianæus. Vrbium Piſidicarum Terbaſa & Synda nunc Selge præcipuæ, præterea Oronda à quâ Orondicus ager pariter cognominatus, Apollonia item & Colonia Romanorum Cæſarea, quæ & Antiochia Piſidiæ dicta, propter Antiochos qui cum multis annis florentiſſimum in Aſia regnum tenuerint,

Cataractes flu. — Piſſidia. — Prætor Iuſtinianæus. Segle. Oronda. — Apollonia. Antiochia Piſſidiæ.

tenuerint, non mirum ſi multæ paſſim Antiochiæ extiterunt, cum & hac quoque parte, quæſita ſit memoriæ æternitas, conſecratis vrbium nominibus de conditorum nomine. Hæc autem eſt Antiochia Piſidiæ in cuius ſynagogam ingreſſus Paulus præclarum habuit ſermonem, cuius Lucas Actorum 14. meminit.

3. Poſt Piſſidiam idem fluuius Cataractes Pamphiliam ingreſſus ad Pergam venit nunc Pirgie, pone quam in ſublimi loco templum fuit Dianæ Pergeæ, ad quod ſacer fuit conuentus. Pergam ſimiliter venerunt Apoſtoli Paulus, & Barnabas. Deinceps ſunt Ceſtrus fl. & poſt eum alius Eurymedon, nunc Zacuth dictus, quo aduerſo ad 60. ſtadia ſubuectio eſt Aſpendum ad vrbem ſatis populoſam; ſupra hanc fuit Petneliſſus: tum alius fl. & ante eum multæ paruæ inſulæ, tum Sida nunc Candelor Cumæorum colonia: deinde eſt Melas fluuius nauigabilis, ac ſtatio, & vrbs Ptolemais. Magna in hoc mari Cymonis Athenienſium ducis aduerſus Phœnicas, & Perſas naualis pugna, atque victoria fuit, quam etiam pugnantes, ex edito admodum colle proſpectabant Aſpendi. Xerxem enim à Græciæ finibus multa clade pulſum, ſequutus Cymon, antequam ſe ex pauore reciperet, multa hic opida ſubuertit; alia à Rege deficientia in Græcorum fidem, & ditionem recepit, adeo vt omnem Græciam ab Ionia vſque Pamphiliam Græcis ſubiecerit.

Perga. Pamphiliæ.

Act. 13.

Eurymedon flu.

Aſpendum.

Petneliſſus.

Candelor.

Melas fl.

Ptolemais.

Plutar.

Cymonis pugna naualis contra Xerxem.

4. Lycaonia regio eſt tribus à partibus Tauro, & regionibus ad eum ſitis incluſa: ad ortum ſolis, Cataonia: ab occaſu Pamphilia & Piſidia, qua Meridies eſt, Iſauriæ, & Ciliciæ Tracheæ, id eſt, aſperæ imminet. Huic Lycaon Arcadiæ rex nomen dedit, quem fabulantur poëtæ conuerſum fuiſſe in lupum à Ioue, quod humana membra ipſi comedenda appoſuiſſet. Eſt autẽ Lycaon lupus ceruice iubatus & tot modis varius, vt nullum illi colorem dicant abeſſe. Colles Lycaoniæ ſunt amœni licet frigidi ſint, & in iis magna ſit aquarum penuria, atque vbi inuenitur, profundiſſimi ſint putei, vt Soatris, vbi etiam venditur aqua (eſt is pagus opidi inſtar, qui oues nutrit lanæ aſperæ) hi tamen colles paſcui ſunt & læti, cum aſinis ſylueſtribus, tum ouibus quarum Amyntas in his locis vltra 300. greges dicitur habuiſſe. Plura hic ſunt opida. Celeberrimum fuit Iconium in quo Paulus, & Barnabas multo tempore Chriſtum docuerunt. Metropolis enim erat regionis, & in ea præſes, & Dux Limitaneus ius dicebant.

Lycaoniæ fines.

Nomen.

Lycaon lupus omnis, & nullius coloris.

Soatris.

Amyntæ fuerunt greges ouium 300.

Iconium.

5. Fuerunt etiam eiuſdem prouinciæ inſignes vrbes

Digitized by Google

Lyſtra. Derbe. Iſaura. Lyſtra, & Derbe, in quibus etiam D. Paulus verſatus eſt. Nonnulli tribuunt Lycaoniæ Iſauram, quæ & Claudiopolis nominata. Ipſa regio etiam in Tauro eſt, in eáque pagi plures prædonum omnes domicilia, qui Romanis multum negotij exhibuerunt, quos tandem P. Seruilius ſubegit, vnde, & nomen Iſaurici obtinuit. In latere Iſauriæ fuit Derbe ſedes Antipatri Derbæi, quem Amyntas occidit per inſidias, & regiam ſibi ædificauit. Famoſi latrones Iſauri.

CAPVT XXVIII.

Cilicia aſpera, ſeu Secunda.

1. NOmen traxit à Cilice, alumno terræ, quem priſtina ætas pene vltra æuum memoriæ abſcondit, & facit antiquiorem Ioue. Caramania nunc appellatur à Turco Caraman qui Arabas hinc pepulit. Pomponius eam dirimit à Pamphilia Anemurio Promontorio, Plinius Mela amne, Ptolemæus Tauro ea parte ad litus digreſſo. Duplex eſt, altera Tracheotis dicta ab aſperitate, cuius ora maritima anguſta eſt, quia ipſi imminet mons Taurus, & patet à Coraceſio ad Tarſum: altera campeſtris à Tarſo vſque ad Iſſum, quæ intus plurima iacet campo, diues bonis omnibus terra. Triplex in eam tantum aditus, per Pylas Phaſelis ab occaſu, per Pylas Ciliciæ à Septentrione, & per Pylas Amani ab ortu. Vide ea quæ diximus de iis libro 1. 4. ea loca ſunt vbique latrociniis cùm terreſtribus, tum maritimis, quam maxime oportuna, propter montium frequentiam, & materiæ copiam nauibus compingendis aptam. Caramania. Cilicia dicta Tracheotis, ſeu aſpera. Campeſtris. Strabo. p. 668. Piraticæ faciendę locus maxime oportunus.

2. Coraceſium fuit Ciliciæ caſtellum, ſitum in petra prærupta, qua arce belli vſus eſt Diodorus cognomento Trypho, cum à Regibus abalienaret Syriam, bellumque dubiæ fortunæ vicibus aduerſus eos gereret, quem tandem Antiochus Demetrij F. in Caſtello quondam incluſum ad mortem ſibi conciſcendam adegit. Poſt, Sydra vrbs, deinde Hamaxia in colle quodam opidulum cum nauali, in quod cedri, & alia omnis materia nauibus fabricandis idonea vel deuoluitur, vel deducitur facile, propter eaque ab Antonio attributum Cleopatræ, quod ad parandam claſſem videretur maxime idoneum. Deinde Laërtes eſt caſtellum colli impoſitum mammillæ formam habenti ad cuius radices ſtatio eſt non incommoda. Poſt Selinus fl. hinc Cragus præceps ad mare, deinde Charadrus caſtellum cum ſtatione. Superne illi Coraceſiũ. Hamaxia nauale oportunum claſſi parandæ. Laërtes. Strabo. p. 669.

Digitized by Google

illi imminet Andriclus mons, ſuccedit Plataniſtus aſperum litus.

3. Inde Anemurium promontorium, vbi continens ad Cyprum proxime accedit, ad Cronij promontorium, traiectu ſtadiorum 350. Poſt Anemurium eſt vrbs Agidos, inde Arſinoë ſtationem habens, poſt locus Melania, & Calenderis vrbs cum portu. Deinde Calycadni oſtia inter promontoria Sarpedon & Zephirium; ſecundum eum nauigatur Seleuciam Patriam Athenæi. Poſt Calycadnum eſt petra Pœcile, id eſt, varia dicta, vbi inciſi ſunt gradus qua Seleuciam itur. Deinde Anemurium eiuſdem cum priore nominis promontorium. Hinc Crambruſa inſula & Corycus vrbs in promontorio ſita, ad quam Crocus eſt omni alio præſtantior, quod ſpiret fragrantius, & ſit colore plus aureo, ſupra promontorium ad 20. ſtadia antrum eſt Corycium.

Anemuriū. Seleucia Athenæi patria. Anemuriū. Crambuſa inſula. Crocus Coryci.

CAPVT XXIX.

Coricium antrum.

1. CAuerna eſt ingens, & ſupra quam deſcribi poſſit, facile eximia. Ipſi mons imponitur, qui à ſummo vertice patulus hiat petroſo labro, quod deiectis lateribus in terræ profundum nemoroſo orbe amplectitur mediam inanitatem. Virentes vndique hinc inde pendent luci domeſticis virgultis pleni, & conſiti croco. Gratiſſimæ huius ſolitudinis amœnæ vmbræ, & opacæ quibuſdam in locis ſyluulæ, agreſte neſcio quid reſonarent, ob riuos quos ſaxa è longinquo rotant, muſco obſita, niſi auicularum, quæ hic frigus captant ſuauiſſimus concentus, animos eorum, qui in has partes deſcendunt, reficeret, ac recrearet. Caue ne aditum occupes, & deſcenſui te committas, niſi largo iam die & adulta luce; deſcenſus enim in eam eſt per 2500. paſſus, nonnihil aliquando lubricus, eſtque procliue veſtigio fallente interdum cadere, dum tam multis tam mirificis nec alibi viſis captus voluptatibus, nec tamen ſatiatus quo pedem infers, minus attendis, nec circumſpicis, quod ſingula vel aures vel odoratum, vel oculos ad ſe violentia ſuaui pelliciunt. In imo ſolum eſt inæquale & magna ex parte petroſum, fruticoſa, & ſemper virenti, ac domeſtica materie plenum. Eſt & antrum ibidem, quod fontem habet magnum, vnde fluuius editur puræ ac pellucidæ aquæ, ſtatim terram ſubiens occultoque alueo in mare effundēs amaram aquam.

Antri labrum. Luci pendentes. Crocus. Riui. Auicularum concentus. Deſcenſus aliquantulū lubricus. Singuli ſenſus ſuas hic voluptates experiūtur. Fons.

Specus Triphonis. Hinc alter rurſum ſpecus panditur, qui latis primum faucibus, poſtmodum in proceſſu per anguſtias obſcuratur, vere ſacer, habitarique à numine & dignus & creditus, nihil non venerabile & quaſi cum aliquo numine ſe oſtentans. In imo receſſu Typhonis gigantis cubile poſitum antiqui crediderunt, aſſidua nocte ſuffuſum, neque vnquam perſpici facile, Demiſſa in ſe exanimans. quod demiſſa in ſe confeſtim exanimat, natura, fabulaque memorandum.

CAPVT XXX.

Cilicia campeſtris, ſeu ad Iſſum.

Eleuſa inſula. 1. POſt Corycum, Eleuſa inſula eſt continenti propinqua; Archelaus in ea regiam ſibi fecit, poſtquam Ciliciam aſperam excepta Seleucia obtinuit integram. Ptolemæus eam vocat Sebaſtem, ſiue Auguſtam. Latinus fluuius Soli. & pagus eſt eodem nomine. Poſt Latmum ſunt Soli vrbs memorabilis, alterius principium Ciliciæ, quæ ad Iſſum In eam ab Achæis & Rhodiis conditam, ſed hominibus minus Pyratarum combuſtæ naues 1300. frequentem, Pompeius magnus Pyratico bello confecto & plus mille trecentis nauibus combuſtis, captiuos quos vita Pompeiopolis. dignos iudicauit, traduxit, & Pompeiopolim de ſe vocauit. Chryſippus Aratus. Protulit hæc vrbs præclaros viros Chryſippum Stoicum, & Aratum, qui verſibus ea quæ in Cœlo viſuntur deſcripſit. Solœciſmus vnde dictus Obſeruabis autem à Solis ſolœciſmum dici, ſiue à colonis quibuſdam Athenienſibus quos Solon in Solos vrbem tranſtulit, qui cum non multo interiecto tempore patrij ſermonis nitorem corrupiſſent, & parum conuenienti partium ſtructura vterentur σολοικίζειν dicti ſunt. Sequitur Zephy-Anchiali. rinum, indéque mox peruenitur ad Anchialem vrbem paulum ſupra mare ſitam, à Sardanapalo conditam, vbi & eius imago lapidea conferentis dextræ manus digitos ac plauſum edituri cum monumento, in quo Aſſyriis literis hæc leguntur Sardanapali monumentum. ſcripta: Sardanapalus Anacyndaraxis F. Anchialem & Tarſum vna die ædificauit: Tu autem hoſpes, ede, bibe, lude, etenim reliquæ res hominum non dignæ ſunt hacce digitorum comploſione; Supra vrbem ſunt montes, in quibus Prædonum collegia. non pauca prædonum collegia.

Poſt Anchialum Cydni ſunt oſtia ad locum, qui Rhegma hoc eſt ruptura dicitur, locus ille ſtagnat habuitque olim naualia.

CAPVT

CAPVT XXXI.

Fluuij Cydnus, & Sarus.

1. HVic fluuio nomen à candore dederunt Syri, qui omne candidum vocant Cydnum. Frigidus eſt, atque aſper, vnde tam pecori quam hominibus neruorum craſſitie & podagra laborantibus prodeſt. Aiunt præcipitari Tauro, purúmque vehi à fontibus ad mare Cilicum, nec miſceri alienis aquis. Cydnus mediam vrbium Ciliciæ perluit Tarſum, cui nomen ab vngula equi Bellerophontis fecerunt Græci. Fuit in ea vrbe Academia, quæ Athenas, & Alexandriam ſuperauit, ex qua prodierunt Stoicorum anteſignani, & his omnibus multò excellentior D. Paulus Apoſtolus. Ad Tarſum Cydni latitudo eſt duorum iugerum hoc eſt 250. pedum. Dicuntur aues ad Cydnum ſedere otioſas eius amœnitate, & pulchritudine ebrias, omneſque qui ex eo bibunt, fieri diuites & beatos, fatalem tamen Regibus cum prædicant aliqui, quod & magnus Alexander præ frigore in eo obriguerit, & Imperator Fridericus Ahenobardus eodem merſus perierit, tumet vere dum niues ſoluuntur.

Cydni fl. Nomen. Frigus vtile podagris. Tarſus. Eius Academia quam celebris. Aquarum Cydni amœnitas.

Strabo l.12 2. Poſt Cydnum eſt Sarus amnis, qui ortus ex Antitauro per mediam fluit vrbem Comanam, & per conualles Tauri in Campos Ciliciæ ſe euoluens in ſubiectum huic mare exit. Antitaurus mons eſt, ſeu fruſtum à Tauro auulſum, qui ab Euphrate, & Tauro initium ſumens in gradu latit. 41. ab vna ſui parte in Septentrionem, indeq; verſus ortum & Pharnaciam pene ad Pontum Euxinum inclinat, ex alia vero per Mediterranea procedens deſinit in ea parte Tauri, quæ dicitur Amanus, qui mons eſt alius, qui ab initio Ciliciæ ſe porrigit ad Iſſium ſinum & Syriæ confinia.

Sarus fl. Comana. Antitaurus. Amanus.

CAPVT XXXII.

Pyramus fluuius.

Xenophon. Polyb. Strabo l.12 p.536. 1. POſt Sarum habes oſtia fluuij Pyrami (aliqui Pinarum vocant) qui Cataoniam, & Ciliciam perlabitur. Mediis in campis ſcaturit. Cataoniam iam nauigabilis decurrit partim, latens partim conſpicuus. Multa in eo memoratu digna: Primum eſt foſſa, per quam aqua pura longo ſpatio

Pyramus fl. latens.

Digitized by Google

infra terram fertur, ac deinde in ſuperficiem erumpit, ſi quis autem iaculum in foſſam contorqueat, adeo reſiſtit vis aquæ vt ægre mergatur. Deinde vbi immenſa profunditate

Validus.

& ampliſſima latitudine lapſus Taurum attingit, mirabilem aquarum congeriem excipit. Digna etiam admiratione eſt montis fiſſura; quamuis enim in ſummo, promontoria per ſpacium duorum, aut trium iugerum tam prope coëant, vt rupturam tranſire canis lupuſve poſſit, mire tamen interius

Mire profundus.

latus eſt & profundus alueus ad labra vſque plenus aquis, quæ dum per interiores ſcopulos eluctantur, eminus acce-

Sonans inſtar tonitrui.

dentibus edunt ſonitum tonitrui perſimilem. Per montes elapſus tantum effert terræ è Cataonia & Cilicum campis, in

Eius oſtium è regione Cypri.

fretum quod medium eſt Ciliciam inter & Cyprum inſulam, vt periculum ſit, ne ingeſto cœno fundum pelagi ſic exaggeret, vt continens coniugatur inſulæ.

Cataoniæ fines.

2. Cataonia fuit olim vna è decem partibus Cappadociæ inter Euphratem, Antitaurum, & fruſtum Tauri Amanum, ſita planicies lata & caua, ferax omnium rerum exceptis iis quæ ſemper virent: vrbes nullas habet, ſed caſtella in montibus munita, & fana longe celeberrima, quorum *Strabo. p. 535. & 537.*

In Comma tẽplo Hierodul 6000.

præcipuum Dianæ ſacrum, Comana appellant ob Iphigeniam, quæ ibi lugubrem depoſuit comam, cuius Pontifex poſt regem ſummo eſt in honore, eique obſequuntur Hie- *Strabo l. 12*

In Morimena 3000.

roduli ſex mille. Eſt & fanum aliud Iouis in Morimena, ha- *p. 535.* bens Hierodulorum ter millia propemodum, agrúmque bonæ frugis, ex quo ad Pontificem redeunt quotannis talenta 15. Is præeſt per totam vitam ſicut qui apud Comana, à quo ille proximus honore eſt.

Ciliciæ campeſtris ſitus.

3. Elapſus Tauro Pyramus, Ciliciam Campeſtrem ſeu primam peruadit: hæc propemodum tota, præterquam quod ab Auſtro, vbi pelagus eſt, montanis includitur, quibus à Pamphilia, Cataonia, & Syria, Tauro ſequeſtro dirimitur.

Fertilitas. Fines.

Tota plana eſt & campeſtris, fere vbique fertilis, & bonis omnibus diues, maxime vbi Amano, & Syriæ finibus proxima eſt. Patet ab vrbe Solis & Tarſo vſque ad Iſſum. Per eam planiciem fluunt quos recenſuimus amnes inclyti Cydnus, Sarus, Pyramus, Gentes illic commixtæ, & Syroci-

Syrocilices inſigniter mendaces.

lices dictæ, nautæ, Pyratæ, omnes inſigniter mendaces, quippe vt eſt in prouerbio Cylix haud facile verum dicit. Vrbes

Mallon.

præcipuæ præter recenſitas Mallon, & Iſſon. Vrbs Mallon *Dionyſius. Curtius. Arianus.* ſita fuit in Orientali ripa Pyrami amnis, quem vt tranſmitteret Alexander iunxit Ponte. Sita fuit loco edito, condita à Mopſo, & Amphiloco è Troia profectis, vnde & hic ipſis Ale-

xander

Digitized by Google

xander parentauit, tributaque ciuibus remiſit quod ſe ab Argiuis oriundum perhiberet.

4. Iſſon vrbs olim fuit ingens, cum ſtatione inter Ciliciam, & Syriam, ſita ad fl. Pindum, ad quam Alexander Darium vicit, propterea que nobilitauit, non ſecus quam Hannibal Cannas, & alia loca aliæ vel victoriæ vel clades, vt actium, Pharſalicum & Marathonium nota cunctis nomina. Inter Pyramum amnem, & Iſſum vrbem planities fuit ad mare Cylicum 14. ſtadia patens in latum, in qua vtrinque ſtetit equitatus, trans Pyramum Darij, cis Pyramum verſus Iſſum Alexandri, locuſque totus monte Tauro velut Theatro clauſus. In ea planitie commiſſum percelebre illud prælium, in quo Perſarum 110. millia peditum, decem equitum cæſa, anno ante Chriſtum 333. Darius tamen fuga elapſus. Tempore Herodiani adhuc ſtabat victoriæ trophæum, vrbs videlicet Alexandria in colle ſita, & Æneum Alexandri ſimulacrum.

Xenophon. Diodor. Mela. Stephan. Strabo l 14

Iſſon. Loca victoriis vel cladibus nobilitata. Acies Alexandri & Darij, vbi in procinctu. Alexandria ad Iſſum trophæum victoriæ Alexandri.

5. Pendebat olim Dario, ſeu Perſis 50. talenta: poſtea Cilices bello Pyratico prædonum mixti cateruis, cum iuuiſſent nauibus pluribus MD. tandem à Seruilio Proconſule miſſi ſunt ſub iugum, factáque eſt Cilicia vectigalis. Eius Metropolis fuit Tarſus, Proconſulis ſedes, dictaque poſtea Teraſſa & prouincia Carmania à Carmanis Turcis, qui eam annis 250. tenuere, donec à ſuæ ſectæ hominibus expulſi ſunt.

Claſſis nauium 1500. Tarſus. Cilicia dicta Carmania.

Terminatur hęc regio anguſtiis quæ per Amanum montem tranſmiſſæ Syriam aperiunt, Pylas, ſeu portas Amanicas & portas Syriæ ſcriptores nominant, quod portis præmuniri, & claudi poſſint hæ anguſtiæ. Vide quæ de iis diximus l. 1. c. 4.

Portæ Amani.

CAPVT XXXIII.

De Ægeo mari, ſeu Archipelago.

1. A Boſphoro Thracio conſequentia maria Ottomani alba vocant *les mers Blanches*: Mediæ ætatis ſcriptores, ex quo maieſtas imperij tantum in Græcia & Aſia minore viguit vtcumque, Archipelagum, ſeu mare imperij nominauerunt: veroſimilius tamen crediderim, ſic appellatum eſſe, quod amplitudine & maieſtate ſua cæteros Mediterranei maris ſinus longe ſuperet, & nobiliſſimis diſtinctum ſit inſulis, ex quibus præſtantiſſimi qui inter Græcos floruerunt in Sapientia, Mathematica, Poëſi, Hiſtoria, & Mechanicis

Digitized by Google

artibus, originem repetebant. Superiorum ætatum ſcriptores Ægeum mare dixerant, ſiue ab Ægea Amazonum Regina, quæ in eo periit, ſiue ab Ægeo Theſei patre, qui in id ſe dedit præcipitem: ſiue ab inſulis, quæ in hoc mari crebræ, & quæ procul adſpicientibus ſpeciem caprarum exhibent, ſiue ab earum vna, quæ figuram habebat capræ, vel à promontorio Æolidis, quod Aiga nuncupabant incolæ, vel denique è vulgo nautarum, qui ſi quando vident decumanos fluctus aſperiores, albicantes, & alios aliis ſuperuenientes, ſolito violentius naues ferire, & quaſi arietare, vt in Oceano, eos vocant oues, ſic in hoc pelago, Capras nominant, nec ſolum illud mare, ſed etiam regio quædam circa Phocidem, Ægea vocatur ab Ægea fluuio, qui eam præterfluit.

2. Extenditur hæc generalis nomenclatio à Boſphoro Thracio ad Cytheram, & Cretam inſulam, *depuis le canal de la mer Noire par les mers blanches, iuſques au Cerigo & Candie*: partes autem Ægæi fuerunt Propontis, quo nomine intelligitur mare, quod à Boſphoro Calcedonio lato 625. paſſus, vbi Darius Hyſtaſpis filius, Xerxis pater facto è nauibus ponte copias traduxit. Thraciam inter & Bithiniam explicat ſe latius, vbi Bebricium mare appellatur. Iterum coiturus ad Helleſpontum, hoc eſt ad anguſtias, in quibus Helle virgo dicitur periiſſe. Galli vocant *Bras de ſainct George*, ab Eccleſia D. Georgio ſacra in litore Europeo: alij dicunt Marmoram ab inſula Proconneſo, vbi Cyzicus ab omni æuo ferax marmoris. Alij fretum de Gallipoli, ob vrbem in colle excitatam à Caligula, ex qua gratiſſimus fuit proſpectus. Auſonius Seſtiacum & Abydi fretum appellat. Dardanelli nunc vocant vtrumque caſtellum, quibus nunc eæ muniuntur anguſtiæ, latæ non amplius 775. paſſus, vbi Xerxes conſtrato nauibus ponte exercitum traduxit. Gracileſcente autem hic pelago Dionyſius & Euſtathius hanc partem pulchrè, dixerunt fiſtulam anguſtam ad diſtinctionem Ægei maris, quod eſt latiſſimum, anguſtus enim eſt & inſtar fiſtulæ protentoſus Helleſpontus. Mare Græcum, ſeu Græcienſe, quicquid Græciam lambebat vocarunt, alij Macedonium, quod Macedoniam, & Thraciã attingebat. Myrtoum deturbatum circa Cariam à Myrtillo Mercurij filio, quem in id ab Ænomao volunt Solinus & Iſidorus, vel vt Plinius ab exigua inſula non procul Cariſto Eubeæ opido ſita. Icarium ab Icari nota fabula hodie Mar di Nicaria vna Cycladum; volunt enim Icarum hic naufragium paſſum quod nimium extendiſſet alas ventorum nauigio ſuo. Extendunt illud ali-

qui

qui ab Helleſponto ad Cycladas, & Aſiaticum nominant. Euboicus ſinus hodie Golfo de Negroponto dicitur. Brutum etiam appellatur circa loca naufragiis infeſta, nec temere tentanda maximeque circa Cyclades. *Ouid.*

CAPVT XXXIV.

De ſinu Satalico.

1. QVod infra Getam per Syriam vſque ad Ægyptum expanditur mare, nomen habet ab vrbe celebri in Natolia, Satalia, olim Attalia: Subdiuiditur autem in varias oras. Parthenium dicunt, quod à Cypro ad Pharum Ægypti extenditur, à qua & Pharium etiam dicitur: ſic autem appellatur vel ob Europam Virginem ex Phœnicia in Cretam per hunc maris tractum deportatam, vel à Parætonio vrbe, quam Æthicus Partheniam appellat: Continet autem & ſequentia maria, Pamphilium à Pamphilia regione, quod confundunt cum Lycio, & extendunt ad Cyprum. Iſſicum, ſeu Cilicium mare inter Cyprum inſulam & Ciliciam ſinus autem Iſſicus eſt intimus maris receſſus ad vrbem Iſſum de qua prius. Creticum confundunt aliqui cum Carpathio, & Rhodienſi. Ionium à Gaza Ægyptum vſque quod Gazam aliqui vocent Ionem, quod in ea vrbe ſtatua Ius, hoc eſt, Lunæ colebatur ſub bouis forma; Luna enim Argiuorũ dialecto Io vocatur, vt habet Euſtat. in Dionyſ. Syriacum ſtatim ab vrbe Iſſo ad Orthoſiam Straboni, aliis ad torrẽtem Ciſſon. Sidonium à Sidone vrbe nomen accepit. Pharium mare à Pharo ad Cyprum, ſiue Ægyptium ab Alexandrina Pharo, quæ eſt inſula, quæ Turrim ſuſtinet maximam nauigantibus prælucentem, ſita in dextera parte Alexandriæ; hoc autem ſicut & præcedentia maria maxime Sidonium intumeſcunt pulſata flabris Iſmarici boreæ, qui ſic appellatur ab Iſmaro ciuitate Thraciæ. *Euſtat.*

CAPVT XXXV.

Inſulæ Aſiam circumſtantes, Tenedos, Turcis Boucchade.

1. TEnedos antiquis dicta Calydna & Leucophris, poſteaque Tenedos à Tene, qui vrbem in ea dicitur condidiſſe quem vt vult Cicero, quod ſanctiſſimus fuerit incolæ fecerint primo Regem, deinde ex Rege Deum vt- *Inſulæ Boucchade.* *Cicero act. 3. in Verr. Longe aliter de eo*

bemque & inſulam dixerunt Tenedum, nunc Turci Boucchade. Helleſponto proxima eſt, primaque occurrit poſt Sigæum promontorium: Situs ciuitatis apud Ptol. eſt in longit. 55. latit. 40. 56. Diſtat à Sigæo promontorio mill. paſſ. 5. ambitus eſt triginta. *ſentit Euſtat. in Dionyſ.* *Belon. l. 2. c. 6.*

In ea Græci ſupremas inſidias, quibus Troia periit, ſtruxerunt, fuitque diues opum, Troiæ dum regna manebant; nunc tantum ſtatio maleſida carinis, in gemino portu qui Troadem ſpectat, inter quos olim ſita vrbs. Munitur tamen vtcunque caſtello in rupe ſito contra Pyratas. Cingunt eam crebri colles. Interiora abundant roſaceis peponibus Hibernis, arboribus frugiferis, & generoſi ſtipitis vineis. Sed frumentarij agri vix ſunt vlli. E radicibus montis tempore ſolſtitij æſtiui fons ſcaturit mire copioſus à tertia noctis hora ad ſextam, reliquo tempore aridus. Turci habitant vrbem, Chriſtiani agros colunt. Vbi ſtatio. Roſacei pepones Hiberni in ea. Vinum generoſi ſtipitis. Fons temporaneus. *Porcac. Iſol.*

Inter Tenedum, & Sigæum promontorium exiguæ ſunt inſulæ aliquot Mauræ dictæ quæ abundant melle; quæ proxima eſt Tenedo nomine proprio appellatur Archiſtratego. Mauræ inſulæ. Archiſtratego. *Cruſi Turcog. l. 2.*

Leſbos nunc Metelin.

2. Ex aduerſo Æoliæ regionis, Leſbos eſt, ab Ida abrupta, clariſſima inſularum, quæ ſunt ad occiduam Aſiæ frontem, quippe non fertilitate ſolum, quæ tamen ei Macariæ cognomentum indidit, ſed vrbium etiam frequentia & fama clarorum hominum enituit, quippe fuit Pentapolis quinque vrbibus habitata quarum vna Leſbus vocata, à qua tota inſula ſortita eſt nomen, quæ & totius Troadis & Æolicarum vrbium fuit Metropolis, ſed præualuit vrbs Mytylene, à qua Metelin nunc vocatur: Licet eam quoque Lycophon Iſſam dixerit: nam & Iſſa vna etiam ex illis quinque fuit: Perimeter eius eſt 160. millium, ſumma eius longitudo non eſt à Borea in Auſtrum, vt dixere antiqui, ſed ab occaſu in ortum per 60. mille paſſus. *Euſtat. in Dionyſ.* Macaria inſula.

Sunt rupes non paucæ tam verſus ortum, quam verſus occaſum, in quibus frequens cupreſſus. Terra in planitiem plerumque porrecta eſt fertilem, nam & abundat eo frumento, quo Turci plurimum vtuntur in ſuis pultibus, quas Trachana vocant, nullumque eſt gratius Conſtantinopolitanis vinum: Leſboa numeroſa etiam paſcit armenta; qua ſpectat ortum, & occaſum, montes eminent, in quibus multa olim fuit materia ad naues ædificandas. Thracana. Leſboum vinum.

Euerſas

Digitized by Google

Euerſas in ea vrbes aliquot terræ motibus & maris hauſtu indicat Plinius. Memorantur ex reliquis à Strabone & Ptolemæo Methymna Arionis patria, quem Delphino vectum, in Tenarum euaſiſſe prædicant, ſita eſt in long. 55. 26. lat. 40. 26. In extremo Boreali angulo proxima Troadi, & Lecto promontorio: Mitylene vrbium quondam maxima, vt apparet ex ruderibus, & ampliſſimis caueis, quæ ſuperſunt, ex quo terræ motu quaſſata eſt, omnibus tamen rebus adhuc non male inſtructa firmatur caſtello, & turri ad mare. Sita eſt in long. 55. 40. lat. 39. 20. Portus habet duos, ante vtrumque eſt exigua inſula, in qua pars ciuitatis; ex quo enim vrbem Turcus occupauit anno 1462. ſemper hic triremes habuit. aliæ exterius, aliæ intra Leſbon & continentem iacent inſulæ. Methymna. Arionis patria. Mitylene. *Porca l. 2.*

Strabo l. 13 Viros hæc inſula tulit præclaros, Pittacum vnum de ſeptem ſapientibus, Theophraſtum Ariſtotelis diſcipulum & & in ludo ſucceſſorem ab ipſo Ariſtotele deſignatum. Leſbij vini commendatione memoratur, omnes enim ſuos diſcipulos facundos, ſed hunc facundiſſimum fecerat; Terpandrum quoque muſicæ artificem, & Alcæum Poëtam. Floruit & Sapho, fœmina admirabilis maxime in Poëſi. Pittacus. Theophraſtus. Vinum Leſbium. Terpander. Alcæus. Sapho.

Strabo l. 13 p. 618. In freto quod inter Leſbon eſt, atque Aſiam inſulæ paruæ ſunt ad 20. alij dicunt 40. Hecatonneſi dictæ quaſi Apollinis, qui in tota illa ora colitur vſque ad Tenedum, inſulæ ſunt & aliæ exterius verſus occaſum.

3. Chio ſeparatur à Cherſoneſo Ioniæ freto mill. 18. Chio.

A Leſbo inſula abeſt Chio ſtadiis 500. eius ambitum ſi quis litus legat reperiet ſtadiorum 900. vt vult Strabo, eadem & Chia dicta: mons in ea Pellenus marmore olim quod Chium vocabant celebris, nec non Caſſidoniis, & naturali ærugine raſili gallice dicimus, *verd de gris.* Item Chia ficus ſaporis ſuauitate cōmendatur, ſicut & Maſtix liquor, qui Indico & Arabico præfertur, ab eo Turci eam inſulam vocant Sacheſada, eſtque reſina è lentiſco manans, abundat & Terebintho. Vrbem habet bono portu inſtructam & ſtationem nauium 80. capacem ſitam in long. 56. 20. lat. 38. 26. Eum portum nunc appellant Delphinum. Munitur caſtello turrito, & vno præterea aculeo. Gratæ hic domus plures à Genuenſibus ædificatæ, nec non horti amœnitatis multæ. Soluebant olim Chij quotannis pro tributo Romanis talenta c. quæ Auguſtus remiſit pro Veneris ſtatua quam illis abſtulit, & Romæ C. Iulio Cæſari dedicauit. *Æneas.*

Ferunt in Chio primum creuiſſe nigrum vinum, & primos illius incolas ſeruis vſos eſſe quemadmodum Lacede- Vinum nigrum.

Seruorum varia nomina.

monij olim Helotibus ſunt vſi: Macedones Peneſtis: Argiui Gyneſiis, Sicyonij Corynophoris; Cretenſes Dmoitis; Itali Pelaſgis; hæc enim omnia nomina ſeruorum ſunt.

Si ab vrbe inſulam circumuehare primo eſt Poſſidium 56. 26. 38. 26. è regione Erytræ in continenti.

Deinde Phane portus profundus in extremo Auſtrali angulo in long. 56. 20. 38. 15. Cabo Maſticho nunc Panale dicitur, vbi templum Apollinis, & lucus palmarum. Deinde Notium, litus ſtationi aptum.

Pſyra inſula.

Poſt Melæna promontorium iuxta quod Pſyra inſula ſublimis ſtadia habens 40. in ambitu.

Deinde Aruiſius, nunc dictus Maruiſius, ager aſper & importuoſus ſtadiorum fere 300. vinum ferens omnium Græcanicorum optimum, quod noſtri Maruiſium vocant, quodque hinc delatum eſt, & ſatum in Candia.

Maruiſium vinum.

Tum Pelinæus mons omnium eius inſulæ altiſſimus, in parte inſulæ, quæ media eſt inter Boream & Occidentem quæ quod ſit montibus aſpera, Apanomerea hoc eſt alta dicitur, cui reſpondet Catomerea inferior plaga.

Viri illuſtres Chij Theopompus hiſtoricæ ſcriptor, Theocritus Sophiſta, Homerum quoque ſibi vindicauit argumento Homeridarum, qui è ſtirpe eius ſunt. Extat & vicus etiam nunc dictus Homero.

Vrbes 30. aliqui numerant, quarum præcipuæ ſunt in Catomeræa propter fontes, imò & fluuium, qui eam percurrit.

Abundat malis citreis, quorum expreſſus ſuccus Conſtantinopolim defertur: nihil autem gratius quàm videre infinitam vim coturnicum, & perdicum, quibus dum voce, vel tibia reuocantur ex agris, obuiam prodit herus, qui pronus in terram, in ore proprio ipſis frumenti granum pro auiaria buccella offert, illæque vultum Domini agnoſcentes, laſciuienti roſtro bolum admittunt, & cum eo domum abeunt fugientes exteros.

Coturnices & Perdices Situres.

De Bean par. 1.

Neamona templũ inter Aſiatica ex celeberrimis.

Laudatur præterea Neamona Conuentus, in quo templum eſt ex præſtantiſſimis totius Aſiæ, & fortaſſis Europæ, in qua 30. circiter Caloierij: eſt ciſterna miri artificij.

Claſſem quoque aliquando habuerunt Chij, & imperium maris, libertatemque attentauerunt. Præcipua tamen laus eſt mulierum, in quibus per annos 700. nulla viro iuncta adulterio polluta, nulla virgo vim paſſa eſt.

Strabo l. 13 p. 645. Plutarc.

Virginitas vix credibilis.

Hallonesus.

Halloneſus, inſula parua eſt non multum remota ab inſula Chio.

E regione Trogilij promontorij occidui Epheſinæ peninſulæ,

ninſulæ, ſita eſt inſula Trogillium item dicta, ad ſinum, quem Mela Baſilicum vocat. Plinius l. 5. plurali numero Trogilias dixit eam inſulam, & cum l. ſimplici. Lucas gemino protulit niſi vitiati ſint codices. Trogillium.

4. In eadem ora Aſiæ, in qua Epheſus, Samos eſt inſula, Anthemuſa aliquando dicta à floribus, & Parthenia, id eſt, Virginea, Stephane quoniam corollis texendis accommodata ſit; flores enim Samiorum in Prouerbium abierunt voluptuariæ amœnitatis, & quia fertiliſſima erat, lac itidem Gallinaceum ferre dicta eſt; etſi non ſit multum laudabilis à vino, ſicut inſulæ circumpoſitæ, & vicina continens. tandemque Samus dicta ſiue ab Heroë aliquo indigena, ſiue quod incolæ ex Itaca & Cephalenia eo ſunt traducti. Appellatur nunc Samo. Eius ambitus eſt ſtadiorum 600. Ab ora Ioniæ remouetur tantum 5000. paſſ. ab inſula Pathmo 40. Omnino excidit ab antiqua vbertate, fuitque diu propter Pyratas deſerta, vixque ab annis 90. iterum cœpit excoli à paucis Chriſtianis, regiturque ab vno Cadi, prouentus alicui Sultanæ deputatur; nulla firmatur munitione. Tantum apparent ingentia rudera ciuitatis Sami, cuius ſitum ponit Ptolem. in long. 57. lat. 37. 36. Samos. *Strabo l. 14 p. 637.* *Ex Belon. & ex relatione D. de Cezi.*

In ea aliquando Polycrates ita floruit & fortuna, & potentia, vt etiam maris tenuerit imperium. Hic autem ille eſt Polycrates, cuius mentione Lyricus Anacreon ſua oppleuit carmina. Prædicatur & alumno Pythagora, qui Polycratem tyrannum exoſus diſcendi gratia, ad Chaldeos & Ægyptios abiit, indeque reuerſus, cum nihil mitius agi videret, in Italiam adnauigauit, deſeruitque patriam voluptate perditam homo ad diſcendum natus. Aiunt vixiſſe circa annum ante Chriſtum 491. Colligunt aliqui ex Mariano, Epicurum etiam Sami educatum, ſicut & Creophylum, qui Homero hoſpitium aliquando præbuit. In ea etiam natæ Iuno, & Sibylla dicta Samia, quæ fertur de Chriſto hæc prædixiſſe; Stulta Iudæa Deum tuum non cognouiſti ludentem, ſpinis coronaſti, & horridum fel miſcuiſti. Imperium maris. *Strabo l. 14 p. 638.* Pythagoras. Sibylla Samia.

5. Samo adiacet Nicana olim dicta Icaria inſula, à qua nomen Icario mari, ipſa vero nomen habet ab Icaro Dædali filio, quem poëtæ fabulantur patri fugæ comitem quo tempore è Creta ſumptis alis auolauit, cum non teneret curſum eo decidiſſe; nimis enim ad ſolem elati alas cera liquefacta defluxiſſe. Inſulæ totius ambitus eſt ſtadiorum 300. portu caret; habet tamen ſtationes, quarum optima Hiſti appellatur. Promontorium eſt verſus Fauonium porrectum. Fuit *Strabo l. 14 p. 639. & lib. 10. p. 688.* Icaria.

in ea templum Dianæ, nomine Tauropolium & opidulum Draconum eiuſdem cum Promontorio nominis, cui incumbit, & habet locum appellentibus aptum nauibus, abeſt à Canthario Sami Promontorio ſtadiis 80. quod eſt anguſtiſſimum inter eas inſulas fretum. Samij vt plurimum pecoris paſcendi maxime cauſa eam incolunt, magnam tamen partem deſerta eſt; ſita eſt in long. 56. 45. lat. 37. 20. Inter eam & Samum ſunt ſcopuli nautis vitandi. Pyratæ ſemper hic plures, quod nullo propugnaculo arceantur.

CAPVT XXXVI.

Cyclades, & Sporades.

1. FVerunt omnes primum Romanis infenſiſſimæ, poſtea maxime fideles, quia relictæ liberæ, tantúmque præſides qui proximis imperabant prouinciis, ius dicebant inſulis, quæ ab iis non remouebantur vltra centum milliaria, & exortas inter Inſulanos lites componebant. Demum Veſpaſianus prouinciam fecit cuius Præfectus præſes inſularum appellatus morabatur vt plurimum Rhodi. Omiſſis iis, quas ſuperius deſcripſimus, Cycladibus, & Sporadibus maxime inhærebimus. Sunt illæ numero circiter 53. dictæ Cyclades, quod circa Delon in orbem ſint ſitæ. Sporades vero ſunt argilloſæ, & albicantes inſulæ, non definitum habentes locum, ſed ſparſim iacentes ſpatio circiter 220. paſſuum. Obſeruabis vero pleraſque earum aſperas & infrequentes, nec niſi infamium, & criminoſorum relegationibus inſigniores factas, vt fœminarum laſciuia, ſterilium inſularum faſtidio emendaretur.

Præſes inſularum.

Euſtat.

2. Delos inſula ſita in long. 55. 26. in lat. 37. 20. celebris propter Latonam, quæ quia peperit in ea Apollinem & Dianam, in ipſa nec parere, nec ſepelire fas erat, ſicut nec canem alere: proinde in Rhena inſula deſerta mortuos Delij ſepeliebant, id honoris Dianæ virgini tributum. Eſt intra quartum à Delo ſtadium in long. 55. 6. lat. 37. 10.

Delos inſ. Rhena inſ.

Cicero 3. in Verr. Thucyd. l. 4.

Tenos aliis Telos, ad Boream Delos ſita in long. 55. 6. lat. 37. 30. cuius nobile vnguentum erat Telinum nuncupatum; conficiebatur potiſſimum fœnugræco addito calamo & iunco odoratis, Plinius vt laudatiſſimum illud prædicat, Hidruſam vocat Ariſtoteles ob aquarum in ea copiam & quod vnum habeat fontem, cuius aqua non miſcetur vino. Incolas frequenter vſos eſſe alliis teſtatur Comœdia cuius meminit Euſtathius.

Tenos.

Dioſcor. l. 1. Plin. l. 14.

Myconus

Digitized by Google

Strabo. Myconus in long.55.40. lat.37.10. ſita eſt: in ea fabulantur iacere vltimos Centaurorum ab Hercule interfectos. Frequens eſt, Mychoniis caluicies vnde & Phalacros dictos teſtatur Euſtat. in Dionyſ. *Myconus.*

Strabo l.10 p.488. Tertul. lib. præſcript. Prope eſt Patmos ab Icaria verſus occaſum, ſicut & Coraſiæ ſita, vna de Sporadibus, circuitu triginta millia paſſuum non excedit. In ea D. Ioannes exulauit, damnatus à Domitiano, quo interfecto cum eius acta reſcidiſſet Senatus, & Nerua Cocceius exilia illius edicto ſoluiſſet, incolumis Apoſtolus ſuæ Aſiæ reſtitutus eſt. Oſtenditur adhuc non longè à mari antrum in quo ſcripſit Apocalypſim. Ferunt & manum D. Ioannis in Caloierorum monaſtero aſſeruari. Nec vbique ſterilis eſt, nec paſſim fœcunda, aliqui eam nunc vocant Palmoſam, alij Patino ab vrbe vtcunque firma, in qua Turcicus Cadis ius dicit. Incolæ Chriſtiani ritus Græci negotiantur cum græcis. Naxos 55. 40. 37. vinearum fertilitate, imo fonte vini qui in ea fluit inſignis, nec non mulieribus quæ octauo menſe pariunt, rami vineæ eam comparat Euſtat. in Dion. ſpacioſa quidem non eſt, ſed pulchra, Ioniæ vicina, diues & abundans longis nauibus. Nicaſia eſt prope Naxum. Item Thera colonia Lacedemoniorum. Paros inſula 55. 30. 36. 50. in qua lapis eſt ſtatuariis apprime idoneus, colore candido, vnde Virgilius niueam Paron vocat. Incolæ dicuntur fœdifragi, quod fœdus olim pactum cum Miltiade non ſeruarunt. *Patmos. Antrum in quo S. Ioannes ſcripſit Apocalypſim. Naxos. Fons vini. Nicaſia. Thera. Paros. Strabo. Euſtat. in Dion.*

Euſtat. Amorgus patria Simonidis Iamborum ſcriptoris, qui Amorginus propterea dictus eſt. *Amorgus.*

4. Siphnos inſula in qua ranæ non coaxant. Aiunt olim Siphniorum res floruiſſe & valde diuites fuiſſe, namque inquit Euſtatius in inſula ſunt auri & argenti fodinæ. *Ranæ non coaxant.*

Tacit. Dionyſ & Euſt. Seriphus inſula in qua fuit abdita Viſtilia Labeonis coniux ob ſtuprum quo infamabatur. Petroſa eſt adeo vt paſſim aſſerant Comici in eam tranſtuliſſe Perſeum caput Gorgonis, quo illius incolas in lapides transformaret. *Gorgonis caput.*

5. Cous, ſiue Cos contra Cariam & illi ſinui obtenta in quo Halicarnaſſus fuit, nobiliſſima inſula dicta Plinio, præſtantiſſimis huius oræ inſulis nec fertilitate, nec fama cedens ingeniorum. Siquidem & Hippocratem genuit vnum de nobilibus Coiis principem medicum, Pythagoræ diſcipulum, & Appellem Pictorem incomparabilem, quem ad Perſeum diſcipulum de ſua arte commentarios ſcripſiſſe, maximus operum eius præco Plinius ſcripſit. *Hippocrates. Appelles.*

Nec fraudanda gloria ſua videtur Coa mulier, quæ pri- *Coa*

ſericum texere docuit. ma docuit telas retorquere, rurſuſque texere inuenit, tam ſericas quam bombycinas. Sericum enim, id eſt, proprie quod ex frondium arborearum canitie, herbarumque lanugine perfuſa aquis apud Indos, Aſſyrios & paſſim alibi depectebatur. Bombycinum vero quod à vermibus fiebat. Quod vtrumque dictum eſt Coum, quod vtrumque ex variis regionibus allatum retorqueretur in inſula Co, licet ex ſola Aſſyria lanugine fierent pellucidæ veſtes illæ, & tralucentes, quibus Romanæ matronæ non item viri vterentur, quod tela iſta longe altera ſubtilior eſſet: quod ſerici genus ignotum hodie, vt & alia quamplurima. Fateor poſtea obtinuiſſe vſum, vt promiſcue bombycina cum ſericis acciperentur.

Veſtes pellucidæ, & tralucentes.

Ante Troiani belli tempus habitata fuit à Græcis. Coij inquit Strabo ſoluebãt quotannis pro annuo tributo Romanis talenta c. quæ Auguſtus remiſit pro Veneris ſtatua, quam illis abſtulit, & Romæ C. Iulio Cæſari dedicauit. Inſulæ magnitudo eſt ſtadia circiter 550. tota frugum ferax, vini etiam optimi larga, vrbs magna non eſt, dicta olim Cous, nunc Langon, ſed optime condita, & appellentibus ſitu iucundiſſima, ſita in long. 57. lat. 36.26. Milites præſidiarios in ea ſemper Turcus habuit, ex quo à Melitenſibus pene fuit intercepta.

Strabo l. 11 p. 573. & lib. 14. p. 657.

Statua Veneris.

Langon.

Nyſirus abſciſſa ab inſula Co, Neptuni tridente à Gygante Polybote natando attracta eſt, vt fabulantur Poëtæ, vna eſt ex Sporadibus, quæ tota conſtat lapidibus molaribus, eſt & præſtantiſſimum in ea vinum Myſirium dictum.

Molares lapides hic frequentes.

De his vide Plin. l. 11 c. 22. & 23. Lipſium comm. ad 11 annal. Tacit. & Rera & Maſtigophorũ tertium.

CAPVT XXXVII.

Creta.

Nomen. 1. CRetæ nomen dedit Cres teſte Ariano, qui Iouem occultauit in Dictæo monte. Supra Sporadas, *Creta Iouis magni medio iacet inſula Ponto*: multis famoſa fabulis quales ſunt de aduentu Europæ, Paſiphaes, Ariadnes, & Dædali amoribus, Minotauri feritate & Iouis ſepulcro, hodie Candiam vocant: maior eſt quàm Cyprus, minor autem quam Sicilia & Sardinia, quibus ſolis in toto Mediterraneo cedit, nobilitate & fertilitate par omnibus, nuſquam latior 50. millibus, longa ducentis ſeptuaginta: centum olim vrbibus clara, quarum circiter 40. Plinij ætas nouit. Extant hodie non paucæ, quarum minimum decem ſuos Præſules habent

Virg.

Amplitudo.

Fertilitas.

Ex Plinio.

Epiſcopatus.

Digitized by Google

habent præter Metropolitanam maritimam, quæ eodem quo inſula nomine Candia dicitur, fortaſſis à candore deducto vocabulo propter montes quibus pars occidua mire candicat. Inter eos fertiliſſimæ ſunt conualles, & abundantes ære vbi prima huius metalli inuentio, & vtilitas fuit. Præſtantes etiam Cotes ibi, quas Imperatores locare conſueuerant. Mediæ inſulæ Ida mons altiſſimus imminet, pulcherrimis quercubus eminus virens, à quo Troiana Ida nomen accepit. Eam rigant amnes Oaxis, & Letheus aliique non ignobiles.

L. Cæſar D. De publicanis. Euſtat. in Dionyſ. — Æs. Cotes præſtans. Ida mons.

2. Præfuit inſulæ Iupiter vetuſtiſſimus Rex. Fuit & Gnoſius cognominatus Rhadamantus, tanta integritate vir, vt tribunal ei & iudicium apud inferos priſtini vates tribuerint. De Minoë rege minime fabuloſum eſt primum eum Cretenſibus leges dediſſe, & optimis inſtitutis & ciuili vitâ ornaſſe, quam mox paulo & Lacedemonij ſunt imitati. Regnabat in ea inſula circa annum ante Chriſt. 1409.

Lactantius l. 1. inſtit. Euſebius. — Iupiter Cretæ Rex vetuſtiſſimus. Rhadamantus. Minos legiſlator qua ætate vixit.

3. De maris Imperio & inſulis Cretæ ſubiectis ipſe etiam Ariſtoteles ſecundo Politic. teſtatur. Inde enim prouerbium natum Cretes neſcit pelagus de eo, qui quod eximie nouit, diſſimulat. Varie tyrannis paruit: non Græcis modo, ſed & barbaris, donec poſt deuictum in Aſia Anthiochum, Romani eam Metello duce, qui inde Creticus dictus eſt, deuicerunt anno ante Chriſtum 61. Fuitque tunc ſub Vicario Macedoniæ: Poſtea Auguſtus cum Cyrenaica vnam prouinciam fecit, demum ipſi Proconſul ius dixit. Poſtremo collapſis Imperij orientis rebus, Veneti ingenti pecunia coëmptam ſuæ ditioni adiecerunt. Audiuit hæc inſula Paulum euangelizantem, mox & Epiſcopum habuit Titum, quorum doctrina cum prius Cretenſes peſſime audirent haberenturque mendaces male beſtiæ, & ventres pigri, ita cæleſti luce perfuſi ſunt, vt non alia inſula celebriores, aut inſtructiores habuerit Eccleſias.

Strabo l. 10. Liuius l. 98. Florus l. 3. Tacit. — Maris Imperium. Qui in ea ſunt politi. Lieta.

4. Mira eſt in nominibus huius inſulæ variatio, forte quia tempore Conſtantini fuit accolis deſtituta defectu pluuiæ. Certe conſtat eſſe recens Candiæ nomen. Sed & Cretæ aliquando non fuit, Curetis enim prius & ante quoque Æria dicta eſt, & ob eximiam cœli clementiam Macaron, ſeu Macaraniſos appellata, licet Conſtantino imperante 36. annis, quibus nunquam in ea pluit, incolis deſtita fuerit, donec reuertens Hieroſolymis Helena cum eo applicuiſſet, impetrata à Deo pluuia, ex Ægypto, Syria & Cilicia accitis accolis inſulam habitari curauit iterum, ac Græcis impleuit. Candia

Solinus. Martianus. Cedrenus. — Candiæ nomen. Quando aquas obtinuit.

Digitized by Google

opidum in parte occidua inſulæ poſitum eſt eo fere litorum ambitu, in quo antea Phalaſarna, & fortaſſe ipſa Phalaſarna eſt ſita apud Ptolem. in long. 52. 20. 34. 40. Conſtat Iuſtinianum vrbem hic ædificaſſe Iuſtinianam ſecundam, quam in honorem Theodoræ coniugis eius inſulæ indigenæ erexit.

Iuſtiniana ſecunda.

Niceph. l. 16 c. 37. & l. 17. c. 28.

Cythera inſula.

Cythera inſula eſt iuxta Cretam, quæ in hodiernum vſque diem, inquit Euſtathius, antiquum nomen ſeruat: aiunt à Cythero Phœnice nomen accepiſſe, ab ea autem Venerem Cythereiam. Dicebatur eadem quoque olim Porphyruſa, eo quod pulcherrimas haberet purpuras.

Purpura.

CAPVT XXXVIII.

Carpathos, & Rhodus.

1. CArpathos vulgo Scarpanto inter Cretam & Rhodum iacet, adeo celebris quondam, & potens, vt mari etiam nomen dederit. Ducenta ſtadia habet in circuitu, fuitque aliquando inſignis quatuor vrbibus, & tribus portubus, quorum nominatiſſimus antiquis dictus Trithomus, nunc Triſtan, qui amplus eſt, & altus, ipſi proxima vrbs Poſſidium, nunc Scarpanto, quod toti inſulæ nomen communicat ſuum.

Aſperior eſt propter montes, ſed conualles abundant gramine, & paſcuis, in quibus vis ingens armentorum & gregum, abundat & perdicibus & coturnicibus & marmore: in mari proximo legitur Corallium totius Mediterranei optimum.

Coturnicibus perdicibus & corallio abundat optimo.

2. Rhodus inſularum Aſiæ Roſa & Metropolis, quam nullo non die Sol aſpicit, ex aduerſo Cariæ & Lyciæ ſita: eſt triquetræ propemodum figuræ omnium totius Aſiæ inſularum nobiliſſima propter præſidem inſularum, qui in ea vt plurimum morabatur. Rhodiis nemo inter antiquos melius nouit fundam rotare: nam etſi fundatoribus Cretenſibus Perſici ſuperiores eſſent, quod ſaxa ingentia, & quæ mole ſua manum implebant, Perſæ intorquerent, fundarum tamen Perſicarum rotatu miſſa non poterant procul ferire, longeque pertingere, at Rhodij qui fundis plumbeas glandes iaculabantur, longius feriebant.

Funditores eximij.

Xenophon. lib. 3. Ouid. 2. Met.

Tres in ea vrbes fuere Lyndus, Camyrus, & Ialyſſus, quæ & Rhodus nunc dicitur, à roſarum ſcilicet abundantia. Sita eſt in litore inſulæ Septentrionali ac velut peninſulæ impoſita, eximium portum habet, circa quem admodum munita turris,

Digitized by Google

turris, vulgo S. Nicolai dicta, quæ magno tuendæ vrbis præſidio fuit. Rei naualis peritia ſemper valuit, eorumque leges nauales non à Romanis modo, ſed ab omnibus peræque gentibus tanquam æquiſſimæ fuerint admiſſæ. Clara fuit ſtatua miræ proceritatis ſeu Coloſſo ex ære 70. cubitis alto: decem annis facto 300. talentorum impendio, qui 56 anno poſtquam ad portus oſtium erectus eſt, terræ motu proſtratus & gentibus cófractus iacuit tantæ vaſtitatis, vt pauci eius pollicem amplecterentur, vaſtique ſpecus è fractis membris hiarent. Ab eo Rhodios dictos à D. Paulo Coloſſenſes exiſtimarunt Euſtathius, & alij, qui haud dubie ſunt decepti. Coloſſæ enim ciuitas erat Phrygiæ vicina Hierapoli & Laodiceæ, quæ ſub Nerone concidit, vt notat Oroſius, quæ poſtea dicta Cone: veterum etiam ſtudiorum, matheſeos, eloquentiæ, & picturæ memoria fuit celebris: quippe in ea perdix à Protogene depicta eſt, cui appoſitæ Cicures pippiebant & homines hiabant. Gymnaſium habuit Aſiatica eloquentia & mathematicis clariſſimum. Aiunt ad eius litus eiectum Ariſtippum, cum Geometrica ſchemata in arena vidiſſet deſcripta, iuſſiſſe, vt bene ſperarent ſocij, quod hominum veſtigia animaduerteret.

Leges nauales. — *Coloſſus Rhodius.* — *Coloſſenſes* — *Plin. l. 5. c. 32. Strabo l. 12* — *Strabo l. 14*

Eam vrbem cum reliqua inſula diu Saracenorum incurſionibus vexatam, Europei cum Palæſtina & Syriæ parte receperunt. Deinde amiſſa rurſum Hieroſolyma fratres Hoſpitalarij, qui D. Ioannis cognominantur Rhodum fauore regis Gotfredi occuparunt à 1308. à nato Chriſto, & diuitem munitam & populoſam vrbem ſæpius fruſtra petitam & obſeſſam retinuerunt ad annum 1522. quo proditione Andreæ Meralli equitis Luſitani occupata eſt à Solimano Turco Imperatore: inde in Melitam ab equitibus migratum inſulam eſt.

3. Inter Rhodum & Cyprum in confinio Pamphiliæ & Lyciæ ſunt Chelidoniæ ſtadiis ſex à ſacro Tauri Promontorio, tres inſulæ aſperæ & nauigantibus importunæ, magnitudine inter ſe æquales, quinque ſtadiis inter ſe diſſitæ; earum vna ſtationem nauium appulſui accommodum habet.

Chelidoniæ. — *Mela Strabo l. 14 p. 666.*

CAPVT XXXIX.

Cyprus.

1. A Rhodo Cyprum verſus multæ inſulæ, ſed ſteriles, paruæ, & ignobiles.

Digitized by Google

Cyprus inſula à Cypro Cynirij & Veneris filio eſt appellata, ſi credimus Stephano, vel à Cypro arbore huic inſulæ peculiari. Ceraſtis aliquando dicta quod multis Promontoriis, ſeu cornibus infeſtis aſſurgat. Horum vnum Cromyum Straboni dictum. Ab Anemurio Ciliciæ promontorio, non amplius 50. mille paſſibus abeſt. Ceruis etiam illinc in Cyprum nauigare auſis, ſagaciſſimo terrarum odore. Credita eſt continenti adhæſiſſe olim parte, qua Syria eſt inſulis etiamnum quæ Clides dicuntur intermediis. In ſacris literis Chetim vocatur, quia is primus ibi vrbes condidit, à quo Cithium opidum tempore D. Hieronymi extabat, vt ipſe in locis Hebraïcis narrat. Circuitus eſt milliariorum 375. longitudo 200. latitudo 50. *Stephanus de vrbibus & inſulis.* Cerui.

Qui imperarunt.

2. Rebus orientis afflictis cum Perſæ, & Saraceni omnia incurſionibus vaſtarent, multis annis illi genti paruit. Succeſſerent reges Latini è familia Luſignanorum Gallica, his Veneti, quantumuis multis grauibuſque ducti rationibus Sabaudi principes ad hanc hæreditatem animum adiecíſſent, ſed controuerſiam diremit Turcus anno 1571. qui expugnata grandi cæde Nicoſia contra fidem datam, innumeros Chriſtianos crudeliſſime occidit: In his generoſiſſimum Bragadinum Ducem, quem contumelioſe illuſum ambabus auriculis iuſſit mutilari, cum blaſphema exprobatione vbi eſſet Chriſtus eius, & poſt aliquot dies fruſtra ſæpius ſollicitatus de abiuranda Chriſtiana religione, ad foſſas vrbis demiſſus, ſingulis locis, qua mœnia verberata fuerant, oppletum humo Cophinum ex imo ad ſummum & ex ſummo ad imum deferre, peneſque Muſtapham, qui præſens erat, tranſiens deoſculari terram iuſſus eſt: moxque extra vrbem ad triremem deductus, in ſella conſidens ac vinctus, triremis antennæ appenſus ſublatuſque ſpectaculo fuit vniuerſæ claſſi: inde pedibus à porta maritima ad Prætorium perductus inſpectante Muſtapha Turcorum Duce, pelle viuus exutus eſt, nullo gemitu edito, donec ad vmbilicum tortore progreſſo in diuinis laudibus inuictam animam Deo reddidit. Feris cadauere obiecto, barbarus cutem palea infartam per Ciliciæ & Syriæ litora ferali ſpectaculo Conſtantinopolem detulit.

Bragandini inuicta cõſtantia.

Dicitur nunc continere circiter 160. millia habitatorum in 850. pagis, quos vocant Caſales. Incolæ plerique ſunt è diuerſis gentibus, quæ hic negotiabantur conuenæ, Patricij & nobiles multi Galli, qui poſt amiſſam terram ſanctam ſimul cum Rege Luſignano circa annum 1192. in hanc inſulam

Vide Spõdanum to. 2. & 3.

Digitized by Google

lam ſe receperunt. Sunt Veneti, ſunt Turci, ſunt è Græcia non pauci.

Opida Cypri, Apoſtoli ætate, quindecim fuerunt, ex quibus præcipua Salamis in amœniſſimo ſitu orientalis litoris poſita: præcipua erat quando in regna nouem inſula diuidebatur. Ad eam Paulus & Barnabas comite Ioanne cognomento Marco à Seleucia Syriæ nauigantes peruenerunt, poſtea à Conſtantino Conſtantia vocata eſt tempore Hieronymi, hodie Famaguſta Epiſcopatu clara, quæ Metropolitam Nicoſienſem reueretur & emporio celebris, quod vnicus nunc ſit inſulæ portus nauibus peruius. *Salamis.* *Famaguſta.* *Nicoſia.*

Paphus in litore occidentali poſita fuit: ætate Hieronymi tantum eius veſtigia extabant. Fuit & Amathus pręclara vrbs in ora Auſtrali, in Boreali Corynæum.

Tremythus in Mediterraneo litore ſicut & mons Olympus nunc Trohodos, cuius ambitus milliarium 54. in eoque ſunt monaſteria circiter 20. Calogerorum Græcorum Ordinis S. Baſilij, arbores omnis generis, fontes plurimi, amneſque Lycus qui in Meridiem, Lapethus, qui in Septentrionem priuſquam effundatur in mare, lacum efficit, qui in ſalem congelatur, quo naues magnæ molis non paucæ quotannis onerantur. Remouetur à mari hic lacus 12. milliaribus, Salinam dicunt. *Olympus.*

Ad Coloſ. 4. Act. 13. & 15. 3. Tempore Conſtantini fuit in ea Epiſcopus Triphyllius, quem eloquentiſſimum ſui temporis Hieronymus tradit. Præterea Spiridion Tremythuntis Epiſcopus præcipuus patrum Nicenæ Synodi, qui Irenes filiæ miniſterio contentus rure maxime egit. Epiphanius Salaminæ ſeu Conſtantiæ Epiſcopus, Hieronymo ſingulari amicitia iunctus & omnibus doctis notus.

Imperante vero Anaſtaſio corpus D. Barnabæ Apoſtoli in Cypro ſub arbore ſiliqua inuentum, ſuper cuius pectore Mathæi Euangelium ipſius D. Barnabæ manu ſcriptum iacebat: proptereaque Cyprij ab Antiochiæ Archipræſule, cui ſuberant liberati, & Metropolitanum habere cœperunt, idque Iuſtinianus confirmauit in gratiam vxoris Theodoræ, quam aliqui volunt Cypriam. *Barnabas Apoſt. in Cypro inuentus.*

Nobiles vt plurimum Latinos ritus colunt in Eccleſia, & bene, ciuiliterque viuunt, alij Græcos ritus, vel Mahumeti deliria ſequuntur. Fuerunt olim Epiſcopi in ea omnino 14. ſed ab Innocentio III. ſummo Pontifice ad quatuor reuocati, Nicoſienſem, Famaguſtanum, Paphienſem, & Limiſſienſem, ſed cuiuſque duplex eſt latinus alter, & alter Græcus. *Epiſcopi.*

Digitized by Google

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Syria.

Syrorum alij albi, alij nigri.

Strabo l. 12 p. 544. & l. 16. p. 537

Strabo l. 1. p. 34. ex Ephoro.

1\. SYRORVM nomen olim ampliſſimum: Leucoſiri, id eſt, albi Syri dicebantur, qui degebant extra Taurum in Capadocia, Cilicia, & in omni peninſula Aſiæ à Phaſi fluuio: alij Æthiopes Syri, qui intra Taurum aduſto erant & nigrante colore. Nam & Semiramis, & Ninus Syri dicti ſunt, quorum illa Babilonem condidit, hic Niniuem, quæ Metropolis fuit Syriæ. Ipſaque Meſopotamia, Syriæ pars fuit non contemnenda. Communiter tamen tribuuntur ipſi fines à Borea, mons Amanus ab eius porta, ad Euphratem: ab Oriente Euphrates, & Arabiæ montes. A Meridie mons Caſſius Syriæ, & Ægypti limes, vt docet Euſtathius in Dionyſium: ab occaſu pelagus Ægyptium & Syrium, cuius regiones varie diſtinguuntur. Alia enim dicitur Comagena Syria: alia Syria Damaſci, Cœleſyria, Palmyrena, Phœnicia, Paleſtina, & mille aliis nominibus.

Syriæ preſſius ſumptæ fines.

Herodot.

2\. A Syro quodam indigena, inditam Syris appellationem auctor eſt Euſebius. Aramæam vocant Hebræi, ab Aram quarto filio Semi: Soriam dicunt Itali, vulgus Surie. Cteſias cæterique qui de rebus Syrorum ſcripſerunt: fidem admodum magnam non inuenerunt ob ipſorum ſimplicitatem, & ſtudium edendi fabulas. Cæterum teſtatur ſcriptura, totam olim etiam cum Meſopotamia paruiſſe Dauidi Hieroſolymorum regi, poſt cruentum prælium quod commiſit anno ante natum Chriſtum 1056. cum Adarezel rege Soba, cæteriſque Syriæ & Meſopotamiæ regulis, in quo perierunt peditum 40. equitum 7. millia. Venit poſtea in manus Aſſyriorum, Parthorum, Medorum. Deuicto autem à Romanis Tygrane Syriam omnem Pompeius in Prouinciæ formam redegit anno ante Chriſtum 65. perfracto autem Imperij limite externis nationibus patuit, innuitque Hieronymus, iam ſua ætate Damaſcum Syriæ Metropolim fuiſſe. Europei quoque maxime Galli quatuor retro ſæculis quibuſdam Syriæ

In Chron.

Syri auctores dubiæ fidei.

Strabo l. 11 p. 507. & l. 14 p. 656

Qui imperarunt in Syria.

1. Paralip.

Syria quando in prouinciam redacta.

Damaſcus Syriæ Metropolis.

riæ locis, etiamque Antiochia potiti ſunt, ſed hanc breui poſt tempore maiori cum clade amiſerunt, quam ceperant. Anno autem Chriſti 1516. Selinus Turcorum Imperator ingenti expeditione in eam ſuſcepta, pulſo Saraceno & Mamalucis poſt ingens prælium ad Singam amnem commiſſum haud procul Alepo, tota Syria potitus eſt.

CAPVT II.

Syrorum lingua.

1. QVæ fuerit Syrorum lingua difficile eſt ſtatuere. Certum 1. variam fuiſſe pro diuerſitate eorum qui imperarunt Syriæ: quippe fuit ſemper in vſu, vt victores & colonias & natiuam linguam inducerent in eas regiones, quas ſibi ſubiecerant. Certum 2. Syriacam (quam Europei vocant) linguam prolem eſſe Hebraicæ & Caldaicæ linguæ. Hebræi ſiquidem qui vſque ad captiuitatem Babylonicam Hebraice ſolum, id eſt, lingua ſua loqui conſueuerant, cœperunt obliuiſci linguæ propriæ & condiſcere alienam, id eſt, Chaldaicam: quia tamen non perfecte eam pronunciare poterant & ſemper aliquid ex Hebraica retinebant, factum eſt, vt lingua quædam extiterit mixta ex Hebraica, & Chaldaica: atque ea eſt, quam pro vulgari & materna deinceps Hebræi habuerunt, quæ dicta eſt Syriaca à regione ex qua profecti fuerant. Certum 3. nullum librum veteris teſtamenti illa lingua à ſuo autore ſcriptum, niſi fortaſſis primum lib. Machabæorum, & Eccleſiaſticum. De nouo autem probabile eſt, Euangelium Sancti Matthæi, & Epiſtolam D. Pauli ad Hebræos, Syriaca lingua fuiſſe exarata. In Europa nouum Teſtamentum Syriacum primus curauit imprimi Albertus Widmanſtudius Ferdinandi Imperatoris Cancellarius anno 1555.

Syriaca lingua proles Hebraicę & Chaldaicæ.

Qui fuerint libri ſcripti lingua Syriaca.

CAPVT III.

Mons Amanus, & Syria Commagena.

1. VAriis temporibus varia fuit Syriæ diuiſio, etiam Romanis in ea imperantibus, partéſque illius aliis, atque aliis nuncupatæ nominibus. Ordinem litorum ſequentes incipiemus à Syria Commagena, eamque deſcribemus partem, quæ ſecundum radices Amani tendit ad Euphratem

Commagenæ limites.

Digitized by Google

& ſecundum maris litora ab Iſſio ſinu, ſeu portis Amani, ad Orontis fluuij oſtia. Præcipuas tamen vrbes, quæ ſitæ ſunt ad Euphratem & Singam fluuios, differemus cum de iis fluminibus ſuo agemus loco.

Nomen. Commagenæ nomen accipit ab herba, quæ in his partibus naſcitur ad radices montis Amani, & paſſim in hac regione, ex qua incluſa in vaſe æreo cum adipe anſerino, cinnamo, multáque niue fit medicamentum Commagenum odoris iucundi. Dicitur etiam Euphrateſia à nomine fluuij, qui illius limes eſt, imo & Auguſtus ſuum illi nomen addidit, dictáque eſt Auguſta Euphratenſis licet tantum Antiocho Commagenorum rege defuncto eam Tiberius Cæſar Romano Imperio adiecerit. *Ammian. l. 14. Victor. in Veſpaſ. Procop. l. 5. De Sol. Perſ. Tacit.*

Commagenum medicamentum.

Mons Amanus. 2. Mons Amanus fruſtum eſt à Cilicio Tauro auulſum per 130. circiter minuta maiora porrectum ad montes Niphates, qui iungerentur, niſi eos dirimeret fl. Euphrates in latitudine gr. 30. Ciliciam, & Cappadociam ſeparat à Syria. Ipſi ſubiectus ager cum maxime ſit fertilis, è diuerſis gentibus conuenientes nomen miſcuerunt & Syrocilices dicti ſunt. Narrat Plinius plurimos etiã huc à Tigrane magno deductos. Regio proprie dicta Commagena vt parua eſt, ita admodum felix, totáque domeſticis conſeritur arboribus & fert oleum. Ad radices Amani ſtatim poſt Pylas fuerunt Pynaria vrbs olim magna; Pagræ caſtellum Anthiochenſis agri, natura munitum circa quod Pacorus Parthorum regis filiorum natu maximus cum Syriam inuaſiſſet à Ventidio eſt interfectus. Germanica clara ciuitas ſic dicta ab iis qui ante in Germania militarant, cuius etiam laudatur pietas; ſequitur Antiochia penes Taurum, hoc eſt Amanum Tauri partem, ſita in long. 50. 15. lat. 37. 20. *Strabo l. 11. Plin. l. 6. c. 114. Strabo. Ptolem.*

Syrocilices. Pinaria. Pagræ. Germanica. Antiochia penes Amanum.

Fuerunt poſtea Samoſata, Seleucia, Singa Hierapolis & aliæ, de quibus dicemus ſuo loco. Secundum litus maris Syriaci ſunt. Alexandria penes Iſſum dicta in long. 60. 30. lat. 36. 10. ſita, à Turcis vaſtata ſæpius, vulgo Alexandreta nunc appellatur, vrbs, quam poſſumus Alepi portum appellare, vel potius pagum conſtantem vix 5. domibus & caſis aliquot.

Alexandria penes Iſſum.

Myrandus. 3. Myrandrus opidum ad litus maris etiam ſitum, in long. 69. 30. lat. 35. 50 In regione quam Ptolemæus vocat Pieriam à monte Pieria, in quo fons montis Singas, Myrandri vero nomen huic eſt loco inditum quod in eo Xerxes per myriades, id eſt, dena millia exercitum in Græcos numerauerit. Sequuntur Rhoſſus, & Seleucia inſignis olim munitio & vrbs

Xerxes vbi exercitum numerauit. Seleucia.

Digitized by Google

Strabo l.16 vrbs inexpugnabilis, quam excluſo Tygrane Pompeius liberam pronunciauit. Sita eſt in ſcopulo in longit. 68. 36. latit. 35. 26.

CAPVT IV.

Syria proprie dicta, ſeu Tetrapolis, Caſſiotis, & Palmyrena.

1. SYria proprie dicta, maritima eſt regio per ſpacioſam diffuſa planiciem, quam fluuius perlabitur, dictus olim Ophites & Typhon, poſteaque Orontes ab Oronte Cambyſis filio, qui in eo periit, nunc Tarfato, aliis Soldino. In Cœleſyria ortus in long. 70. lat. 33. 20. poſtea abſorbetur hiatu qui Charybdis dicitur, & poſt 40. ſtadia emergit, & per Apamienſem agrum ad Antiochiam procedens in mare labitur in long 68. 30. latit. 35. 30. ſtadio 525. à porta Amani 40. à Seleucia. Mari Antiochiam aduerſo fluuio nauigatur vno die, vocatur hæc regio Tetrapolis à quatuor illuſtrioribus vrbibus Seleucia (de qua proxime dixi) Antiochia, Apamia, & Laodicea, quæ propter concordiam ſorores dicebantur, quas Seleucus Nicanor rex Syriæ condidit. Antiochia in long. 69. lat. 35. 30. ſita ad Orontem apud Romanos & Chriſtianos præcipuo fuit in honore, apud Romanos quod propoſita ipſi libertate, Romanis illico ſe ſubiecit, eoque die quo Iulius Cæſar renuntiatus eſt Dictator in vrbe magna Antiochia, ciues æram inſtituerunt, quæ dicta eſt Epocha magnæ Antiochiæ, cuius exordium fuit menſe Octobri annis 48. ac tribus menſibus ante Chriſtianam æram. Apud Chriſtianos vero, quod primus Eccleſiam Antiochenam fundauit D. Petrus anno Chriſti 36. eamque rexit annis 6. ſeptimoque nonnihil inchoato, quamuis non ſemper præſens, indéque Romam profectus eſt anno Chriſti 42. vbi Simonem Magum proſtrauit. Deinde quod primum Antiochiæ dicti ſunt Chriſtiani, qui Chriſto Domino nomen dederunt: poſtea quod Antiochiæ controuerſia orta ſuper Iudæorum ritibus occaſionem dedit cogendi primum Apoſtolorum concilium anno Chriſti 49. habitæque deinceps aliæ in ea ſynodi. Ingenti terræ motu in ea anno Chriſti 115. plurimi homines oppreſſi ſunt, ipſeque Traianus Imperator per feneſtram eductus vix euaſit, nec minus horribilis alius qui anno Chriſti 458. contigit.

[Margin: Orontis fl. ortus & Oſtium. — Tetrapolis. — Antiochia ad Orontem. — Epocha magnæ Antiochiæ. — *Petrau. l3. c. 14. ration.* — D. Petrus fundauit Eccleſiam Antiochenam & Romanam. — Ingẽtes terræ motus.]

2. Quadraginta ſtadiis ab vrbe Antiochia diſtabat Daphne ſita ad læuam ripam Orontis in long 69. & lat 35. 20. vicus [Margin: Daphne.]

quidem mediocris, ſed quem amœnum & ambitioſum ſuburbium Antiochiæ vocat Ammianus, ibi lucus ingens & celebris cum propter fontes Apollinis, tum propter reliquias Babylæ martyris. Apameam ſimiliter idem Seleucus Nicanor condidit ad Orontem in long. 70. lat. 34. 45. in colle tuto, eique ab Apama vxore nomen fecit. Circompoſitus ager vberrimus eſt, & prata habet, in quibus Nicanor quingentos Elephantos aluit, Alexander vero Equas regias 35000. Archiepiſcopali ſede fuit olim celebris, cui parebant Epiſcopi 7. venit in poteſtatem Saracenorum anno Chriſti 1103. poſteaque à Tancredo recepta, demumque à Selimo per deditionem occupata. Laodicæam denique quæ portum habet ad mare in latit. 35. 5. agrumque præter frugum vbertatem vini feraciſſimum.

Apamea ad Orontem. *Strabo l. 11* *Equaria Alexandri.* *Laodicæa.*

3. Inter Orontem & Eleuterum fluuios intercepta proxime ſequens regio dicitur à Ptolomæo Caſſiotis Syriæ à monte Caſſio, cuius altitudo per directum eſt 4000. paſſuum. Ex vertice quarta vigilia per tenebras orientem ſolem aſpicit, & breui circumactu corporis diem noctemque pariter oſtendit, radiiſque caliginem diſſipantibus, illinc nox hinc dies cernitur, ſicque lucem prius vides, quam in circumpoſita regione appareat dies. Eius montis medium ponitur in long. 68. 45. latit. 34. 45.

Caſſiotis. *Caſſius môs altus 4000. paſſus.* *Plin. l. 5. c. 21.* *Solin. c. 49*

4. Palmyrena Hebraice Thamar, inter Orontem & Euphratem ſita regio, hoc eſt nomen ſortita vel quod eo loci plurima fuerint Palmeta, vel ab vrbe Palmyra, quæ licet vaſtas circum habeat ſolitudines & arenas, ipſa tamen nobilis eſt ſitu in agro qui vber eſt & diues, fontibus abundans, à Salomone rege primum condita, poſtea Romanorum præſidium & colonia: & ab Hadriano Imperatore inſtaurata, dictaque Hadrianopolis. Conſtituta autem inter Romanorum Parthorumque Imperia, priuatæ ſæpius fuit ſortis & Romano fatalis Imperio, quod vltra eam nunquam proferri potuit. Diſtabat ab Euphrate vnius diei itinere, ab vrbe Damaſco 27. paſſuum millibus, & à proximo Syriæ litore 252. millibus.

Palmyrena.

CAPVT V.

De Cœleſyria, & Phœnice.

Cœleſyria & Phœnices varia acceptio.

1. VAriæ ſunt harum vocum acceptiones; & primum quidem Cœleſyria generalius ſumpta tota (inquit Strabo

p. 756. Strabo l. 16.) regio eſt extra Seleucidem ad Ægyptum & Arabiam recedens. Secundò & propriè ea eſt, quæ Libano definitur, & Antilibano, cum enim κοῖλος locus ſit cauus, vallis quæ inter duo huius montis brachia continetur propriè dicitur Cœleſyria. Tertiò apud autores ſumitur etiam pro vallibus, non tantum quæ ſunt intra Libanum, verùm etiam citra Libanum, imo pro iis vallibus, quæ ſunt ad montes Hermon, & montes Galaad coniunctos Libano: ſicque dicunt Philadelphiam Ammonitarum regiam fuiſſe in Cœleſyria. Idemque dicendum de Phœnicia. Nam, vt habet
Ibid. idem Strabo, omnis ora ab Orthoſia in finibus Libani ſita ad Peluſium Ægypti Phœnicia vocatur. Cum tamen alij eam definiunt fluuio Valania, cuius oſtium in latit. 34. 30. & Carmelo monte in lat. 32. 50. dicatque Strabo regionem eſ-
Ioſeph. & Lucanus. ſe anguſtam & maritimis obnoxiam æſtibus. Ipſi autem ſicut & mari proximo nomen à Phœnice Agenoris filio, qui indigenas docuit literas Græcas, artem ſcribendi & lanas ex conchiliorum cruore inficiendi, in quo excelluerunt Tyrij. Cadmus vero Phœnicis frater hinc literas in Græciam tranſtulit.

CAPVT VI.

Libanus.

1. HIc ille mons eſt ſacris, & prophanis literis celeberrimus, cuius nobis conſideranda altitudo, nomen, ſitus, arbores, herbæ, cliui, valles, munimenta, incolæ, amplitudo, fontes, fluuij.

Eius eſt altitudinis, vt è 40. milliario ipſum intueantur qui Mediterraneum tranſmittunt, imo è milliario ſexageſimo ſumma animi ſui voluptate aſpexit Moyſes è faſtigio montis Nebo, morti iam proximus, quod terræ Sanctæ Hebræis promiſſæ limitem, & laborum ſuorum terminum finemque intueretur. Hinc niues illæ perpetuæ quibus præcelſi eius vertices media etiam æſtate albicant, quæ in circumpoſitas deferuntur vrbes, vt grato frigore vina temperent. *Altitudo montis Libani.*

Lebanon vocant Hebræi: Lebon Syri: Lobnam Arabes. Vtrum vnus & idem ſit cum Antilibano magna apud auctores eſt controuerſia. Exiſtimo duos eſſe montes, ſeu potius eiuſdem montis duo brachia, qui iuxta mare orti inde longo tractu ab occidente in orientem porriguntur vltra Da- *Nominum Libani, & Antilibani acceptiones.*

Digitized by Google

maſcum; eum autem, qui borealior eſt, Libanum, appellari, qui Auſtralior, Antilibanum, qui proprie terræ promiſſæ terminus eſt. Taliſque ſenſus eſt 70. Interpretum, & Strabonis, & Ptolemæi, qui ait vtrumque paulo vltra mare incipere: Libanum quidem vltra Tripolitanum mare: Antilibanum vltra Sidonem. Nec tamen repugno D. Hieronymo, qui Antilibanum exiſtimat nomen eſſe regionis ſupra Libanum ſitæ, in dimidia Tribu Manaſſe Tranſiordanina, qui enim aſſerit nomen eſſe regionis, non negat eiuſdem montis partem aliam eodem appellari nomine.

Radices arborum mõtis Libani.

2. Mirandum vero maxime, huius montis arbores quantum in auras conſurgunt ſuo vertice, tantum in ima radices demittere, vt nulla tempeſtate quatiantur, ſed mole ſtabili conſiſtant. *Hieronim. in Oſe. c. 14.*

Cedri miræ proceritatis.

Crebræ in eius ſummo creſcunt Cedri mira olim proceritate ſublimes, pino excelſiores, quarum truncum quinque viri brachiis coniuncti vix amplecti poſſunt, Enodes nonnullæ, nodoſæ aliæ & contortæ, rami omnes ramis, & folium folio ſic implicantur, vt non natura, ſed arte id factum credas, poſſintque in iis non volucres modo, ſed etiam ipſi homines ſedere vel ſupini iacere: folia anguſta habent & dura, ſpinoſa, & perpetuo virentia, quæ leuiſſimi aëris motu placidiſſimo murmure ventilantur. Nunc plures centum vix in eius cacumine videbis, licet fama ſit numerum vix aſſignari poſſe, quod ex eiuſdem trunco multæ pullularint, dubium ſit an plures ſint an vnica, ramos decerpere Chriſtianis pietas, Turcis religio eſt, quod credant multis fatales fuiſſe. Sacer eſt eo loco Transfigurationis dies, quem feſtum cedrorum vocant. Confluunt è ſubiecta regione Chriſtiani, imo & Turci, ad radices enim, vbi denſiſſimæ cedri, compoſito è lapidibus & terra aggere in morem altaris, miſſa celebratur.

Cedri odor. Gummi.

Lignum incorruptibile eſt & ſuauiter olens, fructus Cypariſſi comis non abſimiles, qui gummi tenax, ſed mire fragrans emittunt. Rectæ quoque hic, & electæ abietes, odoriferæ Cupreſſi, pingues oliuæ, pini, buxi,

Arbores thuriferæ in Libano. Olybanum electum.

diuerſæque arbores thuriferæ, quarum gummi electum Olybanum medicorum filij nuncupant. Ex hoc ſunt monte, pro Dei templo, exciſa ligna.

Aromatum, & medicarum herbarum magna vis in Libano.

3. Quid herbas, & virgulta referam? Medicæ artis hortus eſt longe ampliſſimus, qui fragrat omnibus Aromatum, herbarumque medicarum generibus, quæ & generoſo odore, virulentos ſerpentes & venenoſa animalia procul pellunt, & feras vtiles & canoras volucres alliciunt. Inter prærupta montis Maronitarum Patriarcha vulgo Batrac ſedem

poſuit

Digitized by Google

poſuit an. 1646. præeratque vicino Monialium collegio, quibus templum ipſe, ædeſque conſtruxerat.

Cliui verticibus Libani ſubiacentes omni genere fructuum abundant, vino imprimis generoſiſſimo, quod cibum concoquit, peccantes abſtergit humores & naturæ vires fouet. Quin etiam ipſum Noëmum vineam plantaſſe in hoc monte, in pago Saidania dicto, qui nunc ſacer eſt Deiparæ, & celebris propter imaginem à S. Luca depictam; Maronitæ plurimi prodiderunt. Libani vinũ omnium præſtantiſſimum. Noë vbi vineam plantauit. Imago D. Virginis à S. Luca depicta.

4. Valles pariter optimo tritico, & vberrimis paſcuis ſic abundant, vt animalia, quæ à ſacerdotibus iuxta legis præſcriptum Hieroſolymis erant offerenda, gramine Libani deberent ſaginari, aiunt præterea ex cœleſti rore coagulum fieri ſaccaro perſimile, nullumque in eo fuiſſe terræ angulum, qui omni frugum genere non luxuriaret. Saccarum in Libano.

Hic fuit olim domus illa vere regia, Turris Libani dicta centum cubitos in longum, 50. in latum porrecta, cuius rudera adhuc in ipſo Libani ſaltu viſuntur. Turris Libani.

5. In hoc monte nati famoſi gigantes, nominatique Satrapræ, filij Enacim, & ad latera eius Amorrhæi, Phæreſæi, cæterique Hebræorum aduerſarij quos dixit Chryſoſtomus altos vt ſunt Cedri, fortes vt quercus. Scriptura vero cubitorum 9. Gigantes. Deuter. 3.

Deflectenti ab ea ſublimitate, in qua Cedri ſunt, occurrit poſt vnius horæ iter pagus, cui hodieque nomen ſeruatur Edem, vbi vulgus Paradiſum terreſtrem fuiſſe credit, hic ſedem habet Archiepiſcopus Arabice Meutran à loco dictus Edenſis. Nec omittenda videntur ampliſſima munimenta non hominum arte, ſed ab ipſa natura intra rupes ficta, quorum oſtiola belli tempore vel vna muliercula aduerſus exercitus quoſlibet obduceret, poſſetque deffendere. Munimenta à natura ficta.

6. Hunc montem incolunt Maronitæ, qui à D. Marone Abbate, ſeu verius Patriarcha vitæ ſanctimonia perilluſtri, atque ab eius diſcipulis originem trahunt, magnamque argenti vim ſingulis annis pendunt Emirio Tripolitano, eius ſoli domino, præter ordinaria vectigalia, ne vllus cum ipſis habitet alienæ religionis cultor, neque vllus, vt in partibus Græcorum fit, infans in captiuitatem pro Bizantino Principe rapiatur, poſſintque omnia Chriſtianæ religionis officia libere exercere: imo & campanis ſoli vtuntur. Fuerunt diu praui Græcorum diſciplinis admodum corrupti, Spiritum à ſolo Patre originem habere credebant; humanos animos, vbi è corporibus ceſſiſſent, neſcio quibus in ſedibus vſque Maronitæ. Campanis vtuntur ſoli in Turcia. Villarel in Orig. 15.

ad Iudicij tempus feriari, coniugij vinculum pro viri arbitrio poſſe diſſolui, Infantes ante quadrageſimum diem baptiſmate luſtrari nefas eſſe, paſcendos tamen tunc Chriſti corpore. Nunc autem coniunctiſſimi ſunt Romanæ Eccleſiæ, quæ variis modis eos fouet, & donis recreat, maxime per ſocietatis noſtræ ſacerdotes in quorum gratiam anno 1584. Gregorius XIII. collegium in vrbe extruxit, & dotauit, eiuſque procurationem ſocietati commiſit. Eundem montem etiam incolunt Druſij gens ferox, quæ, licet circunciſa, nullius tamen eſt religionis, amica Chriſtianis, contumax Turcis, proprios habet Emiros, locorumque anguſtiis freta, Turcorum ſæpius arma experitur. Gallorum reliquiæ dicuntur qui diutina ſacerdotum penuria, & longam cum Turcis conſuetudinem in eoſdem cum iis lapſi ſunt errores: Illorum idioma ex Gallico in Arabicum declinans id videtur teſtari.

Maronitæ cultus Romani.

Druſij Gallorum reliquiæ ſuos habent Emiros.

Amplitudo Libani. 7. Amplitudo Libani non valde magna eſt, nam, ſi Plinio credimus, à tergo Sydonis orſus verſus Orientem vltra Damaſcum tendens mille quingentis ſtadiis, hoc eſt 187. millibus paſſuum ad Symiram, & Palmyrenam vſque regionem vix porrigitur. *Plin. l. 5. c. 20.*

Libano coniuncti montes Arabiæ. Si autem ipſi addas montes Arabiæ ei pene contiguos, ampliſſimus erit hic montium tractus, & quaſi cathena quibus terra Sancta ab Arabiis ſeparatur. Namque Libano proximus mons eſt Hermon dictus, Ptolemæo Trachonus; Huic Galaad mons, ad quem deuenit Iacob cum fugeret Laban. Deinde montana Abarim in longum protenſa ſunt ſecundum Iordanis tractum, ad oſtium torrentis Arnon in mare mortuum: eorum præcipua iuga ſunt Nebo, & Phaſga, in quibus ſtans Moyſes vidit vniuerſam terram Promiſſionis à Dan vſque Berſabee, & ad mare nouiſſimum, ibique mortuus eſt ætatis anno vigeſimo ſupra centeſimum: Putatur etiam Ieremias in huius montis puteo ignem perpetuum cum altari incenſi abſcondidiſſe, in quibus omnibus glebosi & frugiferi plerique colles.

CAPVT VII.

Amnes qui è Libano manant.

1. EX nobiliſſimis eius venis erumpunt Chryſorrhoas, Pharphar, & Abana, qui Damaſcenum agrum, Adonis & Lycus, qui Tripolitanum, Eleutherus, qui Tyriorum,

&

Digitized by Google

& Phœnicum glebas fœcundat & Iordanis qui Arabas à Paleſtinis ſeparat: ebullit, & celeberrimus ille fons hortorum, qui Syriace ab incolis Nahro Radiſcio, id eſt, flumen ſanctum vocatur qui copioſiſſima è ſcatebra magno impetu emanans tribus fluuiis gelidiſſimas aquas in Mediterraneum deonerat. Chryſorrhoas Straboni, Plinio, Ptolomæo, Syriæ fluuius eſt, qui vt habet Strabo ab vrbe, & regione Damaſcenorum incipiens totus fere in riuos conſumitur. Nomen ab effectu ſortitur quod ſolum alioquin ſterile ſic fœcundat, vt frumenti, generoſique vini ſit ferax, & paſcendis pecoribus idoneum. Duo præterea amœniſſimi, & nauigabiles ſunt fluuij Abana, & Pharphar, qui limpidiſſimis ſuis aquis Damaſcum rigant ac omnigenis mercibus ditant. Ille quidem profundus à Meridie, & Occidente lambit vrbis mœnia, hinc vrbem mediam perfluit, tandemque Mediterraneo miſcetur vterque.

Chryſorrhoas flu.

Strabo l. 1. p. 75. Plinius.

Albana, & Pharphar.

2. Damaſcus antiquiſſima eſt vel vna ex antiquiſſimis vrbibus totius orbis; volunt enim aliqui in has partes Noëmum cum Semo ſe contuliſſe, regnumque hic inſtituiſſe, vt & Pontificatum. Dictam vero Damaſcum à Damaſco filio Eliezer, qui eam inſtaurauit cum eſſet procurator domus Abrahæ. Hanc inuictiſſimus Dauid cum tota Syria ſuo adiecit Imperio. A Babylonionum rege vaſtata deſiit eſſe ciuitas ad tempora Macedonum, & Ptolemæorum, qui eam rurſus inſtaurarunt. A Metello autem Lollio capta in Romanorum poteſtatem deuenit. Hîc oculos carnis amiſit D. Paulus vt mentis reciperet. Habuit Archiepiſcopum multis ſæculis, & Baſilicam D. Petro ſacram ad inſtar Romanæ conſtructam, niſi quod in medio nulli erant imbrices, ſed ſub Dio patebat. In ea corpus ſanctiſſimum vatis Zachariæ in ſumma fuit veneratione habitum tam à Chriſtianis, quam à Saracenis. Quotannis hic congregantur Cameli (ſic Carananam vocant) quadraginta circiter mille hominum, qui Mecham contendunt hinc diſſitam itinere dierum quadraginta, ac totidem noctium.

Vide annales Spōd & Teſt.

Geneſ. 15. Iuſtin. l. 35

Ioſeph. l. 4. antiq. c. 14.

Act. 9. Tyr. 14. belli c. 12.

Damaſcus.

Capta à Romanis.

3. Anno autem Chriſti 636. à Saracenis Duce Haomaro Romanis erepta eſt, & nefario Mahometis cultui addicta. Eam Chriſtiani Principes à 1147. obſederunt, ſed obſidionem ſoluere ſunt coacti à Syris decepti. Bis eam obtinuit Tamerlanes anno Chriſti 1400. qui reueritus maieſtatem Templi, quod 40. porticus ambiebant, etiam abſtinuit à nouem millibus ampullis, cum aureis, tum argenteis, quæ miro ſplendore collucebant. Iterumque quando redux ex

Onuphr. in Chron. Eccleſia.

A Saracenis.

A Tamerlane.

Eccleſiæ Damaſcenæ diues ſupellex.

Ægypto Mahumetanos, qui Damaſcum interceperant incluſos in templo omnes ſimul concremauit, vrbem funditus diruit, treſque ex caluariis cæſorum turres erexit. Poſtea ab Ægypti Soldano & Mamalucis iterum firmata præſidio demum anno Chriſti 1517. victis Mamalucis Damaſcum cum vniuerſa Syria in ſuam redegit poteſtatem Selimus Turcorum Imperator. Eam in hanc diem Mahumetani & Chriſtiani magno numero incolunt. Sita eſt in long. 69. latit. 33. eam Turci vocant Sian.

Turres è cæſorum caluariis erectæ.

4. Laudatur Alabaſtrites lapis qui hic effoditur cæteris candidior. Aromata fragrantia ex quibus aquæ exprimuntur incredibilis odoris, quæ appellantur Damaſcena. Nobilia pruna Damaſcena dicta à Plinio iam olim laudata. Byſſini panni Damaſceni, vinum pinguiſſimum, & lanæ ſplendentes, quæ omnia olim Tyrum nunc Sydonem deuecta per totum orbem diſtrahuntur. Damaſceno Beglerbey Turco ſunt in armis ſemper 20. hominum millia vt & Arabas, & Emiros, & magiſtratus Paleſtinæ in officio contineat.

Alabaſtrites lapis. Aqua Damaſcena. Pruna Damaſcena. Panni Damaſceni. Vinum pinguiſſimum.

Plin. l. 10. c. 8 & l. 15. c. 5.

Hieron. in Ezech. c. 27.

CAPVT VIII.

De Emire Tripolitano.

1. EMir, ſeu Princeps Tripolitanus montem Libanum poſſidet, & circumpoſita loca omnia maxime quæ ſunt munita, qualia ſunt Tripolis vnde ipſi nomen, caſtrum Francicum & ſimilia; ſubditorum plerique ſunt Chriſtiani: amplas diuitias poſſidet, vnde & Turcis pro annuo tributo numerat duodecies centena millia æris. Qui vita functus eſt anno 1621. dicebatur Emir Ioſeph.

Emiri Tripolitani regio obnoxia tributo.

CAPVT IX.

Maritima Cæleſyriæ, & Phœniciæ.

1. POſt Orontis fluuij oſtia, ſequuntur in litore Cœleſyriæ, cuius pars eſt Caſſiotis, opidula quæ Ptolemæus & Strabo nuncupant Poſſidium Heraclium & Gabala pridem iam exciſa. Inde fluuius, ſeu potius riuus Valania, qui olim principatum Antiochenum à comitatu Tripolitano dirimebat; ortus è Libano inter maritimas & Epiſcopales vrbes Maracleam & Valaniam in Mediterraneum mare abit in long. 68. 20. lat. 34. 30. Valania ea eſt quam Ptolemæus, & Strabo

Valania.

Tyr. l. 9. c. 14. & 10. c. 5. & 14. c. 11. Strabo dixerunt Balaneam, diſtatque vno milliario à Caſtro Margath, in quod tranſlatus eſt Epiſcopatus propter frequentes Saracenorum excurſiones. Maraclea vero dicitur vrbs Phœniciæ (late ſcilicet ſumpto nomine) à ſeptentrione vrbi Antarado conterminata, in qua etiam fuit aliquando ſedes Epiſcopi. *Tyr. l. 14. c. 11.* Maraclea.

2. Sequens regio illuitur ſabbatico flumine: oritur in Libano ab vrbe Tripoli ſex millibus paſſuum, nec longe ab vrbe Chalcidis, è fonte copioſo, qui hortorum appellatur Cant. 4. quod omnes hortos & regionem longe amœniſſimam, quæ eſt inter Libanum, & Tripolim, irrigat. Præter minores aliquot, in tres maiores ſe diuidit riuos quorum primus inter Acras & Rophaneas, Agrippæ regni ciuitates fluens medius Antaradum alluit. Alter Leopardorum montem circumiens abit in mare. Tertius inter montem Leopardorum & Tripolim pariter ſe condit in Mediterraneum. Appellatur autem Sabbaticus, quod poſt dies ſex exareſcit ſemper, ſeptimoque cum magno aquarum acceſſu oritur iterum; cuius rei fama excitus olim Titus Imperator, coram voluit experiri. Quandiu hæc loca incoluerunt Chriſtiani in iis fuerunt hominum multæ religionis ſodalitia. Sexaginta circiter minutis primis recedit à litore. *Ioſ. l. 7. vel c. 14.* Fons hortorum. Sabbaticus fluuius quare ſic dictus. *Ioſeph. 7. belli c. 24. Vitriac. c. 84.*

3. Chalcis, vrbs potens Syriæ, à qua regnum Chalcidis, ſeu Chalcidica regio, quam Genebrardus contendit eandem cum Abilina, cui Herodes, & Agrippa reges, & Berenice regina fuerunt. Raphaneam regionem Chalcidis Pontius comes Tripolitanus cum Balduino ſecundo Hieroſolymitano rege olim expugnauit. In intimo ſinu modice falcato fuit Antaradus nunc Tortoſa vrbs Phœniciæ ſita ad oſtium Sabbatici fluuij in long. 68. 15. latit. 34. 15. vbi male ponit oſtium Eleutheri Ptolomæus, quem facile eſt corrigere ex Strabone. Condita fuit, vt creditur ab Aradio Chanaami filio. Vno milliario ab ea vrbe viſitur ſepulchrum 20. cubitorum & præterea pyramides ex maximis lapidibus conſtructæ. Scribit Clemens Petrum Apoſtolum Antiochiam petentem in ea Chriſti Euangelium nunciaſſe, & ibidem paruam Eccleſiam fundaſſe in honorem B. Virginis, in qua diuinæ virtutis plura fiunt opera propter quæ ab ipſis etiam Saracenis colitur. *Ioſeph. l. 14. antiq. 5. & alibi ſæpius.* Chalcidis regnum, & vrbs. Abilina. Antaradus tortoſa. *Tyr. 7. bel. Victor. c. 4 Broc. itin.* Eccleſia D. Virgini ſacra quam Saraceni colunt.

4. Vrbi prætenditur inſula Aradus ab Antarado vrbe diſtans duobus minutis. Strabo ait eſſe ſaxum ſeptem ſtadiorum ambitus, plenum habitationibus, à Sidonis exulibus conditis. In freto autem fontem eſſe in quem tempore belli *Strabo l. 16 p. 754.* Aradus inſula.

Digitized by Google

Modus educēdi aquam dulcem è fonte qui eſt in fundo maris. clibanum plumbeum inuerſum à Scapha demittunt; in fundo autem mediocre foramen eſſe cui fiſtula ex corio aſtricta eſt, quæ aquam è fonte per clibanum eductam excipit primo quidem ſalſam, mox puram & dulcem. Narrat Portus fiduciæ. præterea obtinuiſſe à Syriacis regibus Aradios, vt ipſis liceret excipere confugientes ad ſe, nec tradere inuitos. Hos autem poſteaquam reuerſi fuerant in patriam gratias retuliſſe ſuis ſeruatoribus maximas, nec vnquam voluiſſe cum piratis Ciliciæ ſocietatem inire. Præterea in eodem itinerario Clementis legimus S. Petrum Apoſtolum matrem B. Clementis in hac ciuitate mendicantem reperiſſe, & ad fidem conuerſam, filio eandem reſtituiſſe, vbi etiam fit mentio Columnæ vitreæ. de duabus columnis vitreis mirabili artificio in prædicta inſula erectis, quæ ſpectatores in ſui admirationem rapiebant.

Ad orientem Antardi eſt planicies dicta Aſſyriorum terra, in qua ſunt caſtella 10. cum incolis 60000. qui cum per annos 400. fuiſſent dicto quam maxime audientes ſuperiori, Senex montis. quem vocabant Senem montis. Circa annum 1172. reperto caſu Chriſti Euangelio miſerunt ad regem Hieroſolymitanum legatū qui peteret aliquem qui eos doceret Chriſtiana dogmata. Verum cum voti compos rediret, interfectus eſt à fratribus Templi, & peractum eſt nihil, ſed perſeuerantes in traditionibus Saracenis ſemper ab eo tempore fuerunt Chriſtianis infenſiſſimi. In ora maris ſequitur mons Leopardorum rotundus & altus in cuius Aquilonari parte ad radices Sepulcrum 26. pedum. montis in ſpelunca monumentum eſt 26. pedes longum, quod diſtat à Libano vno tantum, aut altero minuto.

5. Duobus milliariis ab eodem monte in long. 67. 30. lat. Tripolis, ſeu Tarabolos. 34. 20. fuit Tripolis nunc Tarabolos vrbs Phœniciæ maxime frequens, diſtans à mari vno milliari, in planicie proxima, Arundinetū ſaccari. Mororum, Citrorum, Granatorum & Arundinetorum ſaccari magna eſt copia; Qua parte vero reſpicit Libanum eſt Oliuetum celebre. Oliuetum quod ad 15. mille paſſus excurrit in longum, & 8. in latum, quod amnis Sabbaticus medium perlabitur. Creſ- Almauz arbor ſeu pomum Adami. cit etiam arbor Almauz, vulgo pomum, ſeu ficus Adami, *Gabriel Sionita Cio de Orientalibus vrbibus.* cuius folium, vel vnicum poteſt hominem tegere; fructus ſunt ſubflaui, odor roſarum, guſtus peponum ſimilis eſt, ſed inſipidior pluribus videtur; in Saracenorum poteſtatem deuenit anno 636. Balduinus vero primus anno 1109. obſeſſio- Tripolis obſeſſa 7. annis. nis anno ſeptimo eam occupauit. Tripolim dictam volunt, quod vna ciuitas ex tribus coaluerit, certe trium ciuitatum rudera diſtinctè etiamnum viſuntur, inter quæ illa quæ hodie

eſt

Digitized by Google

eſt Tripolis extructa eſt, maxime irrigua propter fontes qui Libano fluunt non per vicos modo & balnea, ſed qui etiam in ſuperiorem ædium contignationem riuos emittunt, crudiores tamen ad potum propter ſolutæ niuis admixtionem. Vberrima in his partibus meſſis è ſerico prouenit, ſic autem colligitur; ineunte vere plebs fere omnis vrbe egreſſa in circumiacente agro moris albis conſito, tuguriola extruit in quibus bombyces paſcit virentibus arborum foliis, tum collecta tepentibus aquis & rotæ beneficio fila ſerica, ſiue flaua ſiue omnino candida poſt duos circiter menſes vrbem repetit. Tripoli imminet caſtellum in ſupercilio montis ſitum, quod Græci apposite vocabant Theou proſopon, hoc eſt Dei faciem, in quo mons Libanus deſinit, incipit vero ſecundum Strabonem Cœleſyria, quam producit tantum Sidonem vſque è regione Antilibani, longamque vult tantum 400. ſtadia, latam 200.

Dei facies caſtellum.

Cœleſyriæ fines ſecundum Strabon.

6. Infra fuerunt olim ad mare caſtella, quorum quædam à Pompeio exciſa, quædam hactenus viſuntur. Ab his fuit Botrus opulenta quondam vrbs Phœniciæ ab Itobalo Tyriorum rege condita ad litus maris, Epiſcopali aliquando clara ſede. Miliaribus quatuor ab ea diſtat Biblus, Hebraice Gobel nunc Gibel vrbs Phœniciæ ſimiliter condita excelſo loco ad mare. Cyrina regia à Pompeio capta, hinc fuerunt Byblij qui dicuntur 3. Regum c. 5. præparauiſſe ligna & lapides ad domum Dei. Poſt Chriſti tempora fuit Epiſcopalis, à Chriſtianis & Saracenis ſæpius capta, & recepta. Poſt 3. milliaria ab vrbe Byblo inter præruptos montes, qui dicuntur Climax hoc eſt gradatio, abit in mare fluuius Adonis ſic dictus ab Adonide Byblorum, & Cypriorum regis filio, de quo multæ fabulæ. Ad eius pene fontem fuit Enochia vrbium omnium antiquiſſima, ſi ea eſt quæ parentem habuit Cainum. Chriſtianorum tempore Canis dictus eſt idem fluuius, quod per hos montes Romani viam aperuerunt latam duos cubitos, longam ſtadia 4. quæ propterea canis paſſus dicitur. Aiunt præterea fuiſſe canem marmoreum in proximo promontorio, qui arte magica aduentantes naues latratu indicabat. Hoc amne regnum & Patriarchatus Hieroſolymitanus ſeparantur ab Antiocheno Patriarchatu. Ad hunc eundem montem pariter in mare prorumpit Lycus fl.

Ioſeph. 8. antiq. 13. Tyrius l. 14. c. 12. & 14. Strabo l. 16 c. 12. Tyrius l. 11 c. 9. & l. 14. c. 14. Ortus è Libano. Plin. l. 15. c. 20. Tyr. l. 10. c. 5. & alibi. Niger.

7. Tribus à Cane fluuio milliaribus ſita eſt ad idem litus in longit. 67. 30. latit. 33. 40. alto munitoque loco Berytus vulgo Baruth à Gergeſæo 5. filio Canaam vt putatur condita,

Berytus Baruth.

fœlix Iulia aliquando appellata quando Romanorum Colonia, eiuſque ciues donati ſunt ciuitate ab Auguſto Cæſare. Herodes ſenior & Agrippa rex operibus magnificis eam ornarunt, claruitque poſtea dignitate Epiſcopali. Hic olim celebris illa Chriſti Domini imago à Nicodemo facta, & ab Iudæis cruci affixa ſanguinis & aquæ riuos effudit, quo fuerunt innumeri à variis morbis curati, eiuſque ciuitatis omnes incolæ Iudæi fidem Chriſti ſunt amplexi. De eo miraculo lege ſermonem B. Athanaſij qui in Concilio Niceno ſecundo totus lectus eſt. Stat in hanc diem Eccleſia & Chriſtianis colitur ritu latino. Sæpius fuit à Chriſtianis, & barbaris capta, exciſa, inſtaurata. Nunc Barutus dicitur maximumque & celeberrimum eſt Emporium & Syriæ portus à Mahometanis & Venetis cultum & ſedes Emiri Facardini. mare alluit murum. Situs vrbis longe gratiſſimus.

CAPVT X.

De Emire Facardino.

Emir Facardinus. Gente Arabs.

1. QVando terram Sanctam ſuo Imperio ſubiecit Selinus Turcorum Imperator, in ea reperit plures Arabum familias, quæ iam à maioribus prouincias obtinebant quarum gratia tributum pendebant Sultano Ægyptio, & quia ipſi non erat facile eos domare, eaſdem ipſis reliquit conditionibus. Qui primus inter eos eminet, Emir Facardinus appellatur, hoc eſt princeps in fide illuminatus, qui poſſidet ſuperiorem Galilæam & maximam partem inferioris cum Phœnicia, vbi ciuitates præcipuæ Barutum, Sidon, Tyrus, Ptolemais: ſicque ab Occidente in Orientem obtinet quidquid eſt inter mare Tiberiadis & Mediterraneum, ſpacium quod bene expeditus quiſpiam horis 12. vix inambulet: à Meridie vero in Septentrionem ſecundum litus maris Mediterranei ad 30. leucas patet. Nongentas mille libras creditur poſſidere annui reditus, ex quibus tributi nomine quadringentas pendit Turco, hacque conditione in omnibus ſe gerit, vt principem, niſi quod Turcus per omnes vrbes mittit, qui ius dicant, magiſtratus, quos vocant Cadis. Vnum eſt in more poſitum apud hunc principem, quod eius potentiam non mediocriter auget; curat nempe, vt in ſingulis pagis omnium ſcribantur nomina qui per ætatem armis poſſunt vacare, & conceſſis in eam rem priuilegiis quibuſdam omnes fide tenet obſtrictos, quotieſcunque euocabuntur

Amplitudo eius nominis.

Reditus annui.

Eius militia.

Digitized by Google

cabuntur defuturum neminem, diebus autem veneris omnes exercentur. Hac ratione intra duos dies, poteſt hominum 10. millia cogere, & præter hos octogintos habet equites in ſtipendiis per regni limites diuiſos. Summum tamen ipſius robur in montibus conſiſtit, ſi quando enim Turcus vrbes inuadit vel pagos, recipit ſe illico cum ſuis intra montes & vbi exercitum videt alio traductum, quos reperit in cuſtodiis & ſtationibus milites omnes internecione delet; ipſe Emir Facardin, vt plurimum reſidet Baruti, filius vero ipſius Emir Alli, Seidæ quæ regionis totius primariæ ſunt vrbes.

Quomodo reſiſtat Turco.

CAPVT XI.

De Sidone, Tyro, & reliquis ad montem Tabor.

Ex Ludouici Romani patricij nauigatione.

1. POſt Berytum non longe à fluuio Adonidis in loco qui ab incolis vocatur Capadocia: memorant à Chriſti martyre Georgio regis filiam ab immani dracone aſſertam & patri reſtitutam, Templumque in rei memoriam hic extructum. Sunt in litore aquæ Maſerephot, ad quas vſque filij Iſraël duce Ioſue perſecuti ſunt Chananæos. Sunt & Salinæ, vbi tempore excreſcentis & inundantis maris, aqua in alueos effuſa in ſalem concreſcit feruore Solis, aut ſi deſit, ardore ignis concoquitur. Strabo hic ponit Tamyras flumen & Leonum vrbem, Ptolemæus Leontem fluuium.

Georgij victoria de ſerpente. *Ioſue 11. & 13.* Maſerephot. Salinæ.

2. Magis ad Auſtrum vrbes ſunt quæ ſemper peculiari nitore præcelluerunt Sidon nunc Seide à Sidone primogenito vndecim filiorum Chanaan condita, vt vult Hieronymus, licet alij à piſcium vbertate appellatam ſcribant, quod piſcem Phœnices Sidon vocent, poſtea cecidit in ſortem tribus Azer, ſed eam non poſſedit, quod hoſtes inde nolluit expellere, Diu inter Tyrum & Sidonem certamen fuit de Imperio, magnitudine, opulentia, & emporij celebritate. Sed in ſcriptura fere vbique videntur Tyro primæ partes dari, etſi, vt volunt aliqui, Sidon Tyro fuerit antiquior & Tyrus Sidoniorum colonia. Ab oriente fœcundiſſimus Sidoni adiacet campus. Vrbs ſolida in rupe ſuper litus maris in longum fuit ædificata, cuius Boreale cornu aliquando munitionibus firmarunt Teutones, Auſtrale Templarij Equites cuſtodiebant: præter quæ erat tertium in vrbis medio. Incolæ multarum & optimarum artium magiſtri perhibentur, puta Aſtronomiæ, Arithmetices, vitrum conflandi, purpuræ

Sidonis Seide. *Iuſtin. l. 18* Emporium celebre. Quarum artium & diſciplinarum Sidonij inuentores. *Strabo l. 16*

Digitized by Google

artificij, nocturnæ nauigationis, cædendi lapides & ligna. Capta primum memoratur à Nabuchodonoſore; deinde ab Alexandro magno. Multis ſæculis in Chriſtiana floruit religione, ſæpiuſque à Saracenis capta & à Chriſtianis recepta; nunc à Turcis poſſidetur. Communi ſermone dicitur Seide, eſtque longe minor quam fuit, vt patet ex ruderibus, nihilque retinent ædificia antiqui ſplendoris, portus tamen commodus eſt, & tutus, ad eum ſolent appellere Galli, qui Goſſipij, & Serici plurimum hinc exportant. In ea, vt prius monui, vt plurimum reſidet filius Emiri Facardini. Sidone Tyrum ſunt leucæ horariæ tres aut quatuor. Sidone Berytum vnius diei iter; Beryto Tripolim fere tantumdem, Tripoli Alexandrettam aliquantò longius, Alexandretta Alepum bidui iter conficitur. A Sidone via deducitur celebris, quæ per Sareptam Tyrum, & à Tyro Ptolemaidam ſecundum litus maris tendit.

Sarepta nūc Saphet. 3. In hac via publica, medio quaſi itinere inter Sidonem & Tyrum non procul à litore maris fuit Sarepta à ſylua vrbi proxima ſic dicta, in ea mulier Eliam hoſpitio excepit, cuius & filium ſuſcitauit. *Ionam ibi cete glutiuit.* Hic & Ionam Hebræi volunt à ceto glutitum: Amplitudinem ipſius oſtendunt extantes adhuc reliquiæ. Generoſum regionis circumpoſitæ vinum commendat Sidonius. Nunc Saphet eam aliqui vocant. Duobus à Sarepta milliaribus in Mediterraneum abit Eleutherus fluu, qui ex Libano monte ortus fluit per Galilæam gentium: ſcribit Plinius teſtudines è mari Phœnicio vltro venire ſtatuto tempore cum effuſa multitudine in hunc amnem. Militiæ templi caſtrum munitiſſimum alluit Belfort à pulchritudine *Belfort caſtrum.* dictum quod aliquando Saladinus obſedit ſed fruſtra. Ad *Tyr. l. 21. de bello Sar.* ſuperiores eius partes fuit Roob regionis cognominis caput *Roob.* quæ limes fuit itineris exploratorum quos Moſes emiſerat. Centum ſtadiis à Sidone fuit Ornithon auium ſiue Galinarum vrbs. *Galinarum vrbs.*

Tyrus condita à Tyra. 4. Tyrus vulgo Sour, exiguum nunc opidum, olim famoſa toto orbe ciuitas, quæ tertio ab Eleuthero fluuio milliari, loci opportunitate terra marique vehementer inuitante breui tempore poſt diuiſionem terrarum condita eſt à Tyra Iapheti filio anno ante Chriſtum 1270. Poſt aliquot *Capta ſæpius.* annorum centurias eam Ioſue & muniuit & amplificauit. Hinc autem, & deinceps vſque ad tempora magni Nabuchodonoſor annis 664. admodum glorioſa fuit, ſed ab eo vehementer afflicta, captaque poſt 13. annorum obſidionem rege Tyriorum Ithobalo ann. ante Chriſt. 618. annis 70. iacuit,

Digitized by Google

iacuit, poſt quos in excelſa rupe duriſſima paſſibus ſeptingentis diuiſa à continenti marinis fluctibus cincta vndique, ad priſtinam potentiam reuerſa eſt, donec eam rurſus afflixit Alexander Macedo & de inſula peninſulam fecit poſt annos 275. à clade Babylonica: ager circumpoſitus incredibilis erat & vbertatis, & amœnitatis, abundabat cannis mellitis ex quibus ſaccarum colligitur. Pyramidibus, columnis marmoreis, priuata, publicaque ſic nitebant ædificia, vt eam Ezechiel dixerit vrbem perfecti decoris. Et vero ſi munitionem ſpectes, arx potius dicenda erat quam vrbs: ſi negotiationem, mundi totius ad eum vſque diem forum fuit: ſi magnificentiam & gloriam velut Regina inter alias vrbes eminuit: ſi opes, faſtum, & luxum, orbis potius quam vrbis nomen merebatur. Qui Sidonis eam Coloniam faciunt, iidem prædicant parentem Carthaginis. Pene ſemper cum Hieroſolymis amicitia fuit coniuncta. In Orientali porta Tyri magnus in medio arenæ extat lapis ſuper quem dicitur Chriſtus ſtetiſſe ac diuina ipſis aperuiſſe myſteria, quando mulier extollens vocem dixit, beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti, qui lapis nunquam arena ſeu puluere, aut niue tegi dicitur, quantumuis aſſiduo pene ventorum afflatu arena ibi agitetur.

Vbertas & ſplendor. *Saccarum.* *Vrbs perfecti decoris.* *Brocar. l. 1. & alij.*

5. A Tyro paruo milliario diſtat Puteus aquarum viuentium. Sunt autem 4. fontes quadrati, quorum ille qui præcipus eſt in vnoquoque quadrati latere, quadraginta, reliqui 25. habent cubitos, omnes muris firmiſſimis inſolubili opere firmati, vnde varij deducuntur aquæ ductus, qui totam Tyri planiciem eiuſque hortos fœcundant. Diſtant à mari paulo amplius, quam arcus poſſit iacere, in quo ſpatio ſex molas agunt, priuſquam ſe mari miſceant. Poſt Tyrum fuit antiqua Tyrus 30. ſtadiis diſtans à recentiori. Habes poſtea caſtrum Lamberti ſub monte Saron iuxta mare ſitum, vineis, hortis, aquis, atque fluminibus abundans. Inde poſt milliaria 4. fuit Ptolemais magna vrbs à Ptolemæo quondam Ægypti rege ſic dicta, prius Ace nominata, poſtea Claudij colonia, nunc Acre. Triangularis figuræ. Vrbem præterfluit amnis ortus ex montibus proximis, qui dum miſcetur mari, nauibus tutam ſtationem & vrbi lucrum præbet maximum. In medio inſignis eſt turris muſcarum dicta Beelzebut fanum, & Pharus appellentibus. Ædes tam publicæ quam priuatæ, magnificæ ſunt, eam nunquam obtinuerunt Iſraëlitæ. D. Paulus Tyro veniens vnam diem apud fratres hic egit, hanc Chriſtianis eripuerunt Saraceni anno

Puteus aquarum viuentium. *Cant. 4. Tyr. l. 7. vel c. 21. & alibi.* *Tyrus antiqua.* *Brocar. & Bridenbac.* *Caſtrum Lamberti.* *Ptolemais nunc Acer.* *Claudij colonia.* *Turris muſcarum ſeu Beelzebut.* *Pharus nocturna.*

Digitized by Google

Chriſti 636. Recepit Balduinus anno 1104. Deinde cum Saladinus an. 1187. iterum eam Saracenis tradidiſſet, Philippus Adeodatus Francorum Rex tertio obſidionis anno eam recuperauit anno 1191. Iterum à Saracenis expugnata funditus euerſa eſt an 1291. Poſtea per Ægyptios Saracenos reſtaurata tandem anno Chriſti 1517. in Turcorum poteſtatem venit.

Triennio vallata ab Adeotato Francorum rege.

Inter Ptolemaïdem & Tyrum eſt litus arenæ vitriariæ tumulis obſitum, quam dicunt hoc in loco non fundi, cum vero Sidonem defertur, fuſioni parere, Non ſecus quam ea quam habent Sidonij. Poſt iter vnius circiter horæ ad Pontem Beli influit amnis eiuſdem nominis, qui ex montibus proximis ortus paludem Cendeniam perlabitur, in qua ſimiliter vitreæ ſunt arenæ. Sepulcrum Memnonis ab ea palude non multum diſtat. Mox habes vallem & torrentem Ieptael quæ Tribum Azer à Tribu Zabulon ſeparat. Ad eum in Tribu Zabulon celebrioris notæ & nominis loca fuerunt.

Vitriaria arena, quæ non paret fuſioni, niſi transferatur Sidonem. Belus torrens. Arenæ vitreæ. Sepulcrum Memnonis.

Strabo l.16 p. 758.

6. Cana Galileæ, vbi Chriſtus aquam mutauit in vinum. Triclinium in quo ſunt celebratæ nuptiæ quod ad noſtra vſque tempora perſeuerat. Ex hac olim fuit mulier illa Syrophænißa dicta Chananea, cuius filiam Dominus à Dæmonio liberauit. Fuit & Simonis Apoſt. & Nathanaëlis patria. Pene ad eiuſdem torrentis oſtium in mare ciuitas Zabulon in fertili Galilææ regione ſita, olim munitiſſima, flammis imperante Tito ſuccenſa. Eſt in proximo torrens alius Ciſon, quo mare Galileæ & Iordanis mari Mediterraneo committuntur. Oritur in monte Tabor, eo maxime loco, quem Chriſtus & orationi & ſuæ delegit Transfigurationi. Mox in duo brachia diuiſus vno, quod Ciſon maior appellatur, effunditur in mare Mediterraneum: Altero quod Ciſon minor dicitur, in mare Galileæ decurrit ad caſtrum Bellifort: augetur pluuialibus aquis montis Hermon.

Cana Galileæ.

Zabulon. ciuitas.

Ciſon torrens.

7. Tabor 70. Interpretibus Itabyrium, Polybio Maſtoim, mons eſt in medio Galileæ ſitus, ſupra modum amœnus, ad 30. aſſurgit ſtadia, & procul è mari ſpectandum ſe præbet à Septentrionali tractu inacceſſus. Singularis eſt eius loci temperies; nam & vineis, oliuis, arbuſtis, & arboribus fructiferis conſitus eſt, & in eius vertice ſemper viret planicies ſtadiorum 16. ſuaui omnigenum florum odore fragrantiſſima, in qua Barac cum Siſara conflicturus ſuas collegit copias: hunc gloriæ Chriſti teſtem plerique arbitrantur, licet hunc montem ſcriptura non nominet, ſed tantum montem excelſum dicat, vnde & ſibi hoc perſuadens D. Helena pulcherrimum

Mons Tabor.

Digitized by Google

cherrimum ædificauit templum in eo monte duoque poſtea ipſi adiuncta monaſteria. Quorum omnium ſolæ, ſed grandes extant ruinæ, in quibus ſicut & in ſenticetis quibus nunc horret leones, aliæque feræ nunc latent. In imo locus eſt in quo 22. aſſes pendunt Chriſtiani, qui montem volunt conſcendere. Porro licet ſit in ditione Emiris Facardini, hoc tamen tributum pertinebat ante aliquot annos ad Emirem Tharabeum, cui à Biſantinis cura demandabatur, vt viæ publicæ à prædonibus eſſent liberæ.

Ab hoc monte trans Cyſonem montes ſunt Hermon quos Phœnices vocant Sanior, qui ad mare Galileæ per aliquot milliaria extenſi eo loci deſinunt, vbi Iordanes è mari Galileæ egreditur, famoſiſſimi ſunt, paſcebantúrque in iis ſicut & Libano animalia, quæ Deo Hieroſolymis immolabantur. Montes Hermon.

8. In dexteram ripam torrentis Cizon influit torrens alius ex monte cui impoſitum Nazarethum flore cœleſti nobilitatum opidum, & nomen, implens abunde, vnde Lauretana domus tranſlata fuit; Angelici nuncij conſcia. Eſt porro Nazareth, cum hæc ſcribo pagus 30. domorum aſpectus ingrati ob montes quibus cingitur & defectum arborum, ſolum tamen tritici ferax eſt, vnde & incolæ bis mille libras pro annuo tributo pendunt Emiri. Itinere duarum horarum à monte Nazaretho, totidemque à monte Tabor fuit Sephorim vrbs opulenta, & totius Galileæ maxima in meditullio regionis, loco tutiſſimo ſita, & arce munita, natalis vt putatur locus beatorum Ioachim atque Annæ Deiparæ Virginis parentum. Hanc cum Varus cepiſſet, incendio abſumpſit, ſed ab Herode reſtituta, gentis caput fuit & regionis propugnaculum dictaque Diocæſarea ab eodem Romanorum fortunæ turpiter adblandiente. Naim ciuitas olim decora, ante cuius portam Chriſtus filium viduæ ſuſcitauit, ſita ad ipſum Cyſonem maiorem nunc vicus tantum eſt ſuis pene ruinis incubans. Secundus torrens, qui influit in Cyſonem ab oppido quod alluit, dicitur Mageddo, cuius Regem occidit olim Ioſue. In eo mortuus Ochoſias, & occiſus Ioſias, regioque proxima ab eo, campus Mageddo appellatur. Nazarethũ. Eſt in ditione Facardini. Sephorim vrbs natalis SS. Ioachim & Annæ. Diocæſarea. Naim. Mageddo.

9. E regione Torrentis Cyſonis & montium Hermon, proximi ſunt, & quaſi paralleli montes Gelboë petroſi & aridi multis locis, qui ab Occidente in Orientem per leucas horarias 11. porriguntur ab vrbe Ieſraël ad Scythopolim. In valle proxima ſeu planicie Ieſraël duas leucas lata pugnarunt Gedeon contra Madianitas, Saul contra Philiſtæos, qui Montes Gelboë. Ieſraël metropolis 10. tribuum.

& hic occiſus, Achab contra Syros, & Tartari contra Saracenos. Fuit vero Ieſraël, vt Hieronymo placet, Metropolis 10. tribuum, inſigni turre ſpectabilis, vnde accenſo igne de aduentu hoſtium fiebat iudicium: in ea obiecto falſo crimine lapidatus eſt Naboth, proptereaque Ieſabel à canibus lacerata, iuxta eam occiſus eſt Ioram: è fonte & monte vrbi proximo oritur & torrens alius, qui in Cyſonem ſimiliter abit, diciturque Torrens Ieſraël.

Turris ex qua accenſo igne fit iudicium de aduentu hoſtium.

CAPVT XII.

ERRA SANCTA.

Quibus appellata nominibus.

Terra ſancta vnde ſit dicta.

I. O *Tellus dilecta Deo magis omnibus vna.* Quippe hæc nobilis illa regio, quæ naſcentem in carne Deum excepit, quæ auguſtiſſimis eius quinque vulnerum fontibus ſanctificata eſt; quæ mortuum ſuis viſceribus triduo amplexata, viuum Cœlo, & Angelis reſtituit: quæ denique poſteaquam Chriſtus ſuam in ea quaſi in publico theatro propoſuit doctrinam, tradidit Sacramenta, edidit portenta & miracula, eſtque hinc ab eius Apoſtolis, ſanctimonia & ſcientia colendi Deum, per totum orbem longe latéque diffuſa, communi omnium calculo, Terra ſancta meruit appellari.

Chananæi primi incolæ terræ ſanctæ.

Terram Chanaam vocant ſacra Biblia, & Ioſephus, quod ſolum hoc longe optimum, cum fuiſſet à Patriarcha Noëmo aſſignatum primogenito ſuo Sem, peſſimus, & nominatim maledictus Chanaam non contentus ea portione agri, quæ parenti ſuo Cham obuenerat, eam prouinciam vi occupatam de ſuo nomine Chananæam dixit, & vndecim filiis ſuis tradidit poſſidendam. Hinc Sidon primogenitus illius, Sidoniis dedit originem. Heth Hethæis: Iebus Iebuſæis. Amor fuit radix Amorrhæorum: Heuæus montem Hermon incoluit, à quo Hæuæi & Gabaonitæ. Aracæus vrbem Arcem condidit in Libano. Sinæus vrbem in eodem monte ſtatuit. Aradius in Arado inſula & Antarado ſedem poſuit. Samarus author fuit Samaritanorum; & Amath nomen dedit terræ Emath in finibus Chananitidis conſtitutæ. Hunc agrum nepotes eorum dicti omnes Chananæi per annos circiter 655. excoluerunt ad tempora Ioſue, qui anno ante Chriſtum 1467. Iſraëlis filiis Sem reſtituit maximam eius partem,

Quandiu eam poſſederunt & quis eos expulit.

partem, & victoriis diuinitus conceſſis à Chananæis iniquis poſſeſſoribus vindicauit, æquata ſolo eorum metropoli Azor quæ, ſi credimus Adricomio, diſtabat itinere ſex horarum ab vrbe Dan, nouem vero à Mediterraneo mari.

2. Terra promiſſionis frequenter appellatur, quod Abrahamo qui à Semo originem repetebat, dum per Chananitidem Damaſci, iuſſu Dei peregrinabatur, promiſſa fuit 474. annis priuſquam eius poſteris ſit tradita, quod demum accidit anno ante Chriſtum 1467. quando Ioſue interfectis 31. Chananæorum Regibus, miſit in poſſeſſionem agrorum quos Chananæi iniuſte in eum diem obtinuerant, Iſraëlitas Abrahæ poſteros. Iudæa non infrequenter dicitur à Tribu Iuda, quod hæc cæteris Sacerdotij & Regni prærogatiua præcelleret. Denique Ptolemæus, aliique paſſim ſcriptores, cum ſacri, tum prophani Palæſtinam nominant, à parte eius maxime diuite, quam Philiſtæi poſſidebant à Cæſarea ad Gazam Ægypto conterminam, quæ cum Philiſtæa proprio nomine diceretur, poſtea inualuit vt corrupto nomine Palæſtina fuerit appellata.

Terræ promiſſionis vnde nomen.

Iudææ nomen.

Palæſtinæ nomen vnde.

CAPVT XIII.

Situs Terræ Promiſſionis, eiuſque vbertas expenditur ex incolarum numero.

1. DVo in hac re definienda, nobis videntur certa: Primum quod conſtat ex numerorum libro, anathemati ſubieciſſe Deum quidquid trans Iordanem poſſidebant Chananæi, à ciuitate Dan, hoc eſt Cæſaræa Philippi, ſita ad radices montis Libani in long. 67. 40. & lat. 33. 0. ad Berſabeæ deſertum, in cuius extremo, eſt Rhinocorura ſita in longit. 64. 30. & lat. 31. 50. ad oſtium torrentis ſeu fluuij turbidi, quo Ægyptus à Palæſtina ſeparatur, & per Moyſem Iſraëlitis promiſiſſe Deum, ſe eos deleturum. quod ſpatium ſi habemus rationem directi ſitus à Ptolomæo aſſignati, eſt minutorum ſeu geometricorum paſſuum 170. millium, vel, vt refert Hieronymus, milliariorum horariorum 67. neque enim minori tempore, vt contendunt, qui hæc inambularunt loca poteſt hoc ſpatium, forte propter montes & flexus peragrari. Ad quas difficultates locorum non attendunt Geographi. Latitudo vero vix quadrantem longitudinis obtinet.

Longitudo Palæſtinæ leuc. 67.

Latitudo.

2. Certum ſecundo Deum iuſſiſſe vt plurimæ regiones

Digitized by Google

quæ intra prædictos terminos continebantur, & quæ armis Iſraëlitarum necdum erant ſubactæ, diuiderentur in hæreditatem Iſraëlitarum, quos tamen vel nunquam occuparunt, vel pauco tempore poſſederunt Iſraëlitæ, vt populus bello iugiter exerceretur neque per otium in vitia deflecteret. Deinde vt per hoſtes, qui relinquerentur, probarentur Iſraëlitæ, an in Dei famulatu & amore perſeuerarent, quippe futurum erat, vt eos ſibi haberent ſubditos & tributarios, ſi præcepta Dei ſeruarent: ſin minus eos ſæuiſſimos Dominos & tyrannos experirentur. Conſtat autem tunc multos ad montem Libanum non fuiſſe ſubactos, nec Philiſtinorum quinque Satrapias, nec paucos in montibus Hermon. Certum tertio quod ſcriptura in tribu filiorum Ioſeph notat, & arguit quod non interfecerunt reliquias Chananæorum, ſicut Dominus iuſſerat, ſed auaritia ductos feciſſe ſibi vectigales, quod eis poſtea ceſſit in ruinam, vt illis diuinitus prædictum fuerat.

Terram Sanctam nunquam Iſraëlitæ obtinuerunt integram.

Id conſtat ex Indicum libro.

3. Vnum eſt, quod difficultatem facit non leuem, admittamus enim in his partibus ſingularem fuiſſe cœli temperiem, aëris ſalubritatem, ſoli vbertatem, pecorum, auium, piſcium, frumenti, vini, olei, ſaccari, balſami, ficuum, herbarum, florum, frugum omnis generis copiam: vno verbo, vt ſcriptura loquitur, diffluxiſſe melle, & lacte, quî tandem fieri potuit, vt recenſita tam exigua agri menſura potuerit alere tantam hominum multitudinem quantam ſcriptura memorat 2. Regum c. 21. vbi dicitur in duabus tertiis huius agri partibus inuenta fuiſſe tempore Dauidis vndecies centena millia hominum, qui vigeſimum annum ſuperabant, & ad militiam erant idonei? facile enim quiuis concedet quatuor aut quinque hominum mulierum & puerorum millionibus eodem tempore hunc agrum debuiſſe tunc alimenta ſufficere. Exiſtimarunt aliqui, hoc prouenire ex montibus, regioneſque, in quibus frequentes ſunt montes, eoſdem vſus habere, ac ſi quadruplo fere maior eſſet ea agri planicie, in qua montes illi ſunt ſiti: quod etſi primâ fronte aliquam veri ſpeciem præ ſe ferat, tamen huius dicti falſitatem Vilalpandus noſter, manifeſta, vt reor, demonſtratione aperuit, docuitque primo ſolum montibus aſperum commerciis hominum minus aptum: Secundo ædificationi minus vtile eſſe accliue ſolum, quam planum illi ſubſtans: Denique non poſſe plures in monte aliquo ſtare arbores, aut produci ſegetes, quæ in frugem matureſcant, quam in plano quod illi ſubſtat, quantumuis admittat plura ſpargi poſſe

Quæ huius agri vbertas.

Iſraëlitarũ quis numerus tempore Dauidis.

An terra montibus aſpera plus afferat commodi incolis, quam afferret planũ quod ipſis ſubſtat.

poſſe ſemina in decliui ſuperficie, quam in area quæ ipſi ſubeſt: ex quibus concludit regionis montibus aſperæ commoda tam eſſe exigua, vt nullius pene ſint pretij, quando componuntur cum incommodis quæ in his locis percipiuntur. Et conſequenter dubium nemini eſſe debet quin hoc ſit referendum in ſingularem huius agri bonitatem, eximiam incolarum induſtriam & peculiarem Dei præpotentis gratiam quibus nunc iam deſtituta, apparet ſaxoſa, & pleriſque locis effœta.

CAPVT XIV.

Qui in Paleſtina imperarunt in hanc diem.

1. PRimi à diluuio memorantur Sidonij Amorrhæi, & alij filij Chanaam, qui per 655. annos eam incoluerunt, homines prægrandes, & gigantes viribus & moribus inſoleſcentes, quos Chryſoſtomus vocat heroes prælongos. Amos vero Propheta comparat altitudini cedrorum & fortitudini quercuum, quos tandem filij Iſraël occiſis pleriſque de poſſeſſione diſiecerunt, circa annum ante Chriſtum 1467. Chananæis, ſucceſſerunt Iſraëlitæ, quos per quadringentos annos iudices moderati ſunt: his reges qui per annos circiter quingentos imperarunt ad tempora Nabuchodonoſoris, qui Iudæos in Aſſyriam & Babiloniam captiuos duxit circa annum 615. ante Chriſtum. Tranſlato deinde ab Aſſyriis & Babiloniis in Perſas Imperio, Cyri iuſſu quinquaginta Iudæorum millia poſtliminio rediere in Hieruſalem anno ante Chriſtum 536. duce Zorobabele, qui celeberrimum illud templum à Salomone olim rege à fundamentis excitatum reædificauit, nec multo poſt permittente Artaxerxe, bene multos cum reduxiſſet Eſdras ducum ſuorum robore & prudentia, iterum per quadringentos annos Iudæorum ſtetit reſpublica, annoque ante Chriſtum 102. defuncto Hyrcano, Ariſtobulus principatum in Regni formam vertit, & Dyadema ſibi impoſuit, cuius proles gemina Ariſtobulus & Hyrcanus cum defuncto patre contenderent de regno, Romani tunc præpotentes, conciliandæ pacis ſpecie regnum inuaſerunt duce magno Pompeio, qui templum expugnauit anno ante Chr. 62. Illud autem retinuerunt Romani ad annum reparatæ ſalutis 614. quando illud ipſis Perſarum Rex Coſroës eripuit, incolarum nonaginta millibus internecioni datis. Imperator quidem Heraclius illud ali-

Chananæi per annos 655.

Iſraëlitæ per annos 900.

Babylonij & Perſæ per annos 89.

Poſtliminio redeunt Iſraëlitæ & illud poſſident per annos 470.

Ioſeph. l. 13. c. 19.

Romani per annos 676.

Perſæ annos 11.

quanto poſt recepit, ſed mox Hamar princeps Saracenorum, & Arabum omni potitus eſt Palæſtina vertente anno Chriſti 636. quam & retinuerunt Saraceni per 463. annos proxime ſequentes ad annum 1099. quo ipſos expulit Gotofredus dux Bullonius, qui ſuis illud ſucceſſoribus reliquit, qui per 88. annos hic regnarunt, poſt quos Saladinus occupata Hieroſolymorum vrbe proditione Remundi comitis Tripoleos prouinciam obtinuit, cuius iacturam licet aliquanto poſt feciſſet, eam tamen denuo anno 1203. ſic recepit vt eam ſemper poſſederint Saraceni ad annum 1516. quo Selinus Turca ſuperato Tomumbeio eos eiecit: Selinus autem Imperator cum has partes ſuo ſubiecit Imperio, nec ipſi eſſet facile penitus domare quoſdam Principes Arabas, qui Sultano Ægyptio pendebant tributum, iiſdem conditionibus eos ibidem reliquit, vt ſupra attigimus. De quorum nonnullis cum iam dixerimus, de reliquis ſuo dicturi ſumus ordine.

Arabes & Saraceni per 463.

Chriſtiani Europæi per 88.

Ægyptij per annos 313.

Turcus in hanc diem.

CAPVT XV.

Iordanis fluuius.

1. IOrdani maximo, & amœniſſimo totius Paleſtinæ fluuio fons triplex. Primarius phiala, cauitas imperſcrutabilis, perpetuo plena aquis, quæ nec vnquam exundant, nec deficiunt, ſitus in Trachonitide ad radices montis Schir, Secundarij Ior & Dan qui ad portas Cæſareæ Philippi iunctis aquis & nominibus abeunt in flumen, quod Hebræi Iarden, nos Iordanem appellamus, Paleis in phialam deiectis, poſteaque repertis in fonte Dan, hunc tantum eſſe fontem ſecundarium manifeſto cognouit argumento Philippus Trachonitidis Tetrarcha. Trachonitidem, ab Ituræa & Galilæa diuidit, Seleuciam vrbem alluit, in vallem influit ſeu ſtagnum latum 30. longum 60. ſtadia, quod Meron & Samachonites nominatur. Poſtea ſalutato oppido Aroſeth, fontibus aliquot augetur, centumque viginti aliis præteritis ſtadiis inter Capharnaum & Coroſaim vrbem Decapoleos cui male precatus eſt Chriſtus, & ex qua oriundum Antichriſtum quidam ſuſpicantur; in mare Galileæ ſeu lacum Genezareth late diffundit ſe, hincque emergens pluribus auctus torrentibus, & maior Iordanis dictus Peræram à Samaria, & Moabitidem à Iudæa regiones diuidens conuallem illuſtrem 230. ſtadiorum mediam ſecat, Campeſtria, Moab, & Palmiferos Ierichontis agros ſuis aquis fœcundat, & poſt multos flexus ſinuoſos,

Phiala fons imperſcrutabilis.

Fontes ſecundarij quomodo agnoſcũtur.

Decurſus fluuij.

Meron lacus.

Mare Galilææ.

Iordanis maior.

Digitized by Google

ſinuoſos, velut inuitus in mare mortuum, ſeu lacum Aſphaltitem dilabitur: cui mixtus & nomen & aquarum dulcedinem perdit, quin etiam piſces quibus Iordanis abundat, vbi eas guſtarunt, illico aut renatant, aut moriuntur. Poſtremo peſtiferum hoc mare latum 120. longum 230. ſtadiis medium præterlapſus, breuique ſpatio egreſſus in horrenda quadam terræ voragine abſorbetur. Summa longitudo Iordanis à monte Libano ad deſertum Pharan eſt milliariorum horariorum prope 100. Ripæ ex vtraque parte vberrimis campis cinguntur, quando exundat diffluentibus Libani niuibus. Ripas aluei meſſis tempore implet, nobiles præterea ſecundum ripam viſuntur vrbes, innumeri pagi, prata, arundineta, & ſaltus in quibus omne ferarum genus. Sic vero lente fluit, vt in quam partem feratur vix agnoſcas.

Subit lacum Aſphaltitem.

Iordanis longitudo.

Ripæ.

Lente fluit.

CAPVT XVI.

Iordanis laudes præter naturam ipſi propriæ.

1. HVnc fluuium primo Iſraëlitæ, poſtea Elias, & Eliſæus aquis eius per miraculũ diuiſis, ſiccis pedibus tranſierunt. In eodem Naaman Syrus Eliſæi iuſſu ſepties ſe lauans à Læpra purgatus fuit. In eodem fluuio Chriſti præcurſor Ioannes Baptiſta confluentes ad ſe vndique Iudæos ſua confitentes peccata Baptiſmo luſtrauit. Inter alios vero & ipſe Chriſtus à Ioanne hoc flumine baptizatus, mundiſſimæ carnis ſuæ contactu eius aquas ſanctificauit. Quo facto ipſe primum ſuos diſcipulos, deinde per eos longe plures quam Ioannes ex Iudæis ibidem baptizans, baptiſmum in remiſſionem peccatorum promulgauit. In cuius rei memoriam Chriſtianis peregrinis & accolis ſolenne eſt, vt corpora & veſtimenta ſua in Iordanis aquis abluant. Aiunt tamen aliqui B. Virginem ſolam ex mulieribus à Chriſto baptizatam, Petrum ex hominibus, à Petro reliquos.

Baptiſmi inſtitutio.

B. Virgo ſola ex mulieribus à Chriſto baptizata.

CAPVT XVII.

Ituræa, Galilæa, & Decapolis.

1. ITuræa à filio Iſmaëlis Ithur appellata, duplex eſt, Montana, & Campeſtris, à monte enim Libano, & ſuperiori Iordanis parte ad montes Tyriorum extendebatur. Ariſtobulus primus poſt Babilonicam captiuitatem Iudæorum

Ituræi.

Rex & Pontifex eam ſubiecit, & incolas Iudaicos ritus admittere coëgit. Prius enim homines erant maleficiis & latrociniis, atque omni dedecore infames. In Campeſtri viſus aliquando ſerpens mortuus ingens longitudine, craſſitudine tanta, vt equites ex vtraque parte adſiſtentes alter alterum videre nequiret, rictu eo qui hominem equo inſidentem reciperet, ex cuius exuuiis ſquamma quouis clypeo eſſet maior.

Serpens miræ magnitudini..

Strabo l.16 p. 755.

Galilæa pulcherrima eſt Syriæ regio, Phœniciæ ab hiſtoricis annumerata, à Tyro ad montem Carmelum, ſeu Ptolemaidem ſecundum Mediterraneum extenſa: ab Oriente vero Iordane fluuio definita. Superior dicitur quæ à Cæſarea Philippi ad Capharnaum patet ſecundum Iordanem, & ab vrbe Ptolemaida ad Tyrum: Inferior quæ ſe explicat ſecundum ripam lacus Tyberiadis. Ioſephus in Galilæa ponit 404. opida, vel vicos, in quorum minimo 15. cenſebantur colonorum millia. Chriſtus quia hic educatus ſæpius eam percurrens Galilæis conſueuit, & ipſe Galilæus & ab eo Chriſtiani Galilæi ſunt dicti. Græci eorum quæ ſcripſit Ioſephus de frequentia vrbium Galilææ, vel neſcij, vel Ioſephum habentes ſuſpectum nimij erga patriam affectus à 10. primariis ciuitatibus, quæ Trachonitide, Ituræa & Galilæa continentur, Decapolim appellarunt. Has partes ſorte obtinuerunt Tribus Nephtalim, Azer, & Zabulon, Torrente Ciſone à reliquis diuiſæ. Sane optima fuit regio, fontibus irrigua, frumenti, vini, & olei quam maxime ferax, omniumque generum arboribus conſita.

Galilææ ſitus. Superior. Inferior. Quam frequens vrbibus & incolis. Decapolis. Eius vbertas.

Ioſeph in vita ſua.

CAPVT XVIII.

Loca memoratu digna ad ripam dexteram Iordanis.

1. IN panio monte altiſſimo, & ſaxoſo, parte montis Libani, hiat in immenſum terræ deuexitas, in qua ſpelunca eſt vmbroſa & amœna, ex qua erumpit Iordanis fluuij fons celeberrimus Dan immenſæ profunditatis. Non longe ab eo Herodes ſenior templum poſuit Auguſto Cæſari eo in loco, in quem fontis huius deuoluebantur aquæ, ad quas immolatæ victimæ, aſtu Dæmonis diſparebant, in cœlum, vt credebatur, aſſumptæ, donec ſub Galieno Imperatore Aſterij martyris precibus huiuſmodi ſunt depulſa præſtigia, viſaque ſunt immolata, ex aquis emergere. A Panio monte diſtat itinere horarum 8. Reblata vrbs olim inclyta in

Fontis Dan, mira. Reblata.

Ioſeph. 15. antiq. c. 13. & 1. bel. c. 16. & alibi. *Euſeb. 7. hiſt. Eccl. 13. Niceph. 6. Eccl. hiſt. 14.*

4.Reg.25. in Tribu Nephtalim ad Iordanem ſita aquis Daphnidis riui **Daphnis.**
Ioſeph. 4. bell. & in antiq. proxima loco amœniſſimo lauris conſito; Nabuchodonoſor in ea eruit oculos Sedeciæ. Azoreth gentium, ciuitas Siſaræ **Azoreth.**
Ioſeph. & Hieronym. in eadem tribu ſic dicta à nemore proximo, additurque gentium, quod diuerſæ nationis gentes eam incolerent.

CAPVT XIX.

Mare Galilææ.

1. SIc dicitur ab adiacente prouincia, alio nomine appellatur mare Cenereth, vel Tiberiadis, ab vrbibus ſitis in illius ripa; ſicut & ſtagnum Geneſareth ab ipſa regione quæ etiam terra Geneſar dicebatur. Incolæ nunc vocant Tarabie. Stagnum eſt quia dulces aquas habet & abundat piſcibus omnibus generis. Mare tamen vocatur idiomate Hebræorum qui paulo maiores aquarum collectiones dicunt maria. Qui in hac parte hoc ſæculo ſunt peregrinati, leucas 11. in longum, ſex in latum ipſi aſſignant. Celebris maxime eſt Chriſti Domini nauigatione, prædicatione, & vocatione Apoſtolorum, & quod D. Petrus ambulauerit ſuper illud. **Varia eius nomina.** **Mare apud Hebræos quid ſignificet. amplitudo eius.**

Capharnaum Galilææ gentium metropolis eſt eo ſita loco, vbi Iordanis minor in ſtagnum influit, Siriaca lingua ſignificat villam pulchram, ſeu conſolationis, in ea triennium ferme Chriſtus habitauit, & cum diſcipulis ſuis verſatus eſt, totam viciniam inde Euangelij luce & miraculis colluſtrans, qua gratia cum ciues voluptatibus diffluentes indignos ſe præbuiſſent, in ipſos ſuæ iuſtitiæ contorſit fulmen: & vero in ea vix 10. Maurorum ſuperſunt tuguria. Sequitur in eodem litore Bethzaida ciuitas Galilææ, Petri, Andreæ, & Philippi Apoſtolorum patria, cuius cum nulla fiat mentio in veteri teſtamento, apparet poſterioris fuiſſe æui, ſignificat autem domum venationis vel etiam piſcationis. Porro etſi tunc cenſeretur inter præcipuas Decapoleos vrbes, nec adhortationibus Chriſti Domini proficeret, meruit & hoc audire, væ tibi Bethzaida. Nulla iam in ea domus eſt ſuper; itinere vnius horæ ab ea diſtat. **Capharnaum.** **Bethzaida.**

2. Mons Chriſti Herboſus, floridus, & ſic altus, vt ex eo proſpectus ſit in omnem pene promiſſionis terram. Huc ſolitus Chriſtus Dominus ſe recipere ad orationem. In eo de octo beatitudinibus ad ſuos diſſeruit, ſedens in petra, quæ etiam nunc oſtenditur: hic ex ſuis diſcipulis 12. delegit, quos & Apoſtolos nominauit, ex eoque deſcendens leproſum **Mons Chriſti.**

mundauit, quem ad ſacerdotes dimiſiſſe legimus Matth. 8. Ad radices huius montis è viuo fonte fluuius emanat, qui in tres riuos diuiditur, quorum primus mare Galilææ ſubit medio quaſi ſpatio inter Capharnaum & Bethzaidam. Secundus Bethzaidam alluit: Tertius terram Geneſar irrigat & mare Galilææ ſimiliter ingreditur non longe à Magdalo, Caſtro in Tribu Zabulon, ſic dicto à turribus, & munitionibus, propter quas, cum maxime vellet, non potuit illud expugnare Rex Agrippa, in eo & nata & ſanata fuit Maria hinc dicta Magdalena. Ad illud miſcetur mari fluuiolus, cuius fons eſt in valle ad Auſtum ciuitatis Betuliæ, cuius ciuis fuit famoſa Iudith, quæ Holofernem oppugnantem eam vrbem, cum exercitu peditum 120. millium, equitum 22. mill. obtruncauit.

Magdalum caſtrum.

Betulia.

Tiberias.

3. Sequitur in eodem litore Tiberias vrbs condita in honorem Tiberij Cæſaris ab Herode Antipa, vel ſaltem reſtaurata. Metropolis & terminus Decapoleos & Galilæarum maxima. Helena templum in ea ſtatuit, quo loco Chriſtus quinque hominum millia pauit. Epiſcopali ſede fuit aliquando inſignis. Ager pinguis eſt, abundans oleo, palmis, & vineis. Balnea ſimiliter habet valde calida in parte Auſtrali. Superiori ſæculo licet matrona nobilis eam muro iterum cinxerit, vix tamen octo Maurorum Tuguria numerat, quod Arabum excurſionibus ſit nimium expoſita.

Iordanis emergens e mari Galilææ amplior fit, quam cum illud fuerat ingreſſus propter torrentes, quos admiſit, communiter appellatur Iordanis maior: perlabitur tribum, cui nomen ab Iſſachar filio Iacob ex Lia, ex cuius poſteris ad 64. millia & trecentos in Galilæa optimam & pulcherrimam obtinuerunt regionem in montibus Hermon, & Gelboë, & potiſſimum vallem Ieſraël, latam duobus milliaribus, in qua campus magnus dictus Mageddo, & Eſdrelon, in quo Ioſias à ſagittariis tranſuerberatus, Siſara à Baraco profligatus, habiti conflictus maximi à Gedeone contra Madianitas, à Saule contra Philiſtæos, & ab Achabo contra Syros.

Tribus Iſſachar.

Montes Hermon & Gelboë.

Mageddo & Eſdrelon.

Mons Carmelus.

4. Firmat eius maritimam mons Carmelus herbis odoriferis conſitus, in quo veræ religionis Elias Propheta cum Sacerdotibus Baal periculum fecit magno eorum diſpendio. Firmat & caſtrum peregrinorum à Chriſtianis victoribus excitatum, in petra ſeu maris inſula. Vrbes præcipui nominis ad Iordanem fuerunt Scythopolis ſeu Bethſan vrbs Decapoleos maxima, à Scythis olim vel condita, vel reſtaurata, cum priſtinos incolas non potuerint expellere Iſraëlitæ,

Caſtrum peregrinorum.

in

Digitized by Google

in huius muro ſuſpenderunt Philiſtæi cadauera Saul & filiorum. Sita eſt in paludibus medio milliario à Iordane, nobilem fuiſſe vrbem oſtendunt rudera. Parum ab ea diſtat vrbs Salem, quam Rabinorum aliqui exiſtimant fuiſſe ſedem Regis Melchiſedech. Salem.

5. Tribum Iſachar excipit dimidia tribus Manaſſe, quæ nullum habuit locum celebrem ad Iordanem præter eum qui vocatur Ennon, in quo traditur Diuus Ioannes aquis luſtralibus Iudæos initiaſſe. Verum ad Mediterraneum duas vrbes habuit totius oræ præſtantiſſimas nempe Cæſaream Paleſtinæ, quam Herodes totam ex marmore extruxit, portumque effodit Sebaſtem in honorem Auguſti, cui & turrim Druſum dictam appoſuit ante portum, vt vere Cæſarea nominaretur; antea turris Stratonis erat, poſteaque Flauia colonia in honorem Iudæorum domitoris. Circum portum ædes erant continuata ſerie marmore polito extructæ. Ædificauit & Theatrum, & Amphitheatrum, ex quo late perſpectus erat in maria. Sunt & ludi quinquennales hîc inſtituti & Auguſto dicati, in quibus cum Herodes Agrippa quinquennalia celebraret, nec adulatores compeſceret qui ipſum, vt Deum ſalutabant, ab Angelo percuſſus interiit. Hîc biennio in vinculis detentus Paulus Cæſarem appellauit. Quando Balduinus eam ſibi ſubiecit carebat portu, cingitur nunc ab Oriente palude dulci & profunda, in qua multi crocodili. Inter Caſtrum peregrinorum & Cæſaream fuit Dor vrbs maritima, cuius priſtinos habitatores non potuerunt expellere filij Iſraël. Fuit & in fine huius tribus elegantiſſima ciuitas Antipatris ſeu Antipatrida, ab Herode in honorem patris inſtaurata, relicto priori nomine Capharſalama.

Tribus Manaſſe. Cæſarea Paleſtinæ. Pharus Druſiana. Amphitheatrum. Ludi quinquennales. Herodis Agrippæ mors. Crocodili. Dor. Antipatris.

6. Hinc abit Iordanis in Tribum Ephraim, cuius poſteri cenſebantur 32. millia & quingenti, qui terram ſortiti ſunt montoſam quidem, ſed fertiliſſimam ſecundum Iordanem per leucas vndecim ab vrbe Taphna, quam expugnauit Ioſue Rege illius interfecto ad vallem, arundinum copia celebrem & torrentem Carith vbi manſit Elias tempore ſiccitatis, quando corui afferebant ei quotidie panem & carnes mane & veſpere, bibebatque de torrente eo loci, in quo Helena Eccleſiam erexit. Secundum vero litus maris Mediterranei excurrebat per leucas horarias circiter 8. ab Antipatrida ad Ioppe nunc Iapha. Quo toto ſpatio extendit ſe regio campeſtris Sarona, ſaginandis pecoribus per quam apta, ſic dicta ab vrbe Saron, quam cepit Ioſue, Rege illius inter-

Tribus Ephraim. *Ex Ioſepho in Hieron.* Sarona.

fecto. Supra eam vrbem per 9. circiter leucas ſe extendebant montes Ephraim frequentes habitatoribus.

Montes Ephraim. Samaria.

7. In Mediterraneis fuerunt montes Samariæ, ipſaque Samaria Metropolis 10. tribuum regni Iſraël, ædificata ab Amri Rege Iſraël in vertice montis Femeron in modum coronæ admirabili ædificiorum ſuperbia, ex quibus gratiſſimæ res ſub aſpectum veniunt ipſumque etiam mare Mediterraneum. Sæpius vaſtata fuit & exciſa. Herodes Antipatri filius cum eam inſtauraſſet, in eius medio Templum ornatiſſimum Auguſto Cæſari dedicauit, ciuitate ipſa ab eodem denominata Sebaſte. Non eſt alia vrbs Palæſtina quæ ruinas oſtentet æque memorabiles. In ea ſepulti Eliſæus, Abdias, & Ioannes Baptiſta, In huius honorem eſt ædificata Eccleſia cum tumulo marmoreo facto ad inſtar ſepulcri Domini. Cum Paula ad hæc ſepulcra perueniſſet intremuit, inquit S. Hieronymus, namque cernebat variis Dæmones rugire cruciatibus, & ante ſepulcra ſanctorum vlulare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere Leonum, ſibilare ſerpentum, mugire taurorum, alios rotare caput, & poſt tergum terram vertice tangere; ſuſpenſiſque pede fœminis, veſtes defluere in faciem. Qui hic præeſt Sangiachbey Turci nomine, primus eſt omnium qui in Palæſtina degunt poſt Hieroſolymitanum Bacha. Duabus leucis ab ea iuxta viam quæ ducit Sichem indeque Ieruſalem eſt mons Bethel, in quo Ieroboan poſuit vnum de vitulis aureis, quibus peccare fecit Iſraël. Eſt etiam mons Goas in Toparchia Tamnitica, vbi ſepulcrum Ioſue & torrens qui hinc lapſus Dioſpolim alluit & inter ſcopulos labitur in Mediterraneum. Quæ autem fuit Dioſpolis, ſeu Iouis ciuitas exuſta à Ceſtio Romani exercitus duce, nunc appellatur San-Georgius, quod eo in loco fuerit plexus capite propter Chriſtum, & in eius honorem Iuſtinianus Eccleſiam, & iuſtum ſepulcrale ædificarit propenſi erga eum ſingularis affectus monimentum.

Sebaſte cur dicta. Ioannis Baptiſtæ ſepulcrum. Energumeni. *Hieron. in epiſt. Paulæ, & in Abdia.* Mons Bethel. Toparchia Tamnitica. S. Georgius vbi plexus capite.

8. In his partibus à Torrente Ciſone ad Ioppem per leucas circiter 20. ſecundum oram maris, nec non Samariæ & in inferiori Galilæa nunc rerum potitur Emir Tarabeus, qui æris 20. millia ſupra centum putatur habere annui reditus, ex quibus 24. millia pendit Turcorum Imperatori: viuit more Arabum in tentoriis nec vnquam vrbes ingreditur, vnde fit vt non facile poſſit intercipi: ſemper enim habet in finibus milites in excubiis, qui renuncient quæ geruntur. Si hoſtibus eſt inferior, omnia ſua camelis impoſita transfert in

Emiris Tarabe potentia & ditio.

Digitized by Google

in Arabiam, perſequentes fame enecat. Subditorum plerique ſunt Arabes, quorum poteſt pauco tempore 4. millia cogere, præter 400. equites quos ſemper habet in comitatu. Ad auſtrum proxime adiacet Tribus Dan, in qua cenſebantur 64. millia & quadringenti, quando aſſignatus ipſi ager ſecundum litus Mediterranei maris excurrens per leucas horarias circiter 17. ab vrbe Iapha ad torrentem Sorec ſeu vrbem Aſcalonem. In Orientem verò per leucas circiter 10. ſcilicet à littore maris ad montana Iudææ. Tribus Dan.

Ioppé, Hebraicè Iapho, hodie Iapha vrbs antiquiſſima à Iaphet filio Noë, vt putatur, ante diluuium condita ad mare in Promontorio ſaxoſo, ex quo Ieroſolyma poteſt conſpici. Ad hunc portum ligna & lapides pro Templi ſtructura ratibus, indeque curribus Ieroſolymam transferebantur; hîc Ionas nauem intrauit: Eum munierunt Machabæi: Hic D. Petrus Tabitam ſuſcitauit, & hoſpitatus eſt apud Simonem Coriarium in domo, ſita ad mare ſub rupe vbi & reperit viros à Cornelio Centurione miſſos. Sola nunc ſuper ſunt rudera in quibus pernoctare coguntur qui huc appellunt peregrini, tantum enim ſtant duæ turres in quibus Mauri 4. vel 5. habitant conſtituti à Bacha Gazenſi, vt cuſtodiant portum qui ſane difficillimus eſt, & in quo tantum æſtate non item hyeme poſſunt naues in anchoris ſtare. Ab ea itinere duarum horarum fuit Caſpin ciuitas munita, quam cepit Iudas Machabæus, & tot eius habitatores occidit, vt adiacens ſtagnum duorum ſtadiorum ſanguine interfectorum videretur fluere. Nouem ſtadiis ab ea aliqui ponunt Iamniam Philiſtæorum maritimam ciuitatem, cuius portum Iudas Machabæus ſuccendit tanto incendio, vt Hieroſolymis notum eſſet. Cui proxima fuit Ioppe vrbs ex qua deinceps litus quod ab Ægypto porrigebatur, manifeſte in Septentrionem flectitur, quod ante extendebatur ab occaſu in Orientem, vt diſertè obſeruat Strabo. Iapha vrbs & portus antiquiſſimus. Ionas vbi nauem conſcendit. Caſpin. Iamnia. Ioppe.

Occurrit poſtea fluuius Philiſtæis dictus torrens, ortus ex montanis Iudææ, fluens per vallem Terebinthi in qua Goliathum Gigantem proſtrauit puer Dauid funda & lapide, quem ex hoc torrente ſelegerat. Fons eius non longe ab vrbe Saraa ex qua oriundus Sampſon. Inde abit Modin ciuitatem in monte ſitam ex qua orti ſunt Machabæi principes fortiſſimi, quo loci eorum ſepultura oſtenditur ex marmore polito & candido cum ſeptem pyramidibus etiam marmoreis quæ adeo ſunt altæ, vt nauigantibus de mari ſint conſpicuæ. Torrens fluuius. Sepulcrum Machabæorum.

Digitized by Google

Philiſtinorum vrbes inclytę Geth ex qua fuit Goliathus. Bethſames.

9. Fluuio torrenti proxima vrbs regia Geth ſita in colle vna è 5. præcipuis Philiſtinorum, immanium Gigantum alumna; ciuis eius creditur Goliath. nec procul Bethſames, dum arca reducitur, in curioſis incolis mulctata grauiter. Sequuntur in eadem maritima inclytæ Philiſtinorum Accaron & Azotus, vbi Gigantes filij Enachin, Dagon Idolum celebre, quod piſcis caput habuit, cuius templum incendit Ionathas Machabæus: duabus circiter leucis poſt Azotum abit in mare Torrens Soreth ortus in valle Botri, ex qua exſciderunt botrum miræ magnitudinis exploratores, miſſi à Moyſe, quæ enim ſunt ad hunc torrentem, vineæ erant electæ nec vuæ vllum habebant acinum, ſed reddebant vinum delicatum & optimi odoris, coloris, & ſaporis, ad eum habitauit Dalila à Samſone adamata. Has quinque Philiſteorum præfecturas cum parte Iudææ nunc obtinet iure hereditario à plurimis annis Bacha Gazenſis qui reſidet, vt plurimum Gazæ, vbi 200. equites habet in ſtipendiis, totidemque alios per prouinciam diſtributos: vt Arabum incurſionibus reſiſtat. Trecenta æris millia reficit quotannis ex prædiis, ex quibus 60. millia Turcorum Imperatori numerat pro annuo tributo. Simeonis familiæ aſſignata terra totius Palæſtinæ maxime auſtralis, deſerto & Mediterraneo mari contigua 12. leucas longa, 9. lata.

Accaron. Azotus. Dagon Idolum. Soreth torrens. Vuæ ſine acino. Vinum Botri optimi odoris, coloris, & ſaporis. Bacha Gazenſis Princeps hereditarius. Simeonis Tribus.

Aſcalon.

Præcipuæ vrbes ad mare fuerunt Aſcalon vna è quinque præfecturis, quas vocant Satrapias Philiſtæorum ſæpe diruta, ſæpe reſtituta. Natus in ea Herodes infantidicida, qui palatium nobile in ea ædificauit. Hinc poſt leucas horarias quinque, verſus auſtrum habes Gazam celebrem Philiſtinorum ciuitatem Ægypto proximam, vbi Samſon multis millibus Philiſtæorum fani ruina oppreſſis occubuit: temporibus Machabæorum Ioſephi, & D. Hieronymi maxime floruit, ſita eſt in via quæ ducit in Ægyptum, eſtque ab ea vſque ad deſertum arenoſum ampla planicies.

Gaza.

Maioma.

Maioma emporium & portus Gazæ diſtat ab ea 20. ſtadiis. Conſtantinus ei tribuit ius ciuitatis, quod ciues haberet Chriſtianos, ſed imperante Iuliano Apoſtata Gazæis rurſum ſubiecta Gaza maritima nuncupata eſt. Ad Maiomam influit in Mediterraneum Beſor torrens, cuius origo in montibus Seir. Diuidit Idumæam inferiorem, quæ & Philiſtæa, & Palæſtina dicitur, ab Idumæa ſuperiori quæ Amalecitis appellatur.

Beſor torrens.

Dabir.

Ad eum ſunt vrbes Dabir prius dicta Cariath-ſepher hoc eſt ciuitas literarum, quod eſſet Academia Paleſtinæ, Regem

Digitized by Google

gem eius occidit Ioſue, vrbem expugnauit Othoniel.

Gerara vrbs regia & Metropolis Palæſtinæ, terminus olim Chananæorum ad plagam auſtralem, in qua fuit etiam peregrinatus Abraham, & Iſaac. Gerara.

Berſabee vero terminus terræ Iſraëlis, Hieronymi tempore fuit grandis vicus, in quo poſitum præſidium Romanorum militum: & Chriſtianorum temporibus tradita fratribus domus hoſpitalis, quæ eſt Hieroſolymis cuſtodienda. Ptolomæo Berzana dicta videtur. Berſabee.

CAPVT XX.

Berſabee ſolitudo, ſeu mare ſabuloſum.

1. Ampla regio aquarum egens, ſolis aduſta ardoribus quam mare ſabuloſum aliqui appellant quod inſtar maris arena tumeſcat in fluctus, & ventis nunc huc nunc illuc diffluat, ſubitoque in altiſſimos ſæpe montes erigatur, vnde ſemper cum pixide & pagina nautica, attendendo ad ſtellas incedendum eſt, quod ſæpe alter alterum non videt interuallo 10. paſſuum, frequenter etiam peregrini vehuntur Camelis, incluſi ligneis caueis. Hâc cum duxiſſet exercitum Auguſtus, Herodi ſe ſuoſque debuit incolumes, quod de aquarum copia, & reliquis ad vitam neceſſariis, abunde proſpexiſſet; ſemper hic ſiti exanimantur complures, alij intereunt ob hauſtos poſtea plus iuſto latices. In litore maris fuit Anthedon vrbs Idumeæ, quam Alexander Ianneus expugnauit & Herodes Agrippiadem nominauit. Diſtabat ab ea Tribus leucis cella Hilarionis, in qua 47. annis vixit, ſita inter mare & paludem in ſolitudine vaſta & latrociniis cruenta. Denique fuit Rhinocorura olim vrbs Ægypti, poſtea Iudæorum ad oſtium torrentis ſeu fluuij Ægypti.

Ludouici. Romanus Patric. nauigationis l. 1. c. 14.

Mare ſabuloſum. Anthedon. Hilarionis cella.

Tribubus Dan & Simeonis ad ortum ſuccedit ea quæ nomen obtinuit à Iuda filio Iacob. Mirum autem videtur, quod cum pateret in longum non plus 20. leucis, & 10. in latum, cenſita tamen in ea aliquando 500. millia bellatorum. Ex hac Tribu Dauid, Salomon, aliique Reges Iuda, ipſeque Chriſtus orti. Cæterum quia poſt Salomonis mortem, decem Tribus Iſraël defecerunt à Roboam filio Salomonis, ad Ieroboam ſeruum eius, exinde duæ Tribus Iuda ſcilicet & Benjamin, quæ Dauidis familiæ adhæſerunt, nunc domus Dauid nunc Regnum Iuda & Ieruſalem nuncupantur: ſicut reliquæ decem Tribus quæ à Religione defecerant ad cul-

Tribus Iuda. Quam numeroſa. Regnum Iudæ, ſeu Ieruſalem.

Regnum Iſrael ſeu Samariæ. tum Idolorum regnum Iſraël, domus Iacob, & Ioſeph, & regnum Samariæ appellatum eſt.

2. Prætermiſſis innumeris, quæ videntur magis propria Corographorum aut Interpretum Sacræ ſcripturæ, præcipua tantum hic notabimus; & primo quidem Emauntem, vbi Chriſtus panem frangens à diſcipulis eſt agnitus, quæ terræ motu tota corruit poſtea; Hebrontem vbi Dauid primum regnauit; ſpeluncam Adæ, in qua viſitur lectus eius ſaxeus habens in longum 30. pedes, nec procul inde eſt terra rubra mire tractabilis, cuius quantum detraxeris, tantum reparat natura ſoli. Nec prætermittenda Bethleem Dauidis quidem patria, ſed quæ nullo ſe iactare debet alumno quam Chriſto Domino; perſeuerat hactenus religio loci, nec Adrianus Adonidis ſubſtituta Icone pietatem extinxit. Engaddi adiacet mari mortuo balſamis & cannis melleis inclytus ager, cuius frutices, procurante Cleopatra, in Ægyptum tranſlati, Indeque Mecham in Arabia. Inter naturæ miracula cenſeri poeſt mare iſtud, mortuum dictum, quod in eo nihil viuat ob aquæ torporem, aliter falſum, ſolitudinis, Sodomiticum, lacus Aſphaltites ſeu Bituminis, quondam amœna regio & ipſi paradiſo comparata. Vbi vrbes Sodoma, & Gomorrha, Abana, Seboim & Segor imbre ſulphureo ob nefandam libidinem crematæ ſunt, quinta tamen ſuperfuit in litore, Dei ſuplicium teſtatur ſqualLor ad leucas aliquot quaquauerſum, arborum fructus, qui contactu cinereſcunt, immanis fœtor ex lacu erumpens, & aqua grauis adeo vt ferrum & lapides ſuſtineat. Ioſephus ait eum longum ſtadiis 80. latum 150. In hunc lacum defluit Iordanis & ex eo conatur erumpere, ſed vix exit, cum ſorbetur hiatu terræ, qui vt ſentiunt Saraceni occulto meatu deſinit in ſinum Arabicum.

Emaus. Hebron. Spelunca Adæ. Lectus Adæ 30. pedes longus. Terrę rubra renaſcens. Bethleem. Engaddi Balſama. Mare mortuum.

CAPVT XXI.

Tribus Benjamin ad hoſtium Iordanis ſita.

1. TRibui Iudæ ad Septentrionem ſuccedit Ager Tribui Benjamin aſſignatus, qui longus fuit leucas nouem ab vrbe Ieruſalem ad Iordanem: latus vix octo ſecundum Iordanem à valle arundineti ad oſtium Iordanis in mare mortuum; & partem torrentis Cedron. Per vallem arundineti labitur torrens Carith, cuius origo ex Phaſelo monte Tribus Ephraim, vbi eſt etiam opidum ab Herode ſeniore conſtructum, in honorem Phaſeli fratris à Parthis necati.

Phaſelum oppidum.

Quarto

Digitized by Google

Quarto circiter ab eo torrente milliari occurrit locus ille
celebris quo Iſraëlitæ tranſmiſerunt per Iordanem in terram
promiſſionis, vbi & 12. lapides de fundo ſublatos ſtatuerunt
in loco qui dicitur Galgala, vbi deficiente Manna, primum Galgala.
in Chananæa celebratum Paſcha: diſtat à Iordane 50. ſtadiis.
Sequitur oſtium Carith fluuij celeberrimi, qui è fonte Eli-
ſæi ſcaturit è pede montis Quarentanæ, cuius etiam aquas
iniecto ſale fecit ſaluberrimas idem Eliſæus cùm prius eſſent
amaræ. Archelaus Herodis filius hinc plures duxit riuos ad
irrigationem cannarum mellis, & hortorum Ierico. Prope
hunc fontem creſcunt arbores inſtar prunorum, in quibus
flores naſcuntur quos roſas Hiericuntinas vulgus appellat, Hierechontis horti & roſæ.
quæ licet aridæ, nocte tamen natalis Chriſti recluduntur.
His riuis, ſeu torrentibus, & Iordane continentur campeſtria Campeſtria Ierico.
Ierico ad inſtar inſulæ, lata 10. milliaribus, longa 20. in quibus
captus Sedecias à Chaldæorum exercitu.

2. Quarentana mons eſt altus & aſcenſu difficilis, in quo Quarentana mons.
primum à Satana Chriſtum tentatum eſſe ferunt, in eius ca-
cumine excitatum ſacellum in loco qui ieiunio & oratione
Chriſti venerabilis eſt, hic etiam deſertum eiuſdem nomi-
nis, in quo Ioannes Baptiſta venientem Chriſtum digito
demonſtrauit. A Quarentana duobus milliaribus diſtat
mons Diaboli eſtque à latere Bethel, in eum aſportatus à Mons Diaboli.
Satana Chriſtus cum adpromiſit illi omnia terræ regna. Be-
thel montes ſunt gramine & herbis aromaticis pleni, arbo- Bethel montes.
ribuſque conſiti, in quibus multi cerui, capræ, hinnuli. Fuit
& vrbs in eodem monte ſita à Ioſue expugnata: locuſque
non minus celebris Angelorum apparitione facta Iacobo,
qui per ſchalam aſcendebant, & deſcendebant, quàm infa-
mis vitulo aureo, quem Ieroboam in hoc monte propoſuit
Iſraëlitis adorandum. Ex hac eadem Tribu Torrens Cedron Torrens Cedron.
in mare mortuum abit inter Segor & montem Engaddi, hu-
ius aquæ colliguntur è montibus circa Ieruſalem poſitis,
fluitque per vallem Ioſaphat latam & profundam, mediam
inter Ieruſalem & Oliuarum montem, palmis, pinis, myrtis, Montis Oliuarum altitudo.
& oliuis conſitum, tantæ altitudinis, vt ex eius vertice & pla-
teæ Ieruſalem omnes, & mare mortuum poſſet conſpici. In
hoc monte Dauid nudis pedibus Deum adorauit, Abſalo-
nem fugiens: Salomon Idolo Sidoniorum Aſtaroth fanum
erexit è regione Templi Hieroſolymitani. Hunc Chriſtus
orationis gratia frequentauit. Inde aſcendit in cœlum facie
(vt ex pedum veſtigiis petroſo monti inſtar ceræ impreſſis
colligitur) ad occidentem ſpectans cum B. Helena in eo lo-

Digitized by Google

co templum poſuiſſet, nunquam is potuit tegi locus, quo Dominus in cœlum aſcenderat. Sunt qui exiſtimant Antichriſtum hîc ope Dæmonum ſublimem in aëra eleuandum & ſpiritu oris Chriſti percutiendum, Dominumque iterum huc venturum, vt mortales omnes in fine ſæculorum iudicet.

CAPVT XXII.

Templum Hieroſolymitanum miraculorum orbis maximum.

1. DE Hieroſolyma nunc eſſet dicendi locus: Abſtinebo tamen, mihique abunde erit ſi de ea dixerim duo. Primum quidem Ieſum Chriſtum Dei filium è Virgine Maria natum, Tiberio imperante: pro reparanda generis humani ſalute voluntarias crucis ſupplicio pœnas hic luiſſe Martij 23. Tertio exinde à mortuis die conſurrexiſſe & quadrageſimo quam reuixerat ſub Diſcipulorum oculis in cœlum conſcendiſſe. Secundo paucis referam ad certa quædam capita quæ in templo Hieroſolymitano miraculorum orbis maximo exiſtimaui digniora memoratu.

CAPVT XXIII.

Templi apparatus.

1. CVm Dauid Domino Deo vellet domum ædificare, viciſſim ſe ei domum & familiam perpetuam ædificaturum pollicitus eſt Deus. Præterea vt ſignificaret quam ſibi fuiſſet gratus animus & voluntas Dauidis, exemplar futuræ fabricæ ipſi tradidit, tabula, lapide, vel membrana deformatum, conſtans veſtigio, & tota ædificij orthographia, (*Paratus.*) cum ſcripta ſingulorum explicatione. In eam rem Dauid metalli omnis generis parauit tantam vim, vt eius ſumma ad (*Impenſa.*) æris gallici valorem, reuocata, inueniantur à Dauide præparati & congeſti bis mille ſeptingenti quadraginta quinque milliones ſupra quinquaginta aureorum millia, cum ſexcentis & quinquaginta. Salomon præterea filius eius nauigationem inſtituit in Ophyr qui ſingulis annis milliones quinque, vt minimum referebant. Operariorum etiam pa- (*Artifices.*) ratus numerus; inuentique 150. millia & tria millia ſexcenti. Præterea ſicut olim fecerat in tabernaculo de artificibus ad formanda ingenioſe omnia quæ præſcripta erant, ſic etiam tunc prouiſit.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXIV.

Duo Miracula, Templi fundamentum & eius ſubſtructio, ad perybolum, quo cingebatur area.

1. IActum eſt in excelſo monte Moria, cincto vndique vallibus, quæ in immenſum ſic dehiſcebant, vt intuentium oculi calligarent, & quia planicies, quæ erat in ſummo non erat ſatis ampla, vt fundamẽtum futuri Templi caperet, dilatãdus fuit vertex, vt fieret area quadrata cuius quodlibet latus, ſeu facies eſſet longa 130. calamos hoc eſt 1000. circiter pedes, quoniam calamus conſtabat 6. cubitis & palmo.

Fuerunt ergo in eum finem excitandæ ſubſtructiones altæ quibuſdam in locis 300. cubitos, in aliis 400. quarum craſſitudo fuit 50. cubitorum & muro coædificati anterides, excurrentes in imo extra murum 100. cubitos, qui paulatim aſcendentes ſic conſumebantur, vt ſola muri craſſitudo maneret in ſummo ædificij veſtigio. Subſtructiones miræ altitudinis & latitudinis.

Huic fortiſſimo muro factâ retractione medij calami impoſitus eſt peribolus, conſtans alternatim diſpoſitis cancellis & ſtyllobatis marmoreis vnius calami, & huiuſmodi ſtylobatis cubicis appoſitæ ſphæræ. Peribolus.

CAPVT XXV.

Tria Miracula, Ordinatio ſeu deſcriptio membrorum, & partium, quibus conſtabat ædificium.

1. SVperandi primum fuerunt permulti gradus ſubſtructionis, in quibus in ſolemnioribus pompis, Leuitæ, cantica graduum decantabant. Erant quadruplices in Occidentali facie pro totidem portis, quæ patebant in perybolo. Gradus quadruplices.

Poſt perybolum ſpatium erat circumquaque ſex calamorum, hæc via ducebat ad porticum gentium quæ longa erat per ſingulas ædificij facies 110. calamis, lata 50. cubitis. Excipiebantur in ea gentiles, ſolæque ab eo excludebantur mulieres menſtruis laborantes, quibus omnibus non licebat vlterius penetrare. Hæc porticus murum habuit verſus perybolum craſſum calamum vnum, altum 25. cubitis per interualla duorum calamorum, ſemicolumnis vno cubito à muro extantibus ornabatur, foris autem paraſtadis, ſiue antis 1. Ærea 6. calamorum. Porticus Gentium longa 110. calamos. Lata 50. cubitos.

Digitized by Google

eiuſdem proiecturæ. inter columnia geminis ad perpendiculum feneſtris decuſſato cãcello diſtinguebantur. Huic muro tres columnarum ordines deinceps appoſiti erant, quæ à muro & à ſe inuicem duobus calamis diſtabant. Singularum columnarum diameter erat duorum cubitorum, & conſequenter fuit perimeter nouem pedum, altitudo vero vltra ſtyllobatas 20. cubitorum. In ſingulis lateribus columnæ erant 65. in vniuerſum 660. capitulis ſculptis opere Corinthio pulchris vſque ad miraculum. Super has columnas, & murum iniectæ erant trabes & tigilla & aſſeres, vt fieret contignatio, quæ ab inferiore parte magnificis laquearibus ornabatur, & ſculpturarum variarum figura; à ſuperiore autem parte æneis laminis conſtrata erat ad pluuiam innoxie accipiendam. Ad hanc contignationem ſingulis cochleis ex quaternis angulis aſcendebatur. Huic tabulato impoſita fuit alia porticus alta cubitis 18. cum 3. quadrantibus vt ſic tota porticus cum podio ad 50. cubitos attolleretur. Hæc autem ſuperior nudis vtrinque conſtabat columnis quæ hinc inferioribus paraſtadibus inde ſubiectis columnis recta, & ad perpendiculum innitebantur. Columnis iſtis ſuperioribus nullus erat interiectus paries, vt facilius à longe atrium Iſraëlitarum cerni poſſet. Sed peribolus quidam qui & podij columnarum inſtar erat. Columnis trabeatio impoſita erat, & contignatio ſubiectæ forma ſimilis, ſed mole minor. Accedebant in omnibus tectis vaſa quædam elegantis formæ & prætioſæ materiæ cum floribus acuminatis ad arcendas auiculas. Viris primariis aperiebantur portæ, quibus & Templum & ornamenta reliqui templi intuebantur. Sequebatur Iſraëlitarum atrium & ante ipſum area 7. circiter calamorum. Vocatur etiam atrium ſanctum, quia ſolis Iſraëlitis, qui legitima obſeruabant, patebat aditus, gentibus autem ſub pœna capitis interdicebatur. Fuit autem grandis baſilica, ſeu quadriporticus, cuius ſingulæ facies erant 500. cubitorum. Lata 50. cubitis. Atrio gentium in pluribus erat ſimilis, differebat vero, quod murus exterior rotundus habuit ſemicolumnas, interior vero contexebatur arcuum pilis longis in ſuo veſtigio calamum vnum; medium diſtinguebatur duobus ordinibus columnarum, ſicque tria erant ambulacra longiſſima. Secunda contignatio erigebatur ad 40. cubitos, tertia ad 60. In ſecundo & tertio tabulato erant Gazophilacia ſtrata tabulis cedrinis, aſſeruandis theſauris idonea, & cubicula lata calamos duos, longa totidem. Et via ante cubila protendebatur eiuſdem cum cubiculis latitudinis.

Tres in ea columnarũ ordines diametri 2. cubitorum.

Columnæ 660.

Stratum laminis ęneis.

Columnæ ſuperioris atrij.

Vaſa & flores tectis impoſita.

Atrium Iſraëlitarum.

Qualibet eius facies 500. cubitorum lata 50.

Tres habuit contignationes.

Gazophilacia.

Cubicula.

Digitized by Google

nis. Præterea in angulis, & ſuper omnes portas erigebatur quartus ordo, qui ſedecim quaſi caſtella efficiebat ita diſpoſita, vt ſingulæ areæ his ornarentur, & tutamen acciperent, quarum omnium celſitudo ad 90. cubitos aſſurgebat. Singulis præterea feneſtris ſua inerant ornamenta ſertis, & Corymbis inſignes. Trabeationis etiam ſumma erat pulchritudo. Tam porticus autem, quam areæ pauimenta conſtabant pretioſiſſimis lapidibus variorum colorum, vt porchireticis & ſmaragdinis.

Caſtella. Ad 90. cubitos alta. Pauimenta.

Rurſus area porticu Iſraëlitarum circumcluſa diſtinguebatur 2. porticibus ab ortu in occaſum recta tendentibus & æque diſtantibus, quæ erant latæ ſingulæ 50. cubitis, longæ 400. & ſecundo diuidebatur 2. aliis porticibus à Septentrione in Meridiem, ſicque magna illa area Iſraëlitarum diſtinguebatur areis nouem, quæ erant ſub dio, ſi excipias eam in qua fuit oraculum. Cingebant autem eas illæ tranſuerſales porticus proxime deſcriptæ, variis vſibus deputatæ, nam ad latus Septentrionale Templi ſancta erant refectoria, ad Orientem cantorum habitatio, & exedræ. Duæ extremæ ſacerdotibus, vna ad cuſtodiam templi alia ad cuſtodiam altaris. Præterea circa atrium leuiticum erat ſeniorum conſilium, & ad Septentrionalem porticum cubicula ſanctarum Virginum.

Area interior in minores areas 9. diuiſa quæ diſtinguebantur aliis Leuitarum.

Media area 100. cubitos longa & lata appellatur atrium interius, ſiue Leuiticum, eratque ſub dio, vt omnes circumquaque porticus vacarent periculo quod ipſis immineret ab igne perpetuo, centrum huius atrij imo & totius templi occupabat altare quod quantumuis eſſet æneum, pependit tamen pluſquam viginti talentorum millia, id eſt duos milliones & quingenta millia. 20. cubitorum erat per ſingula latera, altum 10. fuit & mare Æneum fuſile, cuius per tranſuerſum dimetiens, à labio ad labium, erat 10. cubitorum, circuitus 30. altitudo 5. craſſitudo 4. digitorum, quæ loco baſis impoſita erat dorſis 12. boum ſolidorum; ſub ipſis autem boum pedibus erat pollubrum, in quod aqua per canales è mari deriuabatur boum ori immiſſos, vt ſacerdotes pedes, manuſque abluerent. Erant & Luteres ænei 10. cum ſuis baſibus, qui, & labra, & conchæ, & pelues, & lebetes ſunt vocati, vel ab ipſo lauandi vſu, vel à fine, vel à forma. Huiuſmodi vaſa ſtriata erant & recuruo ſeu repando labio ſicut & mare; harum concharum diameter erat 4. cubitorum. Mundicies autem hic fuit vbique maxima, quantumuis huc adducerentur diebus ſolennibus multæ pecudum myriades ad ſacrificium; nam aquæ erat indeficiens collectio, quibus

Altare holocauſtorū. Mare Æneum. Luteres.

ſanguis detergebatur, quæ omnes per innumerabiles ex omni parte tubos in probaticam piſcinam ad radices montis Moria poſitam defluebant.

Ad Occidentem atrij interioris, ſiue Leuitici, in quo erat altare, fuit alia area 150. cubitos longa, lata 100. in qua fuit Baſilica proprio nomine dicta ſancta, & Templum, quod in parte ſua extrema complectebatur oraculum, ſeu Sancta Sanctorum.

Baſilica ſancta.

Hæc Baſilica habebat in longitudine 60. cubitos, in latitudine 20. & 30. in altitudine interiori, in exteriori vero 50. nam Paraſtades quæ totum Templum cingebant cum ſuis baſibus & capitellis vſque ad 40. cubitos erigebantur, & iis vndique trabeatio decem alta cubitos imponebatur. Paries quo cingebatur hoc templum duplex fuit, interior latus 6. cubitos cum palmo, exterior 5. Inter eos erat triplex cubiculorum ordo, omnino 40. altæ calamum vnum, & palmum, latæ cubitos 4. Geminas quodlibet habebat feneſtras. Alteram in muro exteriori, qua lumen accipiebat, alteram in interiori, qua cubila 24. quæ imminebant oraculo, in quibus pretioſiſſima templi ſupellex aſſeruabatur, tanquam in armario: In aliis vero cubiculis 18. apertæ erant feneſtræ, quibus intuebantur in templum Sacerdotes, & alij, qui vacabant orationi, quibus temporibus templum ingredi fas non erat. Diſtabant ab inuicem hæc cubicula octo cubitis, & in medio erat ianua per quam aditus patebat in proximum cubiculum. In veſtibulo erant cocleæ geminæ ad adeunda prima cubicula.

Duplex in ea murus, & triplex cubiculorum ordo.

Porro cum hic triplex cubiculorum ordo (quem aliqui vocant interiorem domum) non vltra viginti cubitorum altitudinem erigeretur, 10. ſequentes cubiti feneſtris deputabantur altitudinis quinque cubitorum, latitudinis 3 quibus omne Templum præter oraculum lumen recipiebat.

Porticus ſeu veſtibulum templi.

Ante frontem Templi porticus erat alta 120. cubitos, quæ ab imo ſurgebat triplici ordine columnarum. In imo autem veſtibuli portam habebat maximam 14. cubitorum ad quam octo gradibus aſcendebatur, & columnas vtrinque geminas 18. cubitorum quæ erant æneæ cum feneſtris, & ex vtroque latere item portam cum ſingulis ad latera ſingula columnis: ita etiam in ſecundo & tertio ordine par omnino numerus non portarum, ſed feneſtrarum cum ſingulis ad latera ſingula columnis, omnibus tamen debita proportione diminutis.

Poſtrema Templi huius pars, Domus propitiationis, ſeu templum

Digitized by Google

templum interius vocabatur, quod in ea contineretur Sancta Sanctorum, ex quo Deus loqui, & fundere oracula conſueuerat, ſeparabaturque tantum à ſancta Baſilica, muro latitudinis duorum cubitorum & ſemicis, in cuius medio pariete porta erat 6. cubitorum. Auguſtiſſimi autem huius loci dimenſio fuit 20. cubitos longitudinis, totidem latitudinis, & altitudinis, vt arca fœderis, in omnium parietum æquidiſtantia collocaretur. Supra altitudinem 20. cubitorum fornix erigebatur cedrina, cælum, vt poterat imitata, cuius celſitudo 10. cubitos attollebatur, quanta erat ſemidiametri longitudo. Nullam vllà ex parte lucem præterquam ex foribus apertis accipiebat: imo Pontifex quando ſemel in anno ingrediebatur in eum locum iubebatur accipere thuribulum, quod de prunis altaris impleſſet, & compoſitum thymiama quo mitteret incenſum, vt iniectis in ignem aromatibus nebula eorum & vapor operiret oraculum, ne viſo eo moreretur. Vetuerat præterea Dominus ne quiſquam eſſet in tabernaculo quando Pontifex hoc ſanctuarium ingrediebatur. Sancta Sanctorum. Eius dimenſio.

CAPVT XXVI.

Quartum Miraculum, Ornamenta, & ſupellex Templi.

1. IN eo plurimi lapides erant in honore propter molem, alij propter bonitatem, pulchritudinem, vel quod varij eſſent. Fuerunt in eo lapides parij marmoris candidiſſimi, 25. cubitorum in longum, octo in altum, lati cubitos 12. Erant porphiretici variorum colorum. Erant ophitichi ſic dicti vel à ſerpentium maculis, vel ab ingenita contra ſerpentes virtute. Lapides miræ molis. Ophitichi lapides.

Tota ſtructura conſtabat lapidibus politis, & tam exquiſite iunctis, vt commiſſuræ intuentium oculos fugerent.

Decor, proportio & diſpoſitio omnium inter ſe membrorum erat tam admirabilis, vt facile architectum proderet Deum.

Totum oraculum intus & foris tectum fuit ex omni parte laminis aureis quæ erant affixæ tabulis cedrinis, clauis aureis miri artificij, impenſique in eam rem aurei milliones 7. & quingenta millia aureorum. Oraculi ornamentum.

In aula ſancta, hoc eſt, in templo nihil ſimiliter erat, ne pauimentum quidem, quod non tegeretur laminis aureis puriſſimis, cum variis cælaturis, palmarum, Cherubinorum, Aulæ ſanctæ ſupellex.

Digitized by Google

& aliarum picturarum. Ipſa etiam porticus decorata erat auro mundiſſimo: ferę, peſſuli cardines erant aurei. Fuerunt denique

Vaſa,	*Aurea,*	*Argentea.*
Aureæ menſæ maiores	10.	
Menſæ paulo minores	10000.	20000.
Candelabra maiora	10.	
Minora	10000.	20000.
Phialarum & libatoriorum	20000.	40000.
Cantharorum vinariorum	80000.	160000.
Phialarum item aurearum	100000.	200000.
Lancium aurearum	80000.	160000.
Craterarum	60000.	120000.
Menſurarum	20000.	40000.
Thuribula	20000.	50000.
Tubarum		200000.

Inſtrumentorum ex electro, id eſt, auri minoris pretij 40000.

Summa,	400010.	105000.

CAPVT XXVII.

Quintum Miraculum, Cantores.

Cantores in contentione ſapientiæ cum Salomone compoſiti.

1. FVerunt ab initio inter Leuitas viri tres admodum illuſtres ſapientiæ ac Pſalmorum laude commendati Aſaph, Heman, & Idethum, qui in contentione ſapientiæ cum ipſo Salomone componebantur. Huic officio deputati ſunt 4000. ab annis 20. in ſortes 24. diuiſi, quarum ſingulæ 166. habebat cantores, & 12. viros egregios non ſolum muſices bene peritos, ſed qui ſcienter Pſalmos & Cantica de diuinis rebus conficere poſſent, & alios docere. Nunquam deerant in Templo, quia iuge ſacrificium totum diei noctiſque tempus occupabat. In plures ergo diſtributi partes alij aliis ſuccedebant, & dum hi cibo & ſomno vacabant, alij pretioſis veſtibus induti canebant Pſalmos, citharis, cymbalis, tubis, omnique genere inſtrumentorum.

Abulenſis. Lyranus. Salianus. Tra. 3.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXVIII.

Regio Transjordanina.

1. AD Orientis plagam inter Iordanem, & præaltos montes Arabiæ, ſubiacet regio, hic 4. alibi 6. leucas lata, quæ numeroſa paſcit armenta: montem illum quaſi eſſet vnicus Hippum appellat Ptolemæus, quem ſacri codices multis deſignant nominibus. Nam inter Damaſcum & Cæſaream Philippi vbi oritur, vſque ad Phialam vocatur Hermon, Plinio Trachon quia Trachonidem regionem cingit: A Phiala vſque ad ciuitatem Cedar dicitur Seir, ſyluis vmbroſus & tectus abietibus ex quibus Sidonij naues ædificant, in eoque ſunt ſpecus tam vaſtæ, vt 4000. mille homines valeant continere. Inde ad rupem Arnon nominatur Galaad quæ pars cum ſit opima, fertilis, & altior cæteris, ob eminentiam videtur reliquarum partium quaſi caput, vnde ſuum etiam reliquis aliquando communicat nomen. Arnon autem & ciuitas eſt & rupes in ſublime porrecta, ex cuius vertice torrens itidem Arnon dictus, per abrupta deſcendens, labitur inter Arabas Nabathæos, & regnum Amorrhæorum, tandem influit in mare mortuum: omnes illi montes directi à Septentrione in Auſtrum per milliaria circiter 50. ſunt arborum, aromatum & graminis vbique feraces, comparauitque in iis paſtum animantibus large & copioſe natura. Inter arbores vero maxime abundat pinis, ex quibus optima, & plurima legitur reſina.

Montes. Hippus. Hermon Trachon. Seir. Spenis vaſtæ. Galaad. Arnon. Fundunt paſtus varios & reſinam.

CAPVT XXIX.

Regnum Bazan.

1. IN hac regione Transiordanina fuerunt antiquitus duo regna, ſcilicet regnum Bazan & regnum Moabitarum, quorum vnum ab altero ſeparabat torrens Iaboc, qui in extremum maris Galilææ euoluitur, quibus deletis à Moyſe obtigit ſupradictus mons Hippus, & ager Bazanitis mediæ Tribui Manaſſe: reliquus Tribui Gad & Tribui Ruben.

Hierar. 2. A ſoli luxuriantis vbertate ſortita eſt hæc regio nomen Bazan, abundat enim vliginoſis & fertiliſſimis paſcuis, vnde, agnos, arietes, & vaccas eo paſtas gramine quod pinguiſſimæ eſſent, ſacræ literæ commendant. Conſurgunt Regnum Bazan.

V

Digitized by Google

etiam hic quercus ſublimes, vmbroſæ, frugiferæ, ſub quibus incredibilis multitudo ſuum paſcitur; certe Chriſti permiſſu eorum bis mille Cacodæmonis malignitate ſe miſiſſe præcipites in mare narrant Euangelia. Pars ſuperior dicta eſt Trachonitis, quod Trachonibus hoc eſt ſpeluncis, & ſubterraneis ſpecubus abundet. Et Raphain, quod à robuſtiſſimis Gigantibus habitaretur, qui vrbibus imperabant 60. ſitu & arte munitiſſimis ad tempora Regis Bazan Og, cuius copias & vrbem regiam Aſtaroth cum proſtrauiſſet ſtrenuus Iſraëlitarum heros Iair filius Manaſſe, omnis ea regio à Moyſe dimidiæ Tribui Manaſſe in poſſeſſionem data eſt.

Gigantum vrbs regia Aſtaroth.

Trachonitis.

3. Trachonitis ampla regio inſtar regni, ſita eſt trans Iordanem verſus Damaſcum Cœleſyriam & deſertum Arabiæ in agro aquis deſtituto: pluuiales incolæ in Trachonibus diligenter conſeruant, in iiſdem commorantur cuniculis & ferarum more deliteſcentes qui rapto viuunt, aſſueti in Damaſcenorum, aliorumque agros, excurſiones facere & latrocinia, pecoraque in ſua abigere receptacula. Tales ſpecus cum aditus habeant anguſtos, Trachonitæ diu bellum traxerunt in latebris ſuis, & multum negotij fecerunt Auguſto Cæſari, qui tandem Herodis maioris Regno cum eam attribuiſſet regionem, vt hos latrones deleret, vix tandem ſunt repreſſi. Eandem Rex Agrippa obtinuit donatione Claudij Cæſaris.

Qualis ager.

Et Incolarum mores.

Huius regionis, nec non regni Bazan, & dimidiæ Tribus Manaſſe illuſtriora monumenta fuerunt. Turris Libani quam Salomon in monte ea celſitudine & pulchritudine conſtruxit, vt pulchrius nihil poſſent Damaſceni intueri, hinc certe Salomoni licebat & ſaltum Libani, & quæcunque in orbe viſu gratiora ſunt, videre, & domos numerare gratiſſimæ vrbis Damaſcenæ. Ipſumque locum, in quo morabatur Abraham, quando ipſi fuit adpromiſſa terra Chanaan oculis ſubiicere.

Turris Libani.

Geſſue.

4. Vrbes primi nominis, Geſſue fortis & Regia, quæ regioni nomen dedit, ex qua priſtinos habitatores non potuerunt expellere Iſraëlitæ: Boſra nunc Buxeret Trachonitidis vetuſtiſſima ſimul & munitiſſima vrbs & caput. Leuitici generis ſacerdotibus data, Archiepiſcopali aliquando ſede nobilis, ac totius deſertæ, ſeu primæ Arabiæ Metropolis facta; à Balduino tertio tentata, & Saladino tradita. Terra Hus Iobi patria quem Deus depreſſit, vt eueheret: à Græcis appellatur Auſcitis regio frumenti vini & olei ferax in qua ſingulæ

Boſra. Traconitis caput.

Terra Hus.

Auſcitis.

gulæ vrbes alicuius nominis ſuos habuerunt Reges, inter quos fuerunt Eliphas amicus Iobi, qui regnauit in vrbe Thema: & Sunites amicus alius, cuius præcipua vrbs Sueta, vbi etiam nunc ſolennes habentur nundinæ, & ad eius Orientem extat Pyramis ſepulcri B. Iob, monumentum, diſtans 4. leucis verſus Aquilonem ab vrbe Chorozain. Nec paucæ fuerunt ad Iordanem, quarum nobiliſſima videtur fuiſſe Lais, dicta ab Hebræis Dan, à Romanis Paneas, tandemque Cæſarea Philippi, ex quo Philippus Tetrarcha Tetrachonidis, & Itureæ variis eam ſtructuris decorauit, & Cæſaream appellauit in gratiam Tiberij Cæſaris, ſedemque Tetrarchiæ in ea poſuit. Ferunt in confiniis huius vrbis D. Petro claues regni cœlorum promiſiſſe Chriſtum Dominum. Hic fuit celebris illa ſtatua mulieris huius vrbis ciuis, quam alui cruenta fluxione laborantem Chriſtus ſolo fimbriæ attactu perſanauit, cui poſtea accreuit herba quæ vbi ad laſciniam veſtis ſtatuæ peruenerat, veſtis fiebat panacea. Statuæ ſuum caput inſeri Iulianus Apoſtata præcepit, ſed fuit illico afflatum fulmine. De eius miraculis legendi teſtes oculati Euſebius, & Soſomenus: Belinam nunc eam vrbem appellat Turcus. Thema. Sueta. Monumentum B. Iob. Cæſarea Philippi.

Fuit & alia vrbs magni nominis, Seleucia, quam Seleucus Rex Syriæ condidit in læua ripa Iordanis influentis in lacum Meron, quam Alexander Iudæorum princeps expugnauit, & quam Ioſephus hiſtoricus etiam contra Romanos propugnauit: In montibus vero Aſtaroth Gigantum ſedes. Endari vrbs primaria Seonis Regis, & regni Bazan. Seleucia Syriæ. Aſtaroth. Endari.

5. Meron autem tantum lacus eſt cum è Libano niues aut madent ſole, aut imbribibus perfuſæ funduntur in præceps: alio tempore vallis ad delicias arboribus conſita & plena feris, ad quam conuenerat Iex Iabin cum aliis 25. Cananæorum regibus, quos bello vicit Ioſue. In extremo vallis, vadum eſt, quo Iacob fugiens Eſeu fratrem tranſmiſit Iordanem. Ad illud in colle Balduinus caſtrum poſuit quo Saracenos Damaſci commorantes repreſſit, diſtabat 10. milliaribus à Cæſaræa Philippi. Meron lacus. Vadum Iacob.

Rurſus ad Iordanem & mare Galilææ fuit Iulias Philippi Tetrarchæ regia, ſic dicta ab vxore, filia Tiberij Auguſti. Ad oſtium Iordanis in hoc mare fuit Corozain vrbs Decapoleos, cui male precatus eſt Chriſtus quod plurima ſigna & virtutes edidiſſet in ea, nec tamen pœnitudine tenerentur ciues. Hinc quidam Antichriſtum oriundum exiſtimauerunt. Poſtmodum hic idem lacus Galilææ excipit torren- Iulias regia. Corozain.

Digitized by Google

Gamala. tem, quem fundit vrbs & mons Gamala quæ à Gibbo Cameli nomen accipit, quæ à Romanis belli Iudaici tempore grauiter mulctata eſt.

Pella. Excipit & Hieromiacem fluuium, circa cuius fontes fuit Pella à Seleuco condita ad inſtar Macedoniæ, & habitata à Macedonibus, qui ſub Alexandro militauerant in Aſia. Circa medium huius torrentis erat Iabes Galaad cuius ciues, Iabes Galaad. cum vellent, Ammonitæ, reddere inutiles bello, dextro oculo effoſſo, ipſis opem tulit Saul, quam gratiam mortuo repoſuerunt. Ad eundem eſt & Gadara, cui adiacet ſtagnum Gadara. aquæ adeo noxiæ, vt eam guſtantibus pecoribus cornua, vngues, & pili defluant, ciuitas natura loci validiſſima imo inexpugnabilis habita eſt. Haud procul ab oſtio Hippus vrbs à Pompeio Iudæis erepta, & Syriæ addicta. Aqua cuius potu vngues & pili defluunt.

CAPVT XXX.

Regnum Amorrhæorum.

Amorrhæorũ regnum. 1. NEc minus olim beata fuit, & frugifera regio, & regnum Amorrhæorum, ab Amorrhæo filio Chanaan dicta, ſicut & Galaaditis à monte Galaad, cui adhæret, ani- Galaatidis. malibus paſcendis aptiſſima, in qua 23. ciuitates præter vrbem Galaad cenſebantur, quas omnes Galaad filius Machir filij Manaſſe, aliíque fortes Iſraëlitici populi bellatores de Amorrhæorum manibus armis cum cepiſſent, huius regionis pars media à Moyſe data dimidiæ Tribui Manaſſe, alia Tribui Gad à flumine Iaboc ad Bidon vrbem magnam & torrentem qui eam ſeparat à Tribu Ruben. In eamque ingreſſi ſunt quadraginta millia & quingenti ex poſteris Gad, qui ſeptimus fuit Iacobi filius, qui quantumuis fuerint viri fortes, poſteaquam tamen in Idololatriam, aliaque fuerunt prælapſi ſcelera, ipſi quoque ſunt deuicti à Damaſcenis, qui plauſtris ferreis, quæ rotis dentatis voluebantur contriti ſunt: eorumque prægnantes mulieres ab Ammonitis diſſectæ.

Iaboc. 2. Qui primus occurrit fluuius Iaboc appellatur: eius origo in Galaad monte Arabiæ, perlabitur terras Ammonitarum, Amorrhæorum, & Tribum Gad, ſeparat à dimidia Tribu Manaſſe, Iordanique fluuio commiſcetur. Hoc tranſmiſſo, Iacob luctatus creditur cum Angelo. Vrbes rigat pri- Rabba. mo Rabba, quæ propterea vrbs aquarum nominatur, quod Metropolis Ammonitarum. eam circumluat. Fuit autem hæc vrbs regia & Metropolis

Ammonitæ

Ammonitæ gentis, quæ originem repetebat ſuam ex Lot & filia eius iuniore. Deinde Og Regis Bazan fortiſſimi, qui animo & corpore Gigas, eam expugnauit, eius in ea monſtrabatur olim lectus ferreus, longitudinis 9. latitudinis 4. cubitorum, qui & ipſe percuſſus eſt à filiis Iſraël cum filiis ſuis, & vniuerſo populo eius vſque ad internecionem anno ante Chriſtum 1470. Poſtea obſedit hanc Ioab anno ante Chriſtum 1034. atque in eius oppugnatione Vrias fidiſſimus militum Dauidis periit, Poſtremum à Ptolemæus qui per antiphraſim quod duos fratres ſuos interfeciſſet dictus eſt Philadelphus, qui Ægypti regnum iniit anno ante Chriſtum 285. Vrbs & regio ſubiugata eſt & Philadelphia nuncupata, hactenus nomen retinet Chriſtianis temporibus Metropolitanum habuit Epiſcopum.

Lectus Regis Og cubitorum 9.

Philadelphia.

3. Haud procul verſus montes diſſita Maſpha vbi habitauit Iephte in terra Thob ad quam quotannis filiæ Iſraël votum eius imprudens mortemque filiæ deplorabant. Ad Ramoth Galaad Achab Rex Iſraël cæſus, & vnctus Iehu; Deſcendentibus ad Iordanem ſaltus Ephraim occurrit, vbi Abſalon cum Dauidis copiis conflixit & periit. Decimo lapide à Philadelphia fuit Iazer vrbs Amorrhæorum, poſtea Leuitarum, & flumen Iazer è rupibus iuxta Iazer erumpens, & in lacum ſe explicans qui tandem à Iordane ſuſcipitur in Peræa Toparchia, quæ vſque ad Pellam vrbem ſe extendebat, habebatque campos oliuetis vineis & palmetis excultos.

Maſpha.

Ramoth Galaad.

Iazer.

CAPVT XXXI.

Moabitis.

1. SVpereſt Moabitis regio omnium bonarum frugum abundantiſſima, & paſcendis gregibus accommodatiſſima. Ipſi nomen à Moab filio ex inceſſu Lot cum filia maiore ſuſcepto. Irrigatur torrente Arnon, ad cuius fontem Eſebon, poſtea Ebus, cincta muris cocti lateris, Seonis regis Amorrhæorum aliquando regia, iuxta quam fuerunt piſcinæ pulchritudinis eximiæ; Seone autem cum populo ſuo ab Iſraëlitis occiſo, Tribui Ruben eſt aſſignata, in qua tunc recenſiti contribules 43730. In media regione montes editi maxime Abarim, cuius pars ſublimior Nebo, vertex ipſe Phalga, vnde oculis tantum Moyſes Paleſtinam luſtrauit ab vrbe Dan vſque ad ſolitudinem Berſabee, in cuius montis ſpelunca Hieremias ſacrum ignem abdidit, nec procul mons

Moabitis.

Tribus Ruben.

Nebo.

Phogor, cuius in crepidine fanum Bal, vnde iuſſus Baalam populum maledictis inceſſere, eidem bene precatus eſt.

2. Non longe ab oſtio Iordanis in lacum Aſphaltitem fuit Macherus caſtrum munitiſſimum in ſaxoſa rupe alta & vndique pricipiti ſitum, in quo regiam ædificauit Herodes & arcem propter Arabum vicinitatem, turreſque in angulis ſexagenorum cubitorum erexit, & in ea arma omnis generis repoſuit; vultque Ioſephus in Macherum ab Herode miſſum D. Ioannem Baptiſtam vinctum, & in eodem occiſum. *Ioſeph. l. 7 de bello Iudrico c. 25.*

Macherus.

Ioannes Baptiſta vbi capite truncatus.

Præterea ait in valle Baaras, qua ciuitas cingitur à parte Septentrionali radicem gigni eiuſdem nominis Baaras quæ noctu inſtar flammæ fulgurat.

LIBER

LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

Arabia.

Plin. l. 7. c. 56. SVNT qui Arabiam ab Arabo Apollinis filio, quem medicinæ repertorem ſcribit Plinius, dictam putent. Origine nominum nihil incertius. Nomen incertum.

Si excipias Syriæ, & Paleſtinæ partes, quas libro proxime ſuperiori deſcripſimus, quæ mari Mediterraneo & Hippis montibus, ſeu Galaad, & lacu Aſphalite continetur, Omnia longe, lateque obtinuere Arabes, quæ à monte Amano comprehenduntur Euphate, & vtroque ſinu tum Perſico, tum Arabico. Imo Syris, Arabibus & Armenis tanta cognatio, in ſermone, vita, & corporum forma, vt quos Capadociæ incolæ vocant Syros, Syri Armenos, & Arabes appellent & Græci Trogloditas. Amplitudo longiſſima. *Strabo l. 1. p. 41.*

Quadruplex eſt omnino, deſerta, Petrea, Fœlix, Ægyptiaca; Ægyptiacam dicimus cum Ptolemæo partem occiduam Arabici ſinus, quam longo tractu habitant Ægyptij, quamque propterea differemus cum de Africa nobis erit ſermo. Quadruplex eius diuiſio.

Plin. l. 6. c. 28. Solinus. c. 46. De omnibus hoc poteſt dici in genere, omnes aut in commerciis vitam degere aut in latrociniis, vixque vllam ipſis curam vel animi, vel corporis. Licet diuerſis moribus viuant, & cultibus. Plurimis crines intonſi, mitrata capita, redimitu pari, quibuſdam raſa in cutem barba, præterquam in ſuperiore labro, aliis intonſa. Omnes aut mercaturâ exercent, aut latrocinium.

CAPVT II.

Arabia deſerta.

1. EIus fines ſunt mons Amanus, & ab eo Euphrates fluuius ad Babyloniam montes Chaldæi & fluuius Iordanis. Regio magnam partem arenoſa eſt & ſterilis, præter Syriæ confinia, montem Hyppum & Iordanem. Pauciſſimæ in ea vrbes præter eas, quas deſcripſimus, appoſitas fluuiis & torrentibus, qui abeunt in Iordanem, aut Fines.

Digitized by Google

quas deſcribemus ſectantes Euphratis ripas ſuo loco. Nunc Metropolis illius eſt Boſtra Ptolemæo in long. 69. 45. lat. 31. 30. vulgo Buſeret maxima, & antiquiſſima olim 19. Epiſcopatuum Metropolis. Plerique omnes, eos vocant Scenitas vel Trachonitas; Scenitas quidem à tabernaculis è pilis caprarum textis quibus ſequentes pabula, cum Camelis, aliiſque armentis ſicut in Scythia Nomades, ſuccedunt. Nam & σκηνὴ tabernaculum ſignificat, atque inde latinis ſcena pro tabernaculo vſurpatum: Trachonitas vero quod plerique eorum in Trachonitis, hoc eſt, ſpeluncis & cuniculis more ferarum commorantur, & victum quærunt excurſionibus, & latrociniis, quibus vexant Damaſcenos & Syros, quorum pecora in ſua abigunt receptacula. Regio magnam partem arenoſa, & ſterilis eſt, quæ palmas habet non multas, ſed ſpinam, & myricam, & foſſiles aquas vnde hædis, camelis, & eiuſmodi animalibus quæ myrica gaudent, abundat ob eremi vaſtitatem: Equis vero, mulis, porcis, aliiſque quæ glande, caſtaneis & hordeo veſcuntur, caret. Mellificij etiam abundantia eſt & auium omnium, ſi anſeres & gallinas excipias.

Boſtra Metropolis. *Scenitæ dicti.* *Et Trachonitæ.* *Ioſeph. 1. belli 15. & alibi.* *Abundat animātibus quæ veſcū-tur myrica. Caret iis, quæ gaudēt hordeo & glande.* *Strab. l. 16 p. 768.*

2. Mercatores qui per hæc deſerta iter faciunt in Meſopotamiam per 25. dies noctu, vt plurimum gradiuntur, aſtra obſeruantes quemadmodum nautæ, & aquam ſecum portant, vel terra in profundum effoſſa, eam ſibi parant, tantaque camelorum, ac hominum multitudine gradiuntur à ſaxo in ſaxum, vt nihil ab exercitu differant.

Qua ratione per Arabiam incedunt mercatores.

Reguli apud eos olim plures, qui regionem non valde feracem, ſed minus inopem colebant, ſua attendentes commoda, de bellis, & communibus rebus parum ſolliciti: Nunc vnicus eſt Arabum Rex, qui à Iordane ad Euphratem imperat per totum deſertum longum 30. latum vero 12. dierum itinere, qui licet Dominum agnoſcat Imperatorem Turcorum, tributum tamen ei nullum pendit. Imo ſi Damaſcum vel Alepum accedat propius, ad eum Bachæ mittunt munera, vt à prædationibus abſtineat. Semper autem Rex Arabum decem millia habet in comitatu, figit tentoria vbi reperit paſcua. Sementem etiam facit quibuſdam in locis, ad quæ ipſe redit, cum maturuiſſe exiſtimat; maximæ tamen eius diuitiæ ſunt pecora; tentoria fiunt ex pilis camelorum, quæ nullus imber, quantumuis copioſus, & violentus perpluat. 30. ſunt, vt plurimum pro Rege & eius vxoribus, quæ intra mediam horam facile vel colliguntur, vel explicantur. Multi tamen ſunt & alij Arabum duces, qui hunc muneribus & tributis

Rex Arabum. *Qualia Arabum tentoria.*

Digitized by Google

tributis colunt, ipſique cum euocantur adſunt; ex quibus omnibus poteſt ipſe intra breue tempus 30. equitum millia cogere.

Linguæ Arabicæ & alphabeti illius Pineda autorem prædicat Salomonem.

CAPVT III.

Arabia Petrea.

1. ARabiæ Petreæ fines mirum quantum incerti apud autores. Certum eſt vt minimum eam complecti regionem, quæ ſecundum mare Mediterraneum, per leucas horarias 25. patet à Rhinocorura ad Peluſiacum Nili oſtium & interius recedere verſus Orientem ad Euphratem inter Arabiam, deſertam & felicem, & ſecundum mare Rubrum ad promontorium Pharam. **Limites.**

Bene tota hòrret triplici ſerie altiſſimorum montium Cedar, Pharam, & Cades, qui prærupti ſunt, rubei, & nigri, exuſti ſolis ardoribus, inunctos diceres oleo: inter eos ſunt Eremi plane ſteriles, ſqualidæ, aquis deſtitutæ, in quibus etiam luctandum cum tenaciſſima arena. Diuerſimode eam partem appellant Hebræi, Græci, Romani.

Terram Edon vocant ſacra Biblia, hoc eſt, rubentem, quod fuit nomen proprium ipſius Eſau qui dictus eſt rubens, & ab eo regio, quam incoluit rubens. Amalecitis ab vrbe Amalec quam condidit Amalec filius Eliphas primogenitus Eſau. Idumæa à Duma Iſmaëlis filio, qui vrbem Dumam Idumææ Metropolim condidit. Græcis & Latinis dicta eſt Arabia Petrea deſerti, nunc Arach, quæ ſita eſt ad vallem, & torrentem Zared, qui labitur in lacum Aſphaltitem circa medium Orientalis illius ripæ. In ea fuit Palatium Regis Arabum. In ea Soldanus Theſaurum Ægypti & Arabiæ reponebat. Accepit etiam Latinum Epiſcopum qui erat Dominus terræ trans Iordanem. *(Num. 13. Gen. 14. Num. 21.)* **Terra Edon ſeu Rubens. Amalecitis. Idumæa. Petrea deſerti.**

Romanis innotuit potiſſimum Auguſti tempore, quando egreſſi Arabes ex inſulis maris Arabici deprædati ſunt eos qui ex Ægypto vela faciebant, tunc enim parata claſſe Ælius Gallus ab Auguſto miſſus eos domuit & Heroum vrbem, quæ defecerat recepit, rebellantes Tajanus in Prouinciæ formam redegit, & rectorem impoſuit, iterúmque Seuerus in officio continuit. Sub Iuſtiniano cum hic inualuiſſet, vt inimici ponerent lapides in prædiis eorum, quos odio proſequebantur, *(Strabo l. 16 p. 780. Sextus Rufus. Strabo l. 17 p. 819.)* **Quando à Romanis occupata.**

indicio futuros, quod ſi quis eum agrum coluiſſet, malo læto periturus eſſet inſidiis eorum qui ſcopulos poſuiſſent, hæcque res tantum timorem incuteret, vt nemo ad eum agrum accedere auderet, crudelitatem timens eorum qui ſcopeliſmum fecerant, Iuſtinianus hunc ſcopeliſmum ſub pœna capitis prohibuit.

Scopeliſmus ſub pœna capitis interdictus.

Vlpian l. 9 D. de extr. crim.

Lex Moyſi data.

2. His in deſertis Iſraëlitæ legem à Deo conditam acceperunt, qua ſacra profanáque populi iura condita ſunt. Multis deinde ſtationibus confectis, Moyſes in eo tabernaculum erexit & ſacerdotes inſtituit. At ingratus populus cum iram in ſe Dei multis criminibus prouocaſſet, Chananææ aditu prohibitus tamdiu per hæc deſerta circumductus eſt, donec rebelles omnes ſuo quiſque fato conſumpti ſunt. Intra annos 38. quibus Nomadum more vagati ſunt. Cenſa autem fuerant cum hæc ingreſſi ſunt deſerta, Iſraëlitici nominis præter imbellem multitudinem, peditum millia ſexcenta, quorum omnium nemo fuit ſuper præter Ioſue & Caleb, qui filios eorum, qui perierunt, introduxerunt in terram maioribus promiſſam.

Exod. 19.

Moyſes tabernaculum erigit.

Sina mons.

Porro inter omnes huius Eremi montes Sina mons celeberrimus, primum Moſis vocatione per Angelum in flammeo rubi incendio, mox & legis diuinæ eodem in monte datæ ſtupenda reuelatione nobilitatus. Mons Horeb iuxta Sinam: nec non Petra illa, qua percuſſa, ſitienti populo vndas Moſes elicuit. Ad radices montis Horeb celebratur nunc Monaſterium D. Catharinæ, in quo admittuntur peregrini. Mirum autem quod ſcribit Abulenſis in capite 20. numerorum q. 3. & alibi, fontem Petræ à Moſe percuſſæ in Raphidim perdurare in hanc diem: additque Arabiam, ex hac perenni ſcaturigine factam eſſe habitabilem. Quingentis minutis ſeu itinere dierum 11. diſtat mons Sina à Kairo Ægypti, cuius Baſſæ hæc nunc ſubeſt pars Arabiæ.

Horeb mōs.

D. Catharinæ ſepulcrum.

Vide Sanchen in Iſaiam c. 43.

Arabia quādo facta habitabilis.

Fuit iam olim diuiſa hæc Arabia in partes duas quarum vna dicta erat Caſſiotis, altera Petrenſis ſeu Nabathæa, eadem quippe vrbs eſt Petra quæ dicitur etiam Nabatha à filio Iſmaëlis Nabaioth. Communiter tamen poſt Hieronymum accipitur Nabathæa pro ea Arabiæ Petreæ parte, quæ contermina Syriæ, abundat paſcuis, eſtque plena pecorum, ceruorum, damarum, maximeque cameleorum, quorum carne, & lacte viuunt incolæ; Petrea vero ſeu Petrenſis pro arida illa & aſperiori parte, in qua nec homines videntur, nec animantes, aues, nec vlla arbor, ſed rupes tantum quæ horrorem incutiunt. His finitimi fuerunt Agareni ſic dicti ab Agar

Nabathæa.

Agareni.

Digitized by Google

Agar Abrahæ concubina ſicut & Agara oppidum : Certe Agarenos eos eſſe qui poſtea Saraceni dicti ſunt, Iſmaëlis proles, exiſtimant viri docti; nam & in hoc & Beatæ Arabiæ tractu illos ſeu veterem gentem Ptolemæus & Plinius connumerant: Stephanus autem de vrbibus, Arabiæ partem Saracam facit, à qua Saraceni dicti videantur & inde Myrrham Saracenicam cognominauit Dioſcorides, quæ Plinio l. 12. Sambracena dicitur. Fuerunt & alia minime obſcura præter Petram opida quorum præcipua Boſtra in long 70 lat. 31.30. cuius Epiſcopus fuit Berillus. Extitit Philippopolis, à M. Iulio Philippo Imperatore in Patrio ſolo (boſtrenus enim fuit) condita. *Saraceni.* *Saraca regio.* *Boſtra.* *Philippopolis.*

3. Caſſiotis patet ſecundum litus Mediterranei maris à Rhinocolura ad Peluſiacum Nili oſtium. Vrbs Rhinocolura eſt in finibus Paleſtinæ ſic dicta ab Ægyptiis qui nares truncati huc tranſlati ſunt, ſic enim Æthiopes maleficia coërcebant. Proxime ab ipſa fuit Oſtracine ciuitas Arabiæ Caſſiotis ſita ad mare, inops aquæ. Caſſius mons Syriæ, & Ægypti limes aggeribus arenarum ſimilis eſt. In mare procurrens, aquarum item inops, nemoroſus tamen & tereti ambitu in ſublime porrectus, vnde ſecundis gallinicijs videtur primus ſolis exortus. Iuxta hunc fuit delubrum Caſſij Iouis quod Romanorum ambitio illuſtre fecit. Et Pompeij magni tumulus Ægyptij Regis perfidia iugulati, inſtauratus poſtea ab Adriano. Inde via eſt, quæ Peluſium ducit, & in Arabiam Ægyptiacam, ſeu Auguſtamnicam, quam deſcribemus in Africa. Nec omittendum celebratas olim Caſſianas texturas & Caſſioticas veſtes, quæ ab incolis dicti montis Caſſij nomen acceperunt. *Caſſiotis termini.* *Rhinocolura.* *Strabo l. 16 p. 750. Ioſeph. l. 5.* *Oſtracine.* *Caſſius mons.* *Pompeij tumulus.* *Arabia Ægyptiaca.* *Euſtat. in Dionyſ.*

CAPVT IV.

Mare Rubrum. Quid maris Rubri nomine intelligunt autores.

1. Certum diuerſa plane maria hoc nomine autores appellare. Nam Dionyſius Æthiopicum mare vocat Rubrum. Mela & Plinius Indicum, Herodotus Perſicum: Imo ad Gangem illud extendit Curtius, nimirum quod in his omnibus partibus, pleraque ſunt litora coloris rubei, ad quæ repercuſſi ſolis radij, eodem colore tingunt pelagus. Inualuit tamen, vt hoc nomen tanquam proprium relinquatur ſinui, qui medius eſt Ægyptum inter & Arabiam, quod nullibi & frequentius, & intentius rubeſcant aquæ. Scio ple- *Herodot. in Melpom. Curt. l. 8.*

Erythræum mare. roſque vocaſſe ſinum Erythræum ab Erytra Rege, quem volunt antiqui fuiſſe Eſau, qui Erythæus ſeu Ruber fuit, & maris huius Dominium ſic obtinuit, vt non liceret Ægyptiis illud ingredi naue longa, ſed vna tantum vti naue oneraria. *Scaliger ad feſtum. Nicolaus Fuller Miſcel l. 4 c. 20. Philoſtr. in vita Apoll. l. 3. c. 11.*

2. Hic autem Rubor, nec vbique nec paſſim per totum hunc ſinum deprehenditur, ſed ad ſummum per 130. leucas ab oſtio ad vrbem ſcilicet Suaquen: deinceps enim ad vrbem Suez nulla videtur in aquis varietas coloris. Harum macularum cauſa, multiplex, & varia: Nam ad promontorium Fartaque, cruentum per interualla interdum videtur mare & propter Balenarum partus cruentos, & propter fonticulos rubentis minij. Vt plurimum autem hoc accidit propter arenam aquis ſubſtratam, quæ in lapides ſpongioſos, vel in ramoſam quandam materiam Coralij ſimilem phœnicia lanugine veſtitam Minij coloris concreſcit (eos frequenter habui in manu) quibus ſuperfuſæ aquæ lucente ſole videntur infici, quantumuis in vitro & ſint, & appareant limpidiſſimæ. Eſt & quibuſdam in locis Alga quædam aut caries rubens, quibus ſternitur, imo & herbæ, ex quibus producitur Coralium nigrius & lapilli, quibus quantum apud nos Indicis Margaritis eſt precium, tantum apud Indos eſt hoc Coralium: hæcque eſt cauſa quamobrem & in ſcriptura & apud Rabinos appellatur mare Suph, hoc eſt, mare Coralij, & hi fortaſſe ſunt frutices, quos Plinius l. 2. c. 103. ait renaſci in mari rubro. Vbicunque enim albæ apparent aquæ nihil præter albam arenam, aut virentem lanuginem è fundo nautæ extrahunt. *Cauſa ruboris. Ex relat. Ioannis de Caſtro proregis Luſitaniæ Regis. Albuq. in liter. ad Emanuelem Regem. Coralium nigrum. Mare Suph ſeu Coralij.*

Figura maris rubri. Amplitudo. 3. Sunt qui dicant ampliſſimi huius ſinus figuram proxime referre plantam humani pedis, alij lacerti, vtrumque ſatis imperfecte. Extenditur à parallelo boreali vno & trigeſimo ad duodecimum per quadringentas prope leucas à Suezio ad freti anguſtias. Latitudo eius maxima exporrigitur ad leucas 50. minima ad fretum ſitum in 12. gradu cum minutis 45. latitudinis borealis, vbi continetur inter celeberrima duo promontoria, quorum alterum in Africa nomine Raſbel, alterum in Arabia dictum Ara, prominet, vtrumque 10. leucarum interuallo diſiunctum, quod ſpacium iterum intercipit inſula Babel, Mandel, dicta: hic relicto verſus Africam freto profundiori, & quibuſuis ferendis nauibus maioris formæ, idoneo 25. mille paſſus lato: inde verſus Arabiam protracto altero ſinu non vltra leucam extenſo, atque adeo ſcopulis, & ſaxis infeſto, vt vel vni cimbæ vix liberum permittat tranſitum. *Rabel, Mandel.*

Digitized by Google

ſitum. Neque vero in occiduo freto vltra vigeſimum Septembris cuiquam ſubſiſtendum, propter ingens à ventis periculum, & acceſſus maris violentos, quibus ad litora nauis ita impellitur, vt facere vela vlterius nullo pacto liceat, atque adeo ibidem morari neceſſe foret, ad aliam egreſſus oportunitatem, quæ poſt ſtatos menſes aliquot duntaxat recurrit. Enimuero vertente anno præcipui tantum venti duo mari incubant, Boreas Autumno, & Hyeme, Auſter vere & Æſtate; itaque conſtanter ſpirant, vt naues ingentes, quæ ſupra mille ſiue dolia, ſiue onera poſſunt ſuſtinere, non aliis vtantur velis, quam ſtorea ſtraminea, quæ ſemel explicata, non vltra detorqueri alio, imo ne moueri quidem indiget, eodem per ſex menſes ſpirante vento.

Venti tantum duo ſpirant in mari rubro.

Vela ſtorea.

4. Qui magnæ molis cataphractas naues regunt tantum debent aduertere, ne deflectant ad litora, ſed iter ſuum dirigant per ingentem canalem qui medio in mari continuatus augeri in dies altitudine videtur, & erutas à fundo arenas ad ad litus euomere; quo fit, vt abſque magno rerum nauticarum vſu, difficile ſit circa litora magnas naues regere propter vada & inſulas, quamuis aquæ altitudo non ſit minor Orgiis octo & pluribus in locis quindecim: Crediderim ego in hoc mare per ſubterraneos meatus, non tantum Iordanem, qui periit in extremo lacus Alphaltitis in Paleſtina, in foſſa, quam dicunt linguam maris, ſed præterea partem Mediterranei maris, per ſubterraneos meatus & cuniculos, in hoc mare rubrum euolui: & violento affluxu medium illum canalem ſeu alueum excauaſſe. Addunt aliqui in tenebris minime procelloſum eſſe, in luce vero æſtuoſum plerumque. Vna eſt ſtata, & anniuerſaria tempeſtas ineunte Maïo menſe, qua atrocior Boreas vehementi procella naues alliſas ad ſaxa ſæpius comminuit. Noctu vero propter ſcopulos & frequentes Syrtes, quas præuidere oportet, vix poteſt nauigari.

Altitudo maris varia.

In tenebris non eſt procelloſum.

Ex Ludouico Romano Patricio.

5. Vtrum qui nunc Iſthmus eſt 900. ſtadiorum, quo Aſia iungitur Africæ, fuerit olim fretum quo Mediterraneum mare, Arabico ſinui coniungebatur, difficile eſt ſtatuere, certe Eratoſthenes & Xantus, ipſeque Strabo Geographiæ ſuæ lib 1. videntur fuiſſe huius ſententiæ, dicuntque ſpacium omne quod Peluſium inter & montem Caſſium intercedit priſcis temporibus mari fuiſſe inundatum, & vero frequentes hic ſunt paludes in quibus ſicut & ad Serbonidem lacum etiam nunc effoditur ſalſugo, reperiuntur foſſæ arenoſæ, & conchyliis refertæ, nimirum regione olim tecta mari, poſt recedente mari ea fuiſſe deiecta loca & manſiſſe

An rubrum mare olim iunctū Mediterraneo.

Pag. 50. & 55.

Freto inter Peluſium, & montē Caſſium iungebatur olim mare Mediterraneum ſinui Arabico.

Digitized by Google

Lacus Serbonis. lacum Serboniden, qui ipſe poſtea ita erupit, vt paludis naturam induerit, ſimiliterque etiam ripas lacus ſalſi, litori maris quam fluuij eſſe ſimiliores. Certe nemo negauerit multas continentis terræ partes aliquando aquis tectas, rurſumque inde retectas.

CAPVT V.

De intimo ſinu maris Rubri, & qua parte illud tranſmiſerunt Iſraëlitæ.

Solitudo Suezij. Columna nubis. Transitus Iſraëlis.

1. EXtremum hunc ſinum, vndique cingunt Arabes & vaſta ſolitudo deſerta, cui à Suezio Vrbe, & Turcorum portu inditum nomen. Cum antiquitus appellaretur deſertum Ethan in quo primum viſa eſt Diuina bonitas & cœpit adeſſe Iſraëlitis meticuloſo populo in columna nubis per diem, & ignis per noctem, quæ deinceps interdiu ſuper eos extenſa obumbrabat, & protegebat eos ab æſtu ſolis, & tota nocte lucens illuminabat eos: quotieſcunque autem migrandum erat alio, ceu dux præcedens ignotæ viæ iter oſtendebat: nec multum ab eo remouetur Phiairoth manſio quarta, vbi filij Iſraël vtrinque concluſi fuerunt, hinc mari, inde Pharaone, qui fugientem populum inſequebatur, ſed Moyſes interrupto mari rubro viam ſuis aperuit, quam dum terga premens illorum exercitus ingreditur, eadem, quâ deductum erat, virga percuſſum mare coiit, ac trepidantes inuoluit hoſtes. Ita trans ſinum Arabicum euaſerunt Iſraëlitæ. Veſtigia ingreſſus Hebræorum ac tractus curruum rotarumque orbitas manere & diuinitus ſemper reparari in litore, & in ipſo mari rubro tradit Oroſius, & Diodorus (in catena) qui fuit præceptor S. Chryſoſtomi, qui & addit Gentiles, hunc tranſitum non miraculo, ſed reciprocationi maris adſcripſiſſe. Idem etiam dixiſſe Memphitas teſtatur Euſebius quin & Ioſephus dubitat an diuiſio hæc fuerit naturalis. Nam & Alexandri magni ductu, inquit, mare Pamphilium ceſſit & iter aperuit, cum Deus eius opera ad deſtruendum Perſarum Imperium vti decreuiſſet. Verum nullus maris æſtus potuit efficere, vt vtrinque aquæ inſtar muri aſſurgerent conſiſterentque immobiles, donec tranſiret populus, & mox reuoluerentur in hoſtes, vt habetur Exodi c. 14. Quod autem de mari Pamphilio dixit Ioſephus, fabula eſt, nam vt docet Strabo l. 14. Alexander tantum litus obliquando cum ſuis tranſiuit vmbilico tenus, vt nos ibi diximus.

Mela l. 3. c. 9. *Exod. 14. & 19.* *Oroſ. l. 1. c. 10.* *L. 9. de præpar. c. vlt.*

Digitized by Google

diximus. Denique Hebræi, Abulenſis, & Burgenſis putant eos non in litus oppoſitum penetraſſe, ſed in tranſitu feciſſe ſemicirculum, & circuiuiſſe ſcopulos deſerti Ethan qui directum iter per terram impediebant, & in mare rubrum procurrebant, ſic vt ad litus Ægyptum ſpectans redierint: & probant quod tam vaſtum mare Hebræi non potuerint tam pauco tempore penetrare, præſertim cum inter eos eſſent pueri, ſenes, oues, aliaque impedimenta plurima & dicatur numerorum 33. poſt tranſitum maris veniſſe in ſolitudinem Ethan. Verum commũnis ſententia eſt, eos totam maris latitudinem tranſiuiſſe, hæc enim expreſſe tradit Ioſephus & Philo, & innuit ſcriptura cum narrat aquas maris eſſe fiſſas, & Hebræos per maris medium tranſiuiſſe, nam aliter non eſſet tranſitus, ſed circuitus potius, & gyratio: Deinde id patet ex Chorographia, licet enim ex Rameſſes verſus Sinam pedeſtris ſit via directa, quæ ad latus relinquit mare rubrum, tamen hæc via ita horret rupibus, vt per illam caſtra Hebræorum non potuerint tranſire, ſed Deo duce flexerint iter ad mare Rubrum. Ad locum vero numerorum reſpondet Cajetanus deſertum Ethan fuiſſe vaſtiſſimum, & extendere ſe tam cis quam vltra.

Ethan deſertum.

2. Deinde quod ad tempus attinet cum mare Rubrum è regione Phiairoth, vix latum ſit itinere duarum horarum, vt conſtat ex tabulis Andrichomij, & Bonfrerij ſiue in 12. ſectiones diuiſum ſit mare, vt Genebrardus ſentit, ſiue vnica, vt ſentit Philo & omnes communiter nullo negotio potuit totus exercitus cum omnibus impedimentis & pecoribus duabus horis à litore Ægyptio in aduerſum tranſmittere, quantumuis podiſmum & ſua interualla quaſi ſtantes in acie omnes obſeruaſſent. Demus enim ad mille tantum paſſus hinc inde aquas receſſiſſe, & mare hic latum octo milliaribus, area huius ſpacij, paſſus quadratos 5. pedum continebit 8000000. octo milliones, cum igitur nullus dicat plures fuiſſe Iſraëlitas, quam duo aut tres milliones, & qui de re militari ſcribunt 4. tantum cubita aſſignent homini ordinato, duo denſato, vnum conſtipato, quantumuis ſinguli paſſum quadratum obtinuiſſent, potuiſſent facile cum omnibus impedimentis ſimul ſtare intra alueum, & conſequenter duarum horarum ſpacio omnes tranſmittere. Adde quod potuit Angelus eos roborare, vt iter accelerarent, vnde habetur Pſ. 104. non erat in tribubus eorum infirmus. Ergo ſi quando primi egrediebantur alueum vltimi intrabant, potuerunt omnes facillime intra 2. horas tranſiiſſe, ſimiliterque potuit

Quantum tẽporis potuerint Iſraëlitæ in tranſmittendo mari.

Digitized by Google

idem alueus integrum Pharaonis exercitum capere, vt in alueum redeuntibus aquis omnes eodem tempore illis inuoluerentur.

Tor. 3. Is locus, in quem euaſerunt in ripam Arabicam Iſraëlitæ nunc appellatur Tor, eſtque portus ſatis infidus cum vico qui ſitus eſt in tumulo cum caſtello turribus 4. munito vtcunque, abſque foſſis hac tranſmittunt qui in montem Sinai volunt pergere. Proximum mare abundat piſcibus, corallio albo & rubeo, cuius aliquando partes reperies longitudinis 2. cubitorum, & latitudinis coxæ humanæ; caret autem ligno & aqua dulci, nec vllibi pulchrius alabaſtrum.

Corallium album & rubeum longum 2. cubitos, craſſum vt coxa hominis.

CAPVT VI.

Arabia Felix.

1. PEtream Arabiam à Felici ſeparant continui montes ducti à ſinu Arabico ad ſinum Perſicum, ſecundum 29. parallelum per leucas 230. A parallelo autem 29. ad vndecimum patet Arabia cognomento Eudemon hoc eſt beata, tribus lateribus mari, quarto montanis incincta. Sola quantum exiſtimo illius quæ deſerta eſt, aut petreæ calamitas ſeu potius ſterilitas felicem fecit, neque enim alibi colitur quam ad litus maris, & valles aliquot, quibus eſt præ cæteris temperatum vtcunque ſoli ingenium. Præterea non eſt tanta apud eos odorum copia, quantam ſibi vulgus perſuadet, nam periti rerum produnt non in alia huius peninſulæ parte thus prouenire quam in pago Sabeorum, vbi ſylua centum paſſuum longitudinis, latitudinis autem 50. in qua arbores circa medium menſis Iulij inciſæ humorem ſpumeum edunt, qui concretus aut decidit in ſolum, vnde queat colligi, aut cortici adhæreſcens depectitur, adduntque non ferre tantum Aromatum vno anno Arabiam, quantum Nero, nouiſſimo Poppeæ ſuæ die concremauit. Deinde pauci ſunt odores Arabiæ peculiares, multi, in quibus vincitur ab aliis. Multos baccæ Myrtorum, & animalium ſordes adulterant. Frequenter eorum ſyluas paſtu infringunt & pilis inficiunt Capræ odoratorum fruticum appetentes. Nec beatos prædices qui huiuſmodi abundant odoribus, nam & fragrantia nimia ſtuporem indidit ſenſibus, quem ipſimet bituminis, aut hirci barbæ & pellis acri nitore coguntur leuare, adeo nulla eſt voluptas, quæ non aſſiduitate ſui faſtidium pariat. Non ſunt apud eos plurimi odores peregrini quos

Mela l. 3. Plin. l. 12. c. 17. & 18.

Plin. l 12.

Thus Sabæum.

Capræ odorum appetentes.

Fragrantia nimia ſtuporem inducit.

Digitized by Google

quos tamen mire expetunt, & ex Syria, Carmania, Æthiopia, & Indiis petunt, ipſiſque idem contigit quod cæteris mortalibus, quibus ſuarum rerum mira ſemper fuit ſatietas, & alienarum auiditas, precium etiam addidit hominum luxuria, qui ſingulas micas thuris dabant Diis, in funeribus vero illud congerebant in honorem cadauerum. Felicitatis tamen eius & opulentiæ teſtem laudare poſſumus Alexandrum, qui in ea, vt refert Strabo, regiam ædificare conſtituerat poſtquam ex India rediiſſet, niſi eius conſilia mors ſubito accidens irrita feciſſet.

Strabo l.16 p.785.

In Arabia felici ſuam ponere Regiam ſtatuerat Alexander, ni fuiſſet morte præuentus.

CAPVT VII.

Chorographia Peninſulæ Arabicæ.

1. DIfficile eſt referre priſca nomina gentium & litorum huius peninſulæ, quod obſoleta ſint propter abſurditatem pronuntiationis: & vero vix duo, triave vocabula in tabulis Ptolemaicis reperias eorum, quæ prius ſcriptis ſuis conſignarat Strabo. Eorum vero, quæ memorat Ptolemæus in præſentiarum nullus eſt vſus. In intimo ſinu fuerunt olim Maromitæ & Garindæi, quibus ſuccedit Elaniticus ſinus in latitudine graduum 29. vbi Nabatææ Auſtralis, populoſa regio & paſcuis abundans. Inſulæ autem hic ſitæ ab hominibus tenebantur, qui olim quieti, poſtea ratibus cum deprædari cepiſſent eos qui ex Ægypto nauigabant, pœnas dederunt claſſe aduerſus eos profecta, vt monuimus ſupra. Iuxta montana fuerunt Scenitæ, & paulo inferius verſus Auſtrum Saraceni. Deinceps eſt planicies aquis, & arboribus plena, & omni pecore abundans cum cætero tum maxime camelis, & mulis ſylueſtribus ceruis & damis: ſunt etiam ibi leones & pardales, & lupi plurimi. Poſtea ſinus eſt quingentorum fere ſtadiorum à montibus circumcluſus, faucibus acceſſu difficillibus, circumhabitabant homines terreſtrium animalium venatores. Inde ſunt inſulæ tres oleis obſitæ indigenis, quarum lacryma medicam habet vim.

Strabo l.16 p.777.

Nabatæa.

Cameli.

Leones.

2. Deinceps eſt litus lapidoſum, & poſt id ora mille fere ſtadiorum, quæ ob portuum, aptique iaciendis anchoris loci penuriam, tranſuectu difficilis eſt. Nam mons quidam altus & aſper iuxta porrigitur, & poſtea montium radices, à quibus ad mare vſque procedunt cautes, vnde præſertim Eteſiis flantibus, & imbribus accedentibus certiſſimum periculum offertur. Subſequitur ſinus, qui ſparſas inſulas habet.

Digitized by Google

Protinus ſunt cumuli arenæ nigerrimæ tres, valde excelſi. Poſt hos fuit Charmotas portus centum fere ſtadiorum ambitu, ingreſſu anguſto, omni Scaphæ periculoſo, in quem exit flumen, in cuius medio inſula iacet arboribus plena, & cultui apta. Trans ipſum in Sidenis in latitudine 27. ſita eſt Medina, de qua paulo inferius dicam. Sequitur litus aſperum, & Regio Nomadum, qui ex Camelorum lacte, & carnibus vitam fouent, iiſque vtuntur, tam in pugna, quam in itinere, quod tantum pondus ferant quantum duo cameli: Poſt ſexaginta autem circiter leucas incurritur in oſtium fluuij Eda in cuius aquis reperiuntur ramenta auri, ſed artem eorum in maſſam conuertendorum olim ignorabant.

Camelorũ vtilitas.

3. Horum omnium litorum incolæ dicti Ptolemæo Thamyditæ, Sideni, Daræ, Banubari, Aluaræ, Cinedocolpitæ, quorum alij paſtores, alij agricolæ, quidam nautæ, quorum Regia Zaara pene ad oſtium Bœtij in lat. 26. 40. quod ipſum eſt flumen quod hodie dicitur Eda. Talis erat facies horum litorum quantum poteſt colligi ex antiquis: nunc celeberrimus huiuſce tractus portus eſt Gidda, aliis Inda vulgo Ziden olim Zaara, quantum colligo ex eadem vtriuſque vrbis latitudine, cui & ſi nihil aut ad victum, aut ad alios quoſcunque vſus proximus ager ſufficiat, celeberrimum tamen eſt emporium, in quod veluti certatim ſuas merces, innumeri mercatores conuehunt, vt inde Mecham, Medinam, & vſque in Ægyptum per Camelos traducantur. Habet hæc ciuitas magnificas domos, & multiplici contignatione diſtinctas, ſed difficiles acceſſus ob anfractus viarum multiplices, quibus in vrbem itur, nec non litus propter arenaceos puluillos & lutum maxime lubricum, tamen quia diei tantum itinere verſus Boream trans Edam fluuium in lat. 23. ſita eſt Mecha, ideo portus eſt peregrinorum, qui praua inducti religione ad falſi Prophetæ ſepulcrum vndique confluunt.

Debæ.

Gidda emporium rubri maris celeberrimum.

Orosius, & Massæus l. 5.

4. Mecha opidum eſt in montoſa plaga erectum, cui Princeps Arabs, Turci beneficiarius clientaris imperat, qui occupat regionem intercluſam inter hanc vrbem & mare Rubrum, patentem nouem horarum itinere. Itaque pro commiſſo ſibi ſiue munere, ſiue canone tenetur ire obuiam Carauanis cum 400. aut 500. equitibus, quos habet in ſua ditione. Inter fana quæ hic conſpiciuntur plurima, famoſum præſertim illud eſt, quod extructum ibidem vbi habuerat ſedem, cultum ab indigenis idolum, tum cum ſuſceptus in lucem Mahammetes, vulgo, Mahomet. Hic aromata, odores totius orbis ſuauiſſimi, & balſama odoratiſſima palam

Mecha.

Sultanus Mechæ.

Digitized by Google

palam veneunt, nec non plurima auri infecti pondera. Pretioſæque gemmæ, anathemata principum Mahumetanæ ſectæ, maxime Indicorum Regum. Ante annos aliquot Ludouicus Romanus Patritius anno 1503. vidit Monocerotem geminum, quorum vnus corporis proceritate elatior erat pullo equino 30. menſium ſimilis, prominebat in fronte cornu vnicum longitudine 3. cubitorum, coloris erat equi muſtellini, caput cerui inſtar. Ferociam certa quadam comitate condiebat. Sultano Mechæ dono miſerat Æthiopum quidam Rex. Poſt dies 10. Carauennæ decurſis 60. leucis à Mecha perueniunt Medinam Talnadi, ſeu Prophetæ vrbem, intercurrente inter vtramque tropico cancri, in huius vrbis meditullio ingens cernitur moles Coloſſæo Romano, quod olim amphitheatrum Veſpaſiani dicebatur, fere par & ſimilis. Perfidiſſimi hic eſt etiam Pſeudoprophetæ delubrum, altiſſima turri conſpicuum, concameratæ ſtructuræ, longitudinis paſſuum 100. latitudinis vero octuaginta, columnis quadringentis fultum, eius vndique parietes auro abducti incomparabili ſplendore fulgent, maxime dum Lychnorum penſilium ad tria millia perpetuo ardentium lumen recipiunt, incredibili fulgore intuentium oculos perſtringunt. In huius delubri medio arca eſt, in qua Mahumetis corpus conditum, cum vmbella ex aureo panno gemmis diſtincta, illuc ſingulis annis à Turcorum Imperatore miſſa, magno, ſupra quam credi poteſt in cultu, & honore eſt, atque vt ſit magis loci reuerentia ſingularis, ſecluditur à reliquis fani partibus cancellis argenteis, quibus prædictæ lampades perpetuo igne prælucent. Qui de commerciis, indulgentiis, & ritu ſacrificandi qui apud Mecham obſeruatur voluerit plura cognoſcere, legat nauigationem Ludouici Romani Patricij lib. 1. cap. 15. 16. 17. 18.

Vnicornu vnicum.

Medinæ vrbis delubrũ.

Brocbard. Aloyſ Cadamus Lud. Romanus & ex iis Adrichom.

CAPVT VIII.

De Arabibus, Saracenis & Dogmatibus Mahometis, eorumque refutatio.

1. CVm hodie præcipuè Saraceni dicantur Arabiarum incolæ, inter omnes gentes Mahumeto maxime addicti, locus admonet vt de Saracenorum geſtis, & de Mahumetana ſuperſtitione paucis multa perſtringamus. Eorum, vt dixi nomen repetit Stephanus ab vrbe Saraca in Arabia felice ſita in long. 75. 30. 14. 30. Ipſi à Sara vxore

Abrahæ, alij ab Agar eius ancilla, & nonnulli ab Iſmaële filio eiuſdem, vnde & Saraceni & Agareni, & Iſmaëlitæ reperiuntur dicti; vt vt ſit ſemper fortes & feroces Sagittarij fuerunt, vagi & ſine certis ſedibus, paſſim inerrantes, Camelorum lacte & carnibus viuentes, omnibus infeſti. Pompeio magno res in Aſia gerente, Romanis primum innotuere, non exiguam ipſis nauantes operam. Poſtea iiſdem ſunt magno odio habiti, quod limites Imperij vexaſſent, maxime ſub Conſtantino magno. Rurſum Iuliano Imperatori contra Perſas proficiſcenti adfuerunt, ſed lubrica & venali fide: Poſtea illorum potentia mirum quantum aucta eſt. nam & circa annum Chriſti 640. Perſarum regnum obtinuerunt, longeque adhuc amplius propagata eſt, ex quo Mahumeto addicti, ſuperſtitionem eius ſunt amplexi, pleriſque armorum gloria & victoriarum ſucceſſu religionem hanc æſtimantibus. Nam cum ſub Heraclio Imperatore exiguus ignis ſine labore potuiſſet reſtingui, adeo poſtea exarſit, vt nullus amplius fuerit remedio locus; breuique poſt Africam, Ægyptum, & Syriam perculſam magnis copiis, ipſam Conſtantinopolim obſidione premere ſunt auſi. Cum vero in Africa eſſent iam pleraque omnia in Saracenorum poteſtate, Regnante Ruderico acciti à Iuliano comite, cuius filiam aut vxorem Rudericus ſtupro violauerat, tranſmiſſo freto Gaditano in Hiſpaniam profuſi, fertiliſſimos eius agros occuparunt anno Chriſti 712. quos & tenuerunt ad annum Chriſti 823. Cretam occuparunt & Siliciam anno 828. exindeque Calabria & Apulia, & Italiæ pleraque Saracenis paruerunt.

Ammian. l. 14.

2. Quod ad Mahumetem attinet hic apud Homeritas in Arabia felice natus, Hali parente Iſmaëlita paupere, de Camelorum paſtore, locupletis heræ coniux factus, cum in Paleſtinam abiiſſet cum Chriſtianis Iudæiſque colloquens, adiutore Sergio monacho, qui ob hæreſim eiectus Eccleſia fuerat, ex omnium colluuione ſectarum, nouum illud fabricatus eſt monſtrum, cui ſolido mendacio autoritatem addidit. Cum enim à Dæmone & Comitiali morbo iactatus identidem corrueret, mœrenti ob id vxori perſuaſit Gabrielis ſe Angeli conſpectu & alloquio conſternatum ſic affici: Idque confirmante Sergio, mulierculæ opera latius diſſipatum, ac vulgo creditum. Ad eum accurrere primum Iudæi, deinde Manichæi, Saraceni, Turci, tandemque ſibi conciliauit regnum Arabum: ſcribit Theophanes decem annis occultam hæreſim illum habuiſſe ac 19. poſtea vi

Theophanes, Cedrenus, Damaſcenus.

Digitized by Google

ferroque propagatam aſſeruiſſe. Illud conſtat anno Chriſti 622. Iulij die 16. feria 6. fugam eum arripuiſſe, cum ob erroris nouitatem de vita periclitaretur. ab hac fuga quam Hegiram vocant Arabes id eſt perſecutionem, illorum Epocha proficiſcitur. Ipſe eſt qui anno Chriſti 628. ex Æthribo felicis Arabiæ regione cum Saracenis ſuis ad Heraclium accedens agrum primus impetrauit ad habitandum, ac poſtea anno 631. obiit qui eſt decimus ab Hegiræ primordio. Cadauer eius à canibus ſemeſum perhonorifico ſepulcro conditum eſt ab ipſius Diſcipulo & ſucceſſore Homure. Hegiræ Arabum Epocha.

3. Porro vt Mahumetanæ ſectæ vanitatem oſtendam & paucis refellam, ſummam eius hic aperio. Primo aſſerebat miſſum ſe à Deo ad Arabas, vt in iis Idololatriam vi & gladio penitus extingueret. Negabat in Deo Trinitatem perſonarum & cóſequenter Filij incarnationem. Admittebat vnumquemque in ſua religione ſaluari poſſe modo Deum verum adoraret. Habebat Ieſum & Moyſem tanquam veros Prophetas, & Dei ſeruos ac nuntios, eorumque doctrinam, legem ſcilicet Iudaicam & Euangelium probabat, quibus qui obedirent, ſaluarentur. Suis tamen diſcipulis Euangelij, legiſque Moſaïcæ lectionem vetabat, & edixit ne quis de traditis à ſe inſtitutis diſputaret vel ea examinaret. Rurſus ex Azoara 2. 28 47. 48. & 62. conſtat ſuis propoſuiſſe corporum reſurrectionem. Animorum immortalitatem, & vitam æternam. Deum operibus bonis mercedem reponere, & bonos in æternæ beatitatis ſedes debere deduci. Quale autem ſit beatitudine fruentium cæleſte gaudium, ſic variis in locis illud deſcribit. Frequentes, inquit, & ampli erunt horti, fontibus amœni, qui dulciſſimas, & limpidiſſimas aquas euibrabunt: arboribus conſita pomaria, in quibus fructus erunt omnis generis, ſaporis, odoris, & coloris gratiſſimi: Ad hæc mulieres decentiſſimæ & mundiſſimæ: meminit & annulorum torquiumque aureorum, veſtium ſericarum viridis coloris & lectulorum gratiſſimorum molliſſimorumque in quibus decumbent, additque hanc fore mercedem maximam & interminabilem & his potiſſimum potituros, qui vel hoſtes occiderent, vel occiderentur ab hoſtibus. Succeſſiſſe vero in regno Mahometi Eububezer ſiue Abubachar annales tradunt. Mahumeti dogmata.

4. Verum quod ad primum eorum quæ propoſuit attinet, cui non videtur ridiculum & ineptum quod ait Mahometus ſe à Deo miſſum, vt Arabas ab Idolorum cultu ad Dei veri cognitionem & cultum, vi armorum conuertat? Hoc- Eorum refutatio.

cine eſt homines religioſos facere, cum nemo Deum religioſe colat, nec in eum credat niſi volens, non coactus, non inuitus, nec Deo cordium ſcrutatori placeat ſeruitus coacta, aut externa quædam religionis ſimulatio? Nonne hæc opponuntur, hominem credere & hominem cogi ad credendum. Quid vero Arabibus illis vi & armis perſuadere debuit Mahumetus? Id videlicet vnum Deum eſſe Deum, & Mahumetum eius nuntium eſſe. Egregia ſane doctrina: cum enim ratione ipſa naturali Philoſophus probare poſſit vnicum eſſe Deum, nonne ad id hominibus rationis compotibus perſuadendū aptior erat Philoſophus, quam Mahumetus ferro, ignique armatus. Si non aliam ob cauſam Arabes credere debuerunt Mahumetum eſſe Dei nuntium, quam vt ei aſſerenti non alium Deum eſſe quam Deum crederent, ſuperuacanea fuit Mahumeti miſſio legatioque cum abſque vlla reuelatione diuina, aut interprete Dei, ſola Philoſophia, ratioque & doctis euidenti ratione eam veritatem ſuadere, & indoctos vt idipſum certiſſimè credant mouere potuerit. Vana ergo eſt ratio, qua lex illa vult facere religioſos, ſolaque Philoſophia fuit aptior, quam Mahumetus ad perſuadendum quod credi volebat.

Secundum quod in ea Secta arguo, eſt quod nihil plane ſanctitatis continet aut docet. Nullam quippe de rebus diuinis ſcientiam habet, imo meras interdum fabulas narrat. Nec enim in toto Alcorano leges quonam modo mundus iſte ſit à Deo factus, vnde tot calamitates homini accidant, diuinam prouidentiam damnat potius, quam commendat, cum fati neceſſitatem inducit. De peccatorum expiatione morumque conuerſione ac pœnitentia nihil niſi ſuperſtitioſum tradit, non enim aliud quam ablutiones quaſdam corporeas pro purgandis animis imperat, ſeque à ſordibus libidinum ſuarum mundatos credunt, ſi os, oculos corporiſque meatus, & flagitiorum, facinorumque inſtrumenta aqua pura, limpidaque abluunt, quæ inanis & vana ſuperſtitio eſt, niſi vt ſummum interioris pœnitentiæ & affectus animi ſignum ſit & ſacramentum. Ac demum quod totius ſanctitatis & morum probitatis caput, & principium eſt, nihil de beatitudine niſi ſtolidum falſum, impiumque ſecta illa docet. Quale enim eſt apud eos beatitudine fruentum, cœleſte gaudium? quid horti, viridaria, fontes, ſpecioſæ mulieres, lectuli molles, delicatiſſimi cibi, veſtes ſericæ, quid magis ridiculum quam hoc proponere? Certe cum religio ſit diſciplina ſalutis & contineat præcepta, quibus homo vitam conformans,

Digitized by Google

conformans, veram beatitudinem aſſequitur, nihil certius, planius, & clarius tradere debet religio quam bonum illud in quo beatitudo poſita eſt. Errat igitur in re eſſentiali Secta Mahumetana ſi non aliud ſit hominis bonum quam felicitas ea quam ſuis propoſuit aſſeclis. Primum quia ſummum hominis bonum debet eſſe tale, vt hominem faciat eſſe meliorem, imo facere optimum debet & perfectiſſimum, ideo enim dicitur ſummum quod ſumme perficiat & in ſummo dignitatis gradu & perfectionis conſtituat; at voluptas corporis hominem non ſolum non facit optimum, ſed longe deteriorem, quippe experientia comperimus homines abundantes deliciis, vt plurimum ſtupidos hebetes plumbeos ad ſapientiam, & diuina percipienda prorſus ineptos, vitamque ipſorum flagitiis inquinatam.

Denique beati poſt hanc vitam vel egebunt cibo potuque & tunc non erunt Beati, nec immortales, ſed corpore erunt labili; ſi non egebunt, cur iis vtentur; ſi vtantur etſi non egeant nec poſtulet natura, ea in ſordes & excrementa cum debeant abire locum beatorum immani fœtore complebunt. Pari modo poſt hanc vitam aut erit procreatio aut non erit: ſi erit, vel proles erunt beatæ & immortales & ſic creſcet numerus beatorum in infinitum, vel non erunt beatæ, ſed mortales ac proinde cœlo exturbandæ, nec beatitudinem merentur: ſi non erit procreatio, quorſum vſus venereus? ſolius enim voluptatis cauſa vti venere, brutorum eſt animantium quæ cum non poſſint intelligere in quem finem hic vſus ſit conſtitutus ſolam apprehendunt voluptatem.

Ad extremum vanitas huius ſectæ depræhenditur, quod probet legem Chriſti hunceque Dei prophetam maximum, ac conſequenter veracem & tamen negat eum eſſe verum Deum, nec adorat, cum tamen Chriſtus ſe Deum eſſe profeſſus ſit, & quotquot in ipſum non credunt damnet.

CAPVT IX.

Sabæi, Homeritæ, Sultanus Amaniorum, & Sultanus Aden.

1. STatim à Bætio amne, Ptolemæus ponit Caſſanitas quorum regiam Stephanus vocat Badeos: poſteaque Sabæos, à gradu 17. ad 13. horum fuit gens maxima & terra feliciſſima, ſi conferatur cum ſuperioribus, quæ Tropico ſubiacent, hæc quippe temperatior, aquis & imbribus large prædita eſt. Naſcitur in ea Thus & Myrra & Cinnamomum,

Caſſanitæ. *Sabæi.* *Strabo l. 16 p. 778.* *Odores.*

in ora etiam Balſamum & alia quædam herba valde odorata, quanquam eius odor cito euaneſcit, habent præterea palmas odoratas & calamum. Homines propter maximam fructuum copiam, otioſi, ſocordeſque viuunt. Ad radices arborum cubant, atque inde merces proximi ſuſcipientes, protinus alter alteri conſequenti tradunt vſque in Syriam atque Meſopotamiam. Vbi vero fragrantia, Caron (quod genus eſt ſoporis ſtupidi) induxit: bituminis ſuffitu & hirci barba eum abigunt. Sabæorum regiæ memorantur duæ, altera Meriaba, quam Strabo dicit ſitam in monte arboribus pleno: altera Sabæ in lat. 13. o. plebis pars agros colit, pars aromata mercatur & Indigena & Æthiopica: nauigant ad ea per anguſtias, nauigiis ex corio confectis: Tanta autem apud eos eſt aromatum abundantia, vt pro ſarmentis & cætera ignis faciundi materie, cinnamomo, caſia, cæteriſque vtantur. Naſcitur & Larimum ſuffitu odoratiſſimum.

Palmæ odoratæ. Odores inducunt Caron, hoc eſt, ſtupiditaté. Meriaba. Larimum.

2. In his litoribus Ludouicus Patricius Romanus nauigationis l. 2. c. 2. ait ab emporio Gidda perueniri ad vrbem Gezan, quæ portum habet, & commodum, & elegantem. Vrbs litori adiacet, principique Mahumetano paret, Ager ferax eſt non ſecus ac Italia, fert in primis mala Cydonia, punicaque ac Aſſyria & optimas vuas, perſica, pepones, roſas, flores multiplices, poma citrina, allium, cepas. Ibi etiam eſt ſumma vbertas carnium, & rei frumentariæ, hordei, milij Albicantis, Dora ipſi appellant: ex quo ſuauiſſimus conficitur panis. Incolæ plerumque nudi agunt, in reliquis more Mahumetanorum degunt. In latitudine graduum 15. mare excipit fluuium Zibit cui appoſita vrbs regia Zibitum item dicta 12. leucas remota à mari, quæ opibus referta erat, & cultu viſenda quando Solimanus Mitylenæus eam intercepit anno 1538. Sita eſt in planicie, & inter duos montes, nunc caret mœnibus, præcipuumque eſt Aromatum & ſaccari emporium. Oſtio prætenditur inſula Camaranum 8000. paſſibus remota à continente, cuius perimeter patet ad 10000. paſſus; locus haud inamœnus eſt, perennibus aquis & pecorum armentis abundat, ſicut & Sale: ad hæc ingentes ædificiorum ruinæ celebrem olim tectis & opibus fuiſſe teſtantur. Arx in ea à Solymano extrui olim cœpta, cuius murus erat latus duodetriginta pedes, quæ poſtea à Luſitanis diruta eſt. Paret Sultano Amaniorum, id eſt Arabiæ felicis. Apud eos olim effodiebantur auri non ramenta, ſed glebulæ quædam, quæ non multa purgatione indigebant, magnitudine nucis, quas perforabant & alterne componebant lapillis

Geza. *Maffeius hiſt. Indic. l. 7.* Zibit ſaccarum & aromatum emporium. Caramanũ inſ. *Maff. l. 5. & Ludouicus Patricius.* Sal. Sultanus Amaniorum.

lap illis pellucidis, & ex iis armillas faciebant quas inſerto filo & collo & manibus circumponebant, vel vendebant vicinis vili precio, æris triplo, argenti duplo. Ita de his partibus Strabo.

3. Poſt Sabæos fuit Eliſanorum regio thurifera cuius præcipua emporia fuerunt olim Muza in lat. 14. o. & Ocelis in lat. 12. o. ad quæ quotannis ſe conferebant Romani nauibus Alexandrinis, vt thus & odores Arabicos eueherent, & ex portu Oceli ſe in Indias conferrent. In ipſis faucibus Arabici ſinus eſt inſula Melium, in qua locus extruendæ arci commodiſſimus; in ea Albuquercius crucis trophæa fixit, quæ à quatuor paſſuum millibus conſpici poterat, & ab eadem ſacroſancta cruce nouum inſulæ nomen impoſitum.

Arianus in Perip. *Maffeius.* Maza. Ocelis. Melium inſ.

4. Poſt Rubri maris anguſta, fuit Homeritarum regio, in qua fuit Arabia emporium in latit. 11. 30. vbi nunc Aden. Apud Homeritas olim à temporibus Conſtantini coaluit Eccleſia quæ dire poſtmodum vexata fuit ab impuriſſimo apoſtata Dunan, ex Chriſtiano facto Hebræo eiuſdem prouinciæ Rege. per Homeritas omnes merces ad axumitas Africæ olim vltro, citroque deferri ſolitas ſcribit Nicephorus.

Vide Baron. ad an. 522. Homeritæ. Arabia emporium. Dunan.

5. Enauigato igitur freto, raſoque per 40. circiter leucas litore venitur Adenum ad opidum totius Arabiæ munitiſſimum, ditionis Turcicæ, cuius geminum latus ſepiunt mœnia: quod ſupereſt, montibus occluditur, inque iis 5. ſunt arces, in ſolo autem æquali vrbs quæ 6000. ædes continet. Commercia in nundinis noctu hora ſecunda ob nimios æſtus exercent: prope vrbem ad lapidis iactum mons eſt in eoque arx ſita, ad radices ſtant naues, quæ ex India, Æthiopia, Perſide confluunt, ſicut & quæ ad Mecham frequentes contendunt, quæ vbi appulerunt, adſunt præfecti vectigalium, percontantes vnde ſoluerint, quidve conuehant mercium & quot in ſingulis ſint homines: & armamenta alio exportant, donec perſolutis vectigalibus fiat ipſis abeundi poteſtas. Quam ſæpe fuerit à Luſitanis tentata vide apud Maffeium.

Ademum. Mundinæ quæ exercentur noctu.

Narrat Paulus Venetus l. 3. c. 46. ſuo tempore, id eſt anno, 1200. Sultanum Aden ita diuitem propter vectigalia, quæ ex aromatibus & aliis mercibus colligebat, vt ad Sultanum Babiloniæ qui obſidione cinxerat ciuitatem Aconenſem miſerit in auxilium triginta millia equitum & quadraginta millia camelorum, non quod vſque adeo cuperet eius res promoueri, ſed quod omnes optaret extinctos Chriſtianos. Abundat thure albo optimo, quod ſtillat ex arboribus inciſis abieti

Sultani Aden potentia.

Digitized by Google

ſimilibus. Abundat & dactylis, ſed præter modicum rizum nullum producit frumentum, verum aliunde importatur. Abundat autem piſcibus optimis præſertim tunnis, qui ibi habentur optimi, vinum non habent, ſed ex dactylis rizo, & ſaccaro optimum faciunt potum. Verueces in hac regione ſunt parui qui pro auriculis habent cornua, & caudam ponderis librarum 44. equi, boues, cameli atque oues veſcuntur piſcibus, qui quotidianus illorum ſunt cibus, quum illic ob immenſum calorem herbæ & frumenta haberi non poſſint. Fit autem tribus anni menſibus, piſcium captura, ſcilicet Martio, Aprili & Maio. Hos piſces ſiccant, & ſeruant, atque per totum annum animalibus edendos pabuli loco proponunt, veſcuntur autem libentius deſiccatis, quam recentibus. Fiunt ab incolis panes bis cocti ex piſcibus minutatim conciſis & in modum farinæ contuſis, atque ad ſolem deſiccatis, iiſque ſicut & eorum iumenta viuunt toto anno.

Verueces quorū cauda ponderis lib. 44.
Piſcibus veſcuntur homines & iumen.

6. Poſt Homeritas Ptolemæus conſtituit Adramitarum regionem in qua conſtituit Cane emporium in latit. 13. 30. Prionis fluuij oſtia nunc Plin, & Zagros extrema 14. o. nunc Zazalgate.

Cane emporium.

Ad Prionotum montem in longit 84. 40. & latit. 13. ſunt Prionis nunc Prin fluminis oſtia cuius fontes in long. 82. lat. 17. 2. cui oppoſitæ in vtraque ripa celebres vrbes: in dextera quidem ripa Taëſa monti impoſita gratiſſimi aſpectus, in qua roſaceæ aquæ magna vbertas, vrbs antiqua vbi Templum ad inſtar eius quod Romæ cernitur ad rotundam. Paulo inferius eſt Dante vrbs munita arce. Lagi in aruis planiſſimis ſita, vrbs Populo frequens, carnibus, & frumento abundans, ſed lignorum egens.

Prion fl. *Taëſa.* *Roſaceæ aquę magna copia.* *Dante.* *Lagi.* *Ludouici Patricius Rom l. 2 7*

In ſiniſtra autem ripa ſunt vrbes Rhada partim in decliui colle, partim in ſubiecta planicie ſita, viſu pulchra, hominum frequentia nec non opibus præcipua. Aiaz in colle gemino poſita eſt intercurrente latiſſima valle, inque ea fons ſignatus, commerciorum cauſa in eam plurimi proficiſcuntur. Fert ea regio Xilon, Sericum, fructus multiplices & admodum ſuaues, vuaſque optimas: ex vtroque montis ſummo ſunt arces munitiſſimæ. His vrbibus anno 1503. imperabat Sultanus felicis Arabiæ dictus Sechamir, hoc eſt, princeps ſanctus, quod humarum cædium ſi bella excipias fuiſſet expers. Reſidet vt plurimum in vrbe Almacharan quæ diſtat itinere 2. dierum ab vrbe Dante. Sita eſt in monte eminentiſſimo ad quem non peruenitur niſi poſt confecta ſeptem milliaria itinere difficili, & quod bini homines complent.

Rhada. *Aiaz.* *Xilon & Sericum.* *Almacharan.*

Digitized by Google

Vbi vero in ſummum euaſeris montem, ecce tibi planiciem ſic amplam, vt fruges, & aquas producat quæ centenis hominum millibus poſſint ſufficere, cœli clementia & ſalubris aëris talis eſt, vt vrbium nulli ſit ſecunda. Tantum auri dicitur Sultanus aſſeruare, quantum onerandis camelis centum ſufficiat. Incolæ videntur albicantis coloris. Itinere vnius diei à ſupradicta vrbe alia eſt dicta Reame ab incolis nigricantibus culta, qui eximij ſunt negotiatores: numerantur in ea bis mille ædes. Ager caret ligno, habet vuas ſine vllo interiori Acino omnium ſuauiſſimos & fructus omnis generis, ob incredibilem cœli temperiem, vnde & plures hic videre eſt homines qui centeſimum & vigeſimum annum excedunt. Honeſtiores ſola interula veſtiuntur, mulieres autem caligis laxioribus inſtar remigum vtuntur. Hic ſunt verueces quorum cauda æquiponderat libris 44. adeo pingues, vt vix poſſint incedere. Sed iterum conferamus nos ad litus maris. *Mons altiſſimus & gratiſſimus.*

Syagros Ptol. 7. Celeberrimum eſt in his partibus Promontorium Fartaque ſitum in lat. 14. 30. & ſatis nominata vrbs eiuſdem cum Promontorio, ipſoque regno cognominis, centum leucis diſtans Adeno. In his partibus ſingulari priuilegio adhuc thus naſcitur. Si 30. leucis à Promontorio Fartaco diſceſſeris, incurres in vrbem Narſar dictam aliis Doffara, exquiſitiori totius Arabiæ thure locupletem, nec non domibus præcelſis arduam, quarum non lignea, ſed lapidea ſtructura eſt, partim Æthiopum, partim Arabum ſedem, ac niſi vrbem ingredi voles, poteris ad litus in pago ſubſiſtere vrbi contermino. *Fartaque.*

8. Hinc vltra 35 leucas penitus in altum progredientibus occurrunt inſulæ Curia Muria ad oſtium Hormani fluuij, ad quas refici naues ſolent. præcauendum tamen ne quid nauis detrimenti patiatur à quodam vento qui ſub initium Maij tam vehementes flatus ſpirat, vt ſtare tum ad litus nulla nauis queat. A Curia Muria ad Promontorium Zazalgate 120. leucæ in ſterili, incultoque ſolo, Corodatum putatur dixiſſe Ptolemæum, quamuis illud ponat in gradu 20. cum Zazalgate ſit. in 22. Superato eo promontorio recta itur in ſinum Armuſiæ. Non omittendum, hanc Arabiæ partem, quæ Meridiem ſpectat, eam eſſe quam tantopere prædicat Erathoſtenes, & Periplus maris Erythræi, qui in ea ponunt ſinum Barbarum, quem extendunt ad Promontorium Rapton in quo ponunt Rapta Metropolim Barbariæ. *Inſ. Curia Muria.* *Zazalgate.*

Digitized by Google

CAPVT X.

Armuziæ Regnum, indeque quod ſupereſt litoris ad Euphratus oſtium.

1. HVic nomen dedit Armuza ciuitas Caramaniæ quam Ptolemæus ponit in long. 94. 30. lat. 29. 30. Regno dedit initium Mahamed Dranku Princeps oriundus ex Regibus Sabæ, qui victorias promouens ad litus maris Perſici, parata claſſe ad Calaitam tranſmiſit in Perſidem, & conſtituto ſibi regno, illud denominauit ab Armuza vrbe, in qua ſedem fixit. Huic cum ſucceſſiſſent Reges 15. circa annum Chriſti 1302. Turſi vaſtata Perſide, & Armuzia, coactus eſt Rex Ayaz in inſulam Gerun ſedem regni & nomen tranſferre. Torus Rex 12. ab eo, æræ Chriſti anno 1515. victoriis magni Albuquerquij territus, in Emanuelis Luſitaniæ regis clientelam conceſſit, eidemque Seraphinum (is numerus aureus eſt) millia 15. promiſit pendere tributi nomine in ſingulos annos, & locum condendæ arci, quem Albuquerquius delegit ex vna parte conuerſum in mare, ex altera ad ipſam regiam pertinentem, quo ſimul ad maritima ſubſidia liber eſſet aditus & ipſa propinquitate, regem, regioſque in officio contineret. Emanuel viciſſim regem in patrocinium ſuſcepit, & promiſit vbi neceſſe foret ab hoſtium incurſibus omni ope eum tueri. Poſtea in hanc diem filij regum parentibus ſucceſſerunt, ea lege, vt qui à Perſis proponerentur, fide clientari data regi Luſitaniæ, ſceptrum & coronam acciperet ab arcis gubernatore. Quæ omnia ſic perſeuerarunt ad annum Chriſti 1622. quo Chanus Princeps Xiras, euocatis ex vrbe Surate in auxilium nauibus Anglicis, pulſis Luſitanis ſe in libertatem vindicauit 24. Aprilis. Arce & vrbe occupatis.

Ex hiſt. Societ. Ieſu l. 9. n. 130. Oroſ. l. 5. Maffeus.

Armuziæ rex.

In Clientelam Regis Luſitaniæ concedit.

Liberat ſe ab iis, Angelorum opera.

2. Cum autem ſcribendi ratio Geographica non permittat, vt bella quæ Luſitanos inter, & Perſas contigerunt fuſius perſequar, Paucis dicam patere hoc regnum ſecundum litus Arabiæ leucas 86. à Corodamo promontorio vulgo Razalgate dicto ad Azaborum caput & fretum Moncadan, & in Carmania per leucas 70. in longum ab vrbe Lorm in finibus Perſiæ ad vrbem Baha, in latum vero verſus Orientem per leucas 28.

Termini eius regni.

Hæc autem felicis Arabiæ Regio inter prædicta promontoria comprehenſa dicitur Hyamanus, id eſt fertiliſſima totius

Hyaman.

tius Arabiæ quam obtinebant olim Libanotophori & Macæ. Libanotophori. Partis autem huius primaria vrbs Calaiata ad radices montis Macæ. ſita continet focorum circiter 4000. eſque ſedes præcipuæ Calaiata. nobilitatis & emporium celebre: vrbes aliæ ſunt Tibi, Dagma portus, curiat, Ceti & Maſcate ſua magnitudine & opibus famoſa, Maſcate. in qua Chriſtiani promiſcue cum Arabibus, Indis, & Iudæis degunt, longe tamen illis numero inferiores fuerunt Iudæis Sinagogæ, Mauris fana, & Luſitanis arx cum præſidio. Azaborum promontorium dictum nunc Moncadan Moncadan. ſtatuitur à Ptolomæo in lat. graduum 23. cum reuera ſit in gradu 26. 27. Poſt 8. leucas ab eo Promontorio eſt Limmas Limmas. quæ licet dicatur regni terminus, cum tamen in tota hac ora Arabica Turcus nihil munitum obtineat, præter Baſſoram ad oſtium Euphratis ſitam, careatque prorſus tota regio ligno fabricandis nauibus idoneo: quicunque Armuziam nunc obtinet, is dominus eſt litoris Arabici & omnium pene inſularum quæ in eo continentur.

3. Et vero poſt Azaborum promontorium illico Ichtyophagos Ichtyophagi. conſtituit Ptolemæus, quorum regionem ſic deſcribit Strabo, Strabo l. 5. p. 720. vicina mari eſt, magna ex parte arboribus caret, penuria in ea palmarum, achanti, myricæ; aquarum & domeſtici cibi maxima eſt. Veſcuntur piſcibus, tum ipſi, tum eorum pecora, Piſcibus viuunt ſicut & eorum pecora. & aquas pluuias è puteis & foſſis hauſtas potant. Domos ex oſſibus cetorum, & oſtreorum conchis magna ex parte condunt: nam trabium & fulcrorum vſum coſtæ præſtant portas maxillæ: è vertebris fiunt mortaria, in quibus piſces tundunt ad ſolem aſſatos, vel in furnis, poſtea ex his panem conficiunt, frumenti paululum admiſcentes: pleroſque piſces crudos edunt: capiunt eos retibus ex cortice palmarum factis. Vbique autem hic tanta eſt rerum omnium penuria, vt fame preſſi ad 6. aut 7. leucas aliquando natitent incolæ ad aſpectũ nauis, vt à nauigantibus dactilos aliquot, panis recocti ſemeſa fruſta ſibi in ſtipem erogata referant. Reliquum litus felicis Arabiæ Ptolemæus ait ſuo tempore vrbibus decorum fuiſſe, inter quas ponit Gerram.

CAPVT XI.

De ſinu Perſico, & inſulis, ad quas vnionum piſcatus eſt.

1. A Sinu Armuziæ venitur ad ſinum Perſicum qui à promontorio Moncadone in vrbem Baſſora 280. Sinus Perſici. leucis prominet, in ſua inconſtans latitudine, hic preſſius

Digitized by Google

Amplitudo. arctatus, alibi fuſius in latum explicitus: Altitudinem habet 60. aut 80. orgiarum: ſi tamen propius ad inſulas acceſſeris demiſſa bolide vix eam comperies duplicis, aut ad ſummum triplicis orgiæ. Regiones multas perlabitur & primum

Accolæ. quidem Orientale latus felicis Arabiæ in quo degunt miſerrimi hominum Ichtyophagi, quos proxime deſcripſimus. In imo Arabes, Chaldæi, Babilonij, & conuerſo in Orientem litore Suſiani, Perſæ, Caramani. Duo autem ſunt, quæ non leuiter faciunt ad ſinus Perſici commendationem: Alterum ab vnionum piſcatu petitur, alterum à copioſo mercatu in vrbibus Baſſora, & Armuzio exercito, de quo dicemus aliqua cum de iis agemus. Quod autem ad vniones ſpectat licet in

Inſulæ 40. omnibus pene huius maris inſulis quæ ſunt, vt minimum 40. eruantur nunc vniones, ſunt illi tamen præ cæteris clari, pellucidi, craſſi, rotundi, orbiculares, ponderoſi (in quibus

Vnionũ dos in quo conſiſtit. vnionum dos conſiſtit) qui inter inſulas Baharem, & Gionphar in latitudine 26. 30. extrahuntur. Nec alibi reperiun-

Baharem. Gionphar. tur inter vniones Iſoperimetros & eiuſdem amplitudinis ponderoſiores. Pretium eorum qui ad Bahorem capiuntur eſt, vt minimum quingentorum millium ducatorum. Pon-

Pondus. derum nomina ſunt Abas, Caratus & Martical: Abas eſt tertia pars Carati, & Caratus vigeſima quarta pars Marticalis: vltra ſemiunciales inuentos negarunt aliqui. Duo tamen, vt obiter dicam, maximi, ideoque laudatiſſimi per omne æuum

Cleopatræ vniones. vniones fuerunt, vtrumque poſſedit Cleopatra, Ægypti Reginarum nouiſſima per manus Orientis regum ſibi traditos, gerebat auribus ſingulare opus naturæ, alterum coram Antonio Aceto reſoluit, alter Romam delatus & diſſectus in Pantheo, Veneris auribus locatus eſt: æſtimatur vtriuſque pretium centies H. S. id eſt ducenta quinquaginta millia. *Plin. l. 9. c. 35. Macrob. Satur. l. 3. c. 17.*

Aliique maxime celebres. In inſula Delle Perle, frequentes olim repertæ nuci inglandis æquales. Spectauit Ouetanus Gallinaceo ouo parem. Iugurtino bello, & Syllanis temporibus primum Romam illati ſunt vniones. Poſtea Caij Principis coniux Lollia Paulina tunicam habuit ex Margaritis ſeſtertio tunc quadringenties æſtimatam. Iulius Cæſar dedicauit Veneri genitrici thoracem è Britannicis Margaritis factum. *Petrus Martyr. Sum. Ind. Ouetan. l. 19. c. 8. Solin. c 66 Teneſtella. Plinius.*

Vbi præſtantiſſimi. 2. Dant omnia maria margaritas; nullibi tamen gentium reperiuntur vniones clarioris candoris quam in ſinu Perſico, in quibuſdam conchis vnica reperitur Margarita in quibuſdam ducentæ, omnibus additur decor, & leuor non medio-

Vniones rutuli in Iaponia. cris, ſi eas confrices & perpolias farina ex oriza & ſale ſimul contuſis. In Iaponiæ litoribus reperiuntur innumeræ, quæ etſi

etſi rutilæ ſint quia tamen craſſiores ſunt & maxime teretes non minus æſtimantur quam Perſicæ.

3. Sub finem Auguſti, obueſtitæ paleâ caſulæ ad receptum piſcatorum extruuntur. Liberum vnicuique venire in partem piſcatus huius, modo certum vectigal pendat Armuſienſibus, qui miſſis à portu Gimbre ad eorum contra Piratas tutelam nauibus, datum ſibi tributum data ſecuritate rependunt: ſub ortum ſolis videre eſt tenuiores cimbas 300. è quibus multiplices in mare funiculi deuoluuntur, facto à pendulis lapidibus ad deſcenſum pondere. Id vero imprimis vrinatores obſeruant, vt oleo quodam quod intromiſſionem aquarum arcet, aures inungant & admoto ad nares Caprino cornu exiguo, apprehendentes aliquem è funiculis illis ſe in mare penitus immergunt, & appenſum è collo ſaccum qua diligentia poſſunt oſtreis implent, & tracto funiculo quaſi dato ad eductionem ſigno ne præfocentur in aquis, quam fieri poteſt expedite ex imo cum oſtreis retrahunt: atque hoc idem exercitium ad ſerotinum vſque tempus identidem renouant. Oſtrea in aceruum poſtea cumulant, capturaque omni finita, cum mortua propter calorem iam ſunt, margaritas eximunt, & in pertuſo vaſe æneo percolantes rotundas à longiuſculis ſeparant & perforant. Trecentæ aliquando nauiculæ in eo piſcatu exercendo laborant, quæ ſi ante finem Auguſti ſe illuc conferrent, nihil in teſtis præter tenacem quendam, & viſcoſum humorem deprehenderent. Vtrum ex ſolis oſtreis ortum ducant, dubitant aliqui, quod in Braſilia in Paratininga reperti ſint vniones bene multi ciceris magnitudine, in foraminibus ripæ fluuij ad quæ non poterant oſtrea penetrare.

Vrinandi praxis. — *Tempus.* — *Acosta anno 1560 ſcripſit.*

4. De conceptu vnionum mira prædicant autores: Nempe ſub Aprilem menſem luxuriante conceptu oſtrea ſitire rorem velut maritum, eiuſque deſiderio tunc plurimè ſummo mari ſe efferre, teſtiſque hiantibus roris aliquot guttulas intus admittere, ſeque in intimas aquas ad id vſque tempus recondere, quo ſub finem Iulij, totumque menſem Auguſtum cum ematuruerint, expectare vrinatores. Pergit Plinius, & ex eo Solinus: Si purus fuerit ros quem accipiunt Conchæ, candicant orbiculi lapillorum: ſi turbidus, aut palore langueſcunt, aut ruſo innubilantur. Si matutini aëris ſemen excipiunt, fit clarius margaritum, quoties veſper fit, obſcurius, ſi repente micauerit corruſcatio, intempeſtiuo motu comprimuntur, clauſæque ſubita formidine vitia contrahunt abortiua, aut etiam perparuuli fiunt ſcrupuli, aut

Conceptus vnionum.

inanes. Quanto magis hauſerit roris, tanto magis proficit lapidum magnitudo. Conchas etiam gregatim natare dixerunt, atque vt apibus, ita examini concharum certam eſſe ducem quæ ſi capta ſit etiam quæ euaſerint in plagas redire. Ita illi, quorum tamen fides non immerito dubia iis qui aduertunt huiuſmodi oſtrea ſiue in aquis ſiue extra aquam eſſe deſtituta omni motu, adeoque interdum robuſta, vt libras 25. imo 40. ponderent, nec vident ex imo vnquam emergere, vt oſcitando rorem admittant. Deinde quia eo reperiuntur vniones maiores, & magis candidi quo altius ſunt in mari depreſſi. Tertio eiuſdem eſſe ſubſtantiæ cum interiori coclea aſſerunt qui aduertunt vnionem adhæreſcere teſtæ quando vi educitur adhuc informis priuſquam omnino maturuerit, quamuis ſi arte expoliatur nec in candore nec in pondere cedat aliis. Denique manifeſtum interiorem cocleam non eſſe fœtum matutini roris cum tamen nuſquam minus ſit clara, imo magis ſit candida quam ſint perfectiſſimi & maxime teretes lapilli.

Concharum dux.

An oſtrea emergant è mari.

An rore producātur.

5. In hunc ſinum quotannis perflant venti triplices Elauu, Eltenus & Elghef: menſibus Nouembri, Decembri, Ianuario, Februario, Martio, & Aprili tempeſtas oportuna eſt tam ingredientibus, quam egredientibus ſinum: menſibus Maio, Iunio, Iulio ingredientibus quidem oportuna, ſed egredientibus aduerſa, contra vero Auguſto, Septembri, & Octobri tantum egredientibus propitia.

Sinus Perſici multiplices venti.

CAPVT XII.

Euphrates fluuius.

Solin c 50 Plin. l. 5. c. 24. & l. 7. c. 9.

1. EVphratem fundunt Pariedres maioris Armeniæ montes, nunc dicti Arca Noë, à parte videlicet illorum dicta Barin, in qua Ioſephus ait hæſiſſe arcam Noëmi, qui omnes feliciſſimo, quantum exiſtimo, illi incubant loco quem olim Paradiſus voluptatis obtinebat. Porrō immane os aperit ſuis radicibus montis quem incolæ nominant Caponem in long. 75. 40. latit. 42. 40. Poſtquam vaſte cecidit, non exit illico àut ſecat agros continuo, ſed late diffuſus in ſtagna, diu ſedet. Piger & ſine alueo. In his ſtagnis quædam itineraria ponunt lacum Chieldor-Giol, è quo pluribus riuis effluit, vnde nomen quod mille fontes ſonat. Vbi marginem rupit vere fluuius eſt, initio Paxirates nominatus, acceptiſque ripis, celer & fremens per Armenios curſum ad occaſum

Ptol. tab. 3. Aſiæ. Mela l. 3. c. 28. Itinerario Ioannis Carthur. Angli.

Digitized by Google

occaſum ſolis agit, & per Cappadoces abiret in Pontum Euxinum, niſi Moſchici montes obſtarent in longit. 71. lat. 41. 30. qui eum frangunt & in Meridiem agunt per Armenias, maiorem Armeniam relinquens ad Orientem, minorem ad occaſum ad Siſmaram & Cataractas Antitauri montis in longit 71. 30. latit. 41. 20. vnde primum nauigatur: receptiſque cùm ex maiori, tum ex minori Armenia aliquot amnibus conualeſcit, & ſtipatus conuenis aquis, luctatur poſtea cum Tauri montis obiectu, quem & ſcindit, reſiſtat licet 12. millibus paſſuum latitudine in long. 71. 25. lat. 38. Hinc diu recta fertur in Auſtrum ad vſque montana Babyloniæ, à quibus retro in Boream flexus vago procurſu iterum nauigatur longis excurſibus dextra Comagenem & Phratenſem, læua Oſroënam relinquens, & Meſopotamiam opimat annuæ inundationis excellibus terris ſuperfuſus, ſole in 20 parte Cancri conſtituto, vnde & ipſi nomen Euphrates, quod frugiferum ſiue creſcentem Hieronymus interpretatur. Præterea cum fluat ripis ſuis pene æqualis, & rari imbres cadant in his partibus, accolæ multas ex eo deriuant foſſas, alias perennes, ex quibus campos rigant, alias temporarias, vnde fit, vt amiſſa aquarum parte haud exigua multis in locis ſit vadoſus, tandemque poſt diuiſam Babyloniam, in varia ſectus brachia vno alueo aquarum partem Tigri committit, qui eas defert intra Baſſoram in ſinum Perſicum, reliquum Euphratis abit in deſerta, vbi in magna palude ſe mergit, & in variis lacubus ſic periit, vt oſtium habeat nullum per quod in mare prorumpat. Conſtat autem Herodoto, Plinio, & aliis non eundem ſemper fuiſſe curſum huius fluuij, ſed detortum ſæpius eius alueum & per illices ac colliquias alio deriuatum, inter quas celebre eſt in ſcriptura ramentum dictum Chobar à Chobare Præfecto Babylonio, qui aquas Euphratis diſpeſcuit, ne præcipiti & violento curſu Babylonem euerteret.

CAPVT XIII.

Diſſertatio de Paradiſo Terreſtri.

1. SEd ecce dum perennes fluuiorum ductus ſequuti, celeberrima quæque orbis terrarum loca perluſtramus, huc tandem, quantum exiſtimo deuenimus, vbi ſe terra circumſpicit, iactatque ſuo in ſinu, Paradiſum continere terreſtrem, Adami regiam & orbis in orbe compen-

Digitized by Google

dium. Non quod illa in hunc vſque diem, hortum ſibi vendicet, omni ſuo cultu antiquo adhuc ornatum, quem Deus illi loco, in fauorem innocentiæ Adami attribuerat: Illas enim delicias ex arboribus & plantis, ex intermicantium florum varietate, fructibuſque omnis generis, ex aëre temperatiſſimo, ex fontibus, aquíſque ſaluberrimis, ex omnium rerum ordine compoſitionéque mirabili, quæ ipſum decebat autorem, probabile eſt obſoleuiſſe vel diuturnitate temporis, vel naturæ ſuapte ſponte ſeneſcentis vitio, cum temporis edacitas non patiatur plantas & flores multis ſæculis perdurare: poteſt & ipſius architecti deſertioni id attribui, potuit & ab aquis Diluuij talis vaſtitas afferri. Sed id vnum pugno extare etiamnum portionem illam terræ nobilem, & extare quidem hic in Armenia, in monte Pariarde, ex quo ingentes quatuor fluuij, quales in ſcriptura aut nominantur aut deſcribuntur, primam ducunt originem è copioſiſſimo & altiſſimo fonte, cuius erumpentes aquæ poſt aliquod ſpacium in 4. diuiſæ alueos per totidem orbis cardines oppoſitas fœcundiſſimæ & limpidiſſimæ diffunduntur. Enimuero ſi ſpectes ſitum, ſaltem conſtat non longe ab Euphrate & Tigri fuiſſe Paradiſum. Cum enim dicat ſcriptura, fontem, qui è paradiſo ad inſtar emergebat, inde diuiſum in quatuor flumina, ſeu, vt loquitur ſcriptura, fluuiorum capita, quorum duo ſine controuerſia ſunt Tigris, & Euphrates, certe ſatis docet Moyſes alios duos nec ab horum fontibus, nec à Paradiſo in longinquiorem procul ſubmoueri. Quid enim ad hanc Moyſis topographiam pertinet longe diſtantium fluuiorum meminiſſe, non attendere autem ad quatuor celeberrima flumina, Eupratem, Tigrim, Phaſim, & Araxem, quæ ex eodem monte orta per quatuor partes orbis è diametro in diuerſa omnino maria, tanta cum maieſtate euoluuntur. Verum priuſquam de tota re ſtatuam, audiendi ſunt ſacræ ſcripturæ interpretes, & quid principes eorum ſuper ea re ſentiant, paucis expendendum.

CAPVT XIV.

Fluuium Paſitigrim non eum eſſe, quem Scriptura vocat Phiſonem.

1. PErerius vir magnæ erudionis, & inter eximios qui ediderunt commentaria in Geneſim, nominis celebritate clarus, ait nullum eſſe inter antiquos autores, qui meminerit

nerit fluuij quem Moyſes vocat Phiſonem, nec cauſam mirationis ſubeſſe, cum in confeſſo ſit, non paucos exaruiſſe fluuios, plures mutaſſe fluxum & alueum, Geographos non meminiſſe plurimorum, quorum tamen obſeruatio digna erat, quæ ſcripto conſignaretur, vel chartis: procliue eſſe, & pronam aberrationem in appellando vno aliquo fluuio, & varia eidem frequenter indita nomina: quibus adductus non difficulter abit in opinionem eorum qui dicunt Phiſonem non eſſe nomen proprium alicuius fluuij, qui ab Euphrate, & Tigride diſtinguatur, ſed potius alueum eſſe, canalem, ſeu Diorygem amborum, qui poſteaquam confluxerunt ſupra Babylonem, iterum non modo diuiduntur, ſed alios præterea duos conſtituunt canales, quorum vnus abit Occidentem verſus, quem Scriptura vocat Gedeonem, alter in Orientem quem Strabo l. 15. Plinius, & Curtius appellant Paſitigrim, quaſi diceres flumen quod ex Tigre & Phiſone coaleſcit, nec enim vt ipſe habet, inter Paſi & Phiſon parua intercedit conuenientia.

2. Hæc ſententia licet placuerit non paucis hominibus eruditis, qui propterea Paradiſum conſtituunt non ad fontes Euphratis, & Tigris, ſed ad confluxum vtriuſque ſupra Babylonem, ſi tamen liceat mihi aperire quid ſentio; dicam ingenue 3. vel 4. in ea mihi diſplicere ſententia, ac primum quidem quod illatam vim non mediocrem ſcripturæ exiſtimem, quæ non obſcuris verbis, ſed expreſſis aſſerit, ex fonte Paradiſi flumina 4 ſeu capita emerſiſſe; cum tamen velit hæc ſententia ex ipſo fonte primario 2. tantum emanaſſe, Euphratem ſcilicet & Tigrim, ex quibus poſtea ſimul vnitis, exiſtant aliqui duo amnes, quos vocant Tigris & Euphratis, ſeu eruptiones, ſeu alueos, quibus in verbis non paruam ſubeſſe difficultatem exiſtimo. Si enim vt volunt idem eſt caput & eruptio, neceſſe eſt vt ex eo ſeu lacu, ſeu foſſa, in quam ſit vterque fluuius, iterum erumpat deſcendat, & fluat aqua, in huiuſmodi duos alueos ſeu Dioryges, qui ex iis defluant, ſicut Euphrates & Tigris à fonte primario; cum tamen dicat Curtius, quem citant, non eo lacu emanare Paſitigrim, ſed contra è montibus Vxiorum ducere originem, & in Tigrim abire. Paſitigris (verba ſunt ipſius Curtij) oritur ex montibus Vxiorum & per mille ſtadia ſilueſtribus ripis præceps inter ſaxa deuoluitur, ſcilicet in Tygris alueum, & Euphratis foſſas, vt habet Strabo l. 15. Quibus poſitis non ſatis capio, quo ſenſu poſſint aſſerere Tigrim & Euphratem eſſe caput Paſitigris, cum è contrario Paſitigris è montibus Vxio-

Digitized by Google

rum ortus, præceps deſcendat, tandemque in lacum Tygris, & Euphratis deuoluatur.

Secundum quod me mouet, eſt quod dicat ſcriptura flumen ſtatim à fonte Paradiſi diuiſum in 4. capita, hoc eſt ex vna & eadem origine enata 4. alia flumina, quæ verba quo ſenſu vera eſſe poſſint non video; ſic enim Phiſon, & Geon non ducunt originem à fluuio ſeu à fonte Paradiſi, ſed è lacu Tygris & Euphratis, in quem non ſoli influunt Tygris & Euphrates, ſed præterea quotquot in eos ab ipſo fonte Babylonem vſque, in eoſdem confluxerunt, qui tamen nec pauci ſunt nec mediocres. Tertio vt concedam, quando hoc ipſis placet, inter verba Paſi, & Phiſon quandam eſſe ſoni conſentionem, & conuenientiam; Autorem tamen ſiue recentem, ſiue antiquum, laudant nullum qui ſecundum hunc alueum, quem volunt ex eodem lacu effluere Occidentem verſus, Geonem appellauerit, quod tamen tacere non debuiſſent, cum de eo non minus agatur quam de priori.

Denique ait ſcriptura fontem aſcendiſſe de terra irrigantem vniuerſam ſuperficiem terræ, hoc eſt, quantum interpretor ſecutus naturam aquarum, fontem ſic præaltum, vt in præcipuas orbis partes deſcendens, tanquam ſibi inferiores poſſet rigare: vel vt minimum, qui erat altior capitibus fluuiorum, qui ex eo fonte ſuam debebant originem repetere, nec in Paradiſo quidquam eo fonte eminentius erat, cum tamen locus is, in quem Tygris & Euphrates iunctis aquis ſupra Babylonem ſtagnant, valde ſit depreſſus, nec in eum ſoli Euphrates & Tygris ſed præterea Goaſpes Eulæus, ipſeque Paſitigris confluant, ex quibus præterea verbis licet iterum colligere, hæc eadem flumina [ſaltem Paſitigrim & ipſum Tygrim] breui poſtea vno & eodem oſtio euolui; quæ omnia quantum deſcriptioni à Moyſe nobis traditæ repugnent, nemo non videt.

CAPVT XV.

Phiſonem non eſſe Gangem.

1. ALij ſenſuum ſuorum verius dicam quam ſacræ ſcripturæ Interpretes, attendentes ad verba quæ ſubiicit Moyſes. Phiſon ipſe eſt qui circuit omnem terram Heuilath, vbi naſcitur aurum, & aurum illius optimum eſt, confugiunt ad partes Orientis, cumque nullum in iis reperiant flumen, maiori dignum commendatione, quam ſit Ganges, hunc

hunc eundem eſſe Phiſonem, perlepidis comminiſcuntur argumentis,ſed quibus tandem? his duobus Phiſon,Hebraicè,idem eſt quod multitudo, copia, exuberantia à radice, pus, Ganges præ magna aquarum copia & multitudine in vicinos agros exundat,ergo Ganges eſt Phiſon. Alterum tale eſt 1. Paralippomenon c. 1. Ophir & Euilath dicuntur filij Ićtan, hoc poſito ſic argumentantur apud Pererium l. 3. de Paradiſo c. 2. parag. 106. Phiſon eſt Ganges, qui non alibi, quam in India, originem, curſum, & exitum habet, profećto conſequens eſt Heuilath eſſe partem Indiæ & quod quemadmodū terra Ophir quæ eſt in India,& quod abundat auro, dićta eſt Cherſoneſus aurea, vbi nunc Malaca, nomen accepit ab Ophir fratre Heuilath: ſic credibile admodum eſt fratrem eius Heuilath propinquas ei ſedes tenuiſſe atque coluiſſe, & terram Heuilath, quæ ab eo nomen accepit, ad regionem Indiæ pertinuiſſe.

Vix riſum contineo, dum ſcripturæ Interpretes ſic argumentantes lego; quis hoc argumenti genus ferat, Ganges famoſus Indiarum fluuius, certis anni temporibus exundat in vicinos agros, Phiſon præ multitudine & copia aquarum exuberat, ergo Ganges eſt Phiſon; Quis hoc capiat? Vnde hæc ſequela? ſiccine eſt ſacra Biblia interpretari? Quare potius Ganges dicitur Phiſon, quam mille alij amnes & torrentes, qui ex niuoſis montibus originem ducentes, præ calore ſolutis niuibus intumeſcunt, & in circumpoſitos agros exundant? Quid opus ab Euphrate amplius leucas mille verſus Orientem diſcedere ad vſque Indias, vt flumen vnum reperias quod certis temporibus exundet, nunquid omnibus pene fluuiis, qui ex Tauri verticibus niuoſis, cum verſus Boream, tum verſus Auſtrum præcipitant, id commune eſt? Verum, inquiunt, Ophir & Heuilath fuerunt filij Ićtan,qui filiorum alteri in Indiis agrum attribuit diuitem auro, qui ab ipſo dićtus eſt Ophir, ergo credibile eſt fratrem eius Heuilath propinquas ei ſedes tenuiſſe, & terram Heuilath quæ ab eo nomen accepit ad regionem Indiæ pertinuiſſe, ſed amabo te. Controuerſiam attinge: Quid hæc ad Gangem? Ganges eſt in India, fateor; Ophir eſt in India, non nego; ergo Ophir eſt Ganges, hoc pernego; India vaſta eſt regio, nulla Gangis gutta terram Ophir rigat, remouetur terra Ophir quam vocas Cherſoneſum auream, in qua vrbs Malaca, vt minimùm, vel ab ipſo Gangis oſtio 300. leucis; & tamen de ea re agitur, non vero vtrum Ophir ſit in India. Quis hoc ferat?

Erunt forte hæc tibi gratioſiora; Ophir nomen impoſuit ſuum terris quæ erant in India, ergo pari ratione Heuilath agri erant diuites auri, ergo terra Heuilath abundabat auro optimo, ſed amabo, vnde habes Iactani parentis agros fuiſſe in India, & ex æquo hæreditatem diuiſiſſe inter filios, quid ſi Ophir ſponte in Orientem ſe contulit, & Heuilath in Occidentem, agri, quos fratres obtinent, debent ne eſſe ſemper ex æquo fœlices, ne fratrum alter querelam moueat aduerſus fratrem inofficioſi teſtamenti? quid ſi non ex hæreditate hæc agri portio obtigit Ophir, ſed ex ſua induſtria, vel quouis alio titulo? Vnde habes hos ſuis filiis à parente attributos agros? horum omnium in antiquorum ſcriptis oſtende vel leue veſtigium? alibi ipſe dicis terram Heuilath eſſe quidem in regionibus Indiæ, ſed à parte ſuperiori, & longo terrarum tractu Septemtrionem verſus, ſed rogo quid hæc ad Ophir? quid ad Gangem? Si vera ſunt quæ commiſceris, vel oportuit vt Heuilath habitaret in altiſſimis Tauri partibus, putà in Paropamiſo, vel trans montes iſtos ad Iaxartem & Oxum fluuios, ſed tunc aduerte quæſo quam longe diſcedas à Gange & quam longiſſime remouearis à Cherſoneſo aurea, & tamen erant tibi probanda duo, terram Heuilath percurrere Gangem, hancque eſſe optimi auri perdiuitem, quorum neutrum cum nec dum probaueris, nec Phiſonem Gangem eſſe prorſus aſſentiar.

Sed demus propter loca quædam ſcripturæ Paradiſum terreſtrem ſitum eſſe reſpectu Paleſtinæ ad Orientem, quis tamen niſi temerarius aſſerat vel ad Gangem, vel trans ipſum fuiſſe? ſiquidem doctis omnibus pridem notum, quod in ſcriptura quoties incidit mentio de re aliqua vel loco ad Orientem ſito, hæc ſunt intelligenda ſemper cum moderamine aliquo, nempe nec vnquam extra ſinum Perſicum, & Indum flumen extendenda, nec regionibus aliis tributum nouimus hunc ad Orientem ſitum, quam Arabibus Idumæis, Amalecitis, Madianitis, Ammonitis, & Moabitis, ſicut nouimus quando incidit mentio de Iacobo, Balaamo, Abrahamo, Iobo, & tribus magis quos omnes nouimus habitaſſe aut peregrinationes inſtituiſſe ſuas inter Paleſtinam, ſinum Perſicum, & Indum flumen; ſi enim non ſequar modum loquendi ſcripturæ, nullum in orbe terrarum erit punctum, quod in ſe vel Orientale aut Occidentale aut ſitus cuiuſuis non poſſit dici; ſumma igitur cura attendendum ad Moyſem & ad locum in quo degebat quando hæc ſcripſit, quæ ſine controuerſia vel fuit apud Madianitas quando poſcebat oues

Digitized by Google

oues Ietro, vt ſentit Euſebius, vel in deſerto, vt docent Theodoretus & Beda: nullibi autem reperitur à Moyſe facta mentio loci alicuius qui ab ipſo & à Paleſtina verſus Orientem remouetur vltra Indum & ſinum Perſicum; & conſequenter nunquam ad Gangem vſque reperias extendiſſe.

CAPVT XVI.

Qui communiter Phaſis dicitur is eſt Fluuius, quem ſcriptura Phiſonem appellat.

1. QVoniam in confeſſo eſt apud omnes, è fortunatis quatuor Paradiſi fluminibus, duos eſſe Euphratem & Tigrim, propterea quod eos certo nouimus, nomen tenemus quod ipſis eſt à capite ad oſtium, Aſſyrios non ignoramus, quorum agros à tempore Moyſis ad hæc noſtra conſtanter perfluunt, & primos parentes Armeniam & ripas horum fluminum incoluiſſe, hæc, inquam, cum ſint omnibus certa & explorata, otio abutuntur, meo iudicio, qui duos, quos ignoramus, Phiſonem & Geonem quærunt alibi, quam in regionibus proximis Euphrati, & Tigri quandoquidem quatuor horum fluuiorum vnam, & communem conſtat fuiſſe originem in Paradiſo. Aio igitur, & quidem vt exiſtimo validis nixus rationibus Phiſonem eum eſſe fluuium, quem omnis ſuperior ætas Phaſim nuncupauit.

Poſſem argumentum ducere ex notatione nominis, & confido, eos qui aſſerunt Phiſonem illud eſſe flumen, quod poſteri Paſitigrim appellarunt propter affinitatem quæ inter duo hæc verba Paſi, & Phiſon dicunt intercedere non repugnaturos ſi maiorem adhuc nominis communionem Phaſim inter & Phiſonem eſſe contendero; verum cum originibus nominum ſit incertius nihil, & videamus quotidie nomina leuiſſimis de cauſis mutari, propterea miſſam facio hanc nominis vtriuſque qualemcumque affinitatem, & communionem, & primum hoc ſit mihi argumentum. Fluuius Phaſis originem repetit ſuam ex Armenia, eodem ex monte Pariedro dicto, in quo duplicem Euphratis fontem conſtituit Ptolemæus: vnum quidem nono lapide ſeu minuto à fonte Phaſis, alterum ab eodem fonte 40. aut 45. minutis, ſeu 1000. paſſibus remotum: ergo quoniam Euphrates ſuam certo repetit originem ab ipſo Paradiſo terreſtri, & Phaſis ſuum habet fontem in eodem monte, vixque pauculis minutis hi fontes diſtant ab inuicem, cui mirum videatur ſi

non leui coniectura dixero eſſe valde probabile Phaſim flumen idem eſſe quod & Phiſon, & Phaſim vnum eſſe è quatuor Paradiſi fluminibus. Amplius dico, Phiſon ipſe eſt fluuius, qui circuit omnem terram Heuilath vbi naſcitur aurum, & aurum illius terræ optimum eſt, nihil moror, verbum hoc Heuilath, quandoquidem nullus eſt autor ſiue recens, ſiue antiquus, qui de eo nobis certi aliquid referat; ſed hoc vtor ratiocinio, Phaſis fluuius means per Colchidem centum pontibus tranſmittitur, & rigat fodinas auri, quas in toto orbe & celeberrimas nouimus, & antiquiſſimas, quoniam à morte Moyſis ad iter quod ſuſceperunt Argonautæ, duce Iaſone in Colchidem ad euehendum inde vellus aureum, vix intercedunt 232. anni, ſecundum computum doctiſſimi Petauij noſtri lib. 13. de Doct. temporum; nec immerito aurum Colchidis dici poteſt optimum, cum nec educeretur è fodinis mixtum lapidibus & terra, ſed colligeretur in Phaſis fluuio, velleribus ouium, quibus granula auri per tot rupes & pontes & præcipitia iam purgati adhæreſcebant. Facile autem adducor, vt credam huiuſmodi fodinas auri pridem hominibus notas ante Argonautarum profectionem, imo ante tempora Moyſis, quoniam in antiquiſſimis hiſtoriarum monumentis nulla fit mentio fodinæ auri, quæ poſſit cum Colchicis ſiue de antiquitate, ſiue de puritate auri ſiue de celebritate contendere. Haud igitur, quantum ſentio, haud abſque graui fundamento concludam, hunc eſſe locum Euphratis fontibus & Paradiſo proximum, in quo naſcebatur aurum optimum, & conſequenter, fluuium Phaſim, eum eſſe, quem Moyſes vocat Phiſonem, & Colchidem eam regionem, quam dixit Heuilath.

CAPVT XVII.

De Geone fluuio.

1. DE Geone ac regionis, quam decurrit, poſitu non pauci ſimiliter diſputarunt, qui enim Paradiſum conſtituunt proxime Babylonem quatuor dicunt fluuios fuiſſe, Euphratem Tigrim, & ex illis ſimul iunctis enatos duos Paſitigrim, & Geonem, verum vt prius dixi has deriuationes & alueos melius & emendatius vocaſſent Euphratis & Tigris illices, Coliquias, & Diorigeſ, quam flumina, nec opus eſt hic repetere quæ contra eam ſententiam oppoſui, maxime cum de hoc Geone altiſſimum ſit apud antiquos ſilentium. Plerique

Digitized by Google

Plerique omnes alij Ioſephum perperam ſequuti Geonem volunt eſſe Nilum, hic quaſi ſolus eſſet fluuius, qui Æthiopiam circumeat. Sed iampridem opinio iſta celebrari doctorum vſu conſenſúque deſiit, ex quo luce clarius conſtat, cum ex profanis antiquiſſimis ſcriptoribus Ephoro & aliis apud Strabonem, tum ex ſacra Scriptura duplicem eſſe Æthiopiam; primam, & ſecundam; primam quidem Aquiloni & orienti obiectam; ſecundam auſtro quæ ſuperior eſt Ægypto; Primam quam Ephorus apud Strabonem vocat Scytica majorem, vultque extendi ab India & Babylone ad Iſicum ſinum & Colchidem iuxta Phaſidis & Abſari eruptiones, quicunque videlicet in his partibus tinguntur ſole populi, quamuis non æque ſint omnes exuſti & colorati; hinc profluxit trita pridem illa diuiſio Syrorum, in Leucoſyros, hoc eſt, albos & nigros apud Strabonem, Ptolomæum, Plinium & omnes: nempe quia, vt ex ſacris codicibus conſtat, natus eſt anno primo diluuij in partibus Armeniæ circa quas conſedit arca Noé, Chus qui primus Æthiops fuit, ſeu niger, parens & Princeps Æthiopum, cuius deinde poſteri ſecundum ripas Euphratis & maxime per Arabias Deſertam & Petream ſedes fixere, & in variis Syriæ partibus, quales cenſentur Madianitæ, & vxor Moyſis, quæ cum eſſet Madianitis, vt conſtat ex cap. 2. Exodi, vocatur tamen Æthiopiſſa, & Hebraïcè Cuſitis in cap. 12. libri numerorum, in cantico etiam Habacuc ita legimus, vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian, quo loco Æthiopes, & Madianitæ vel pro vna gente ponuntur vel pro gentibus inter ſe finitimis: cumque nominet tentoria, & pelles eorum non obſcure indicat, eos eſſe, quos lib. 16 huius operis cap. 3. appellauimus Arabes Scenitas, in regione, quæ ad Meſopotamiam pertinet. In Pſalmo autem 86. ſic Dauid, ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic; per alienigenas autem, quos ſeptuaginta appellant Allophylos ſignificantur Paleſtini; Quare tres gentes Paleſtinorum, Tyriorum, & Æthiopum tanquam confines, & vicinæ, hoc loco à Dauide memorantur. In lib. autem 2. Paralip. cap. 14. narrat ſcriptura Zaram Regem Æthiopum veniſſe aduerſus Iudæos, cum incredibilis multitudinis exercitu, quippe decies centena millia hominum continebat; non eſt autem credibile illos veniſſe vſque ab Æthiopia Meridionali, nam & difficillimum erat, tantum exercitum per tam longinqua terrarum ſpacia ducere, nec ratio vlla erat cur ex tam remotis regionibus pergerent contra Iudæos. His

Strabo l. 1. p. 34. Sophronius. Ptolem. Plinius.

Digitized by Google

adde quod ſcriptum eſt in eiuſdem libri capite 21. Suſcitauit, inquit, Dominus contra Ioram ſpiritum Philiſtinorum, qui confines ſunt Æthiopibus, & aſcenderunt in terram Iuda, & vaſtauerunt eam. In Pſalmo item 71. tres gentes Æthiopum, Arabum & Sabæorum, tanquam ſibi inuicem vicinæ commemorantur, ſic enim habetur, coram illo procident Ethiopes,&c. Reges Arabum & Saba dona adducent. Arabiam autem felicem & Sabæorum terram ab Euphrate & Meſopotamia non longe abeſſe certum eſto.

CAPVT XVIII.

Araxem eum eſſe Fluuium, quem ſcriptura vocat Geonem.

1. HIs, quæ proximo capite & ſuperioribus dixi, ita ſtabilitis, vero propius exiſtimo nihil poſſe ſuaderi, quam ſi aſſeuero, quem Moyſes olim Geonem vocauit, eum eſſe fluuium, quem Geographi Araxem nominant, hoc autem id me poſſe præſtare triplex argumentum perſuadet, quorum primum ducetur à fonte ipſius, ſecundum à decurſu regionis per quam fluit, tertium à celebritate huius fluuij.

Quod ad primum attinet, conſtat ex Ptolemæi tertia Aſiæ tabula, Araxem ſuam recipere originem ex Pariarde monte Armeniæ, eodem, ex quo Euphrates ſuam quoque repetit: Euphratem quidem ex tribus riuis qui ex ea parte, quæ Auſtrum reſpicit, confluunt ad vrbem Caſſiram, Araxem vero ex tribus pariter riuis, qui ex parte Boreali eiuſdem montis ſcaturientes, confluunt ad Artaxatam, horumque trium fontium vnum diſtare tantum minutis decem & octo à fonte Phaſis quem probauimus eſſe Phiſonem, alterum vero vix tribus minutis ſeu ter mille paſſibus, ab eo Euphratis fonte, cui Ptolemæus ſitum tribuit in long. 76.30. lat. 41.30. illudque eſt meo iudicio, quod ſignificare voluit Solinus, cum dixit Araxis fontes, à fontibus Euphratis diſtare breuibus interuallis. Iouius denique lib. hiſtoriarum ſui temporis ait in eodem monte Pariarde, quem hodie vult appellari Leprum, hoc eſt, frugiferum, aſſerit, Euphratem, & Araxem oriri, ſed à diuerſis emitti paludibus. Ex quibus infero, cum dubitet nemo Euphratem ſuam repetere originem ex fonte Paradiſi, & ex eodem monte, ſed aduerſa parte, ſuam quoque repetant Araxes, & Phaſis, meo iudicio non aberrabit à veroſimili, qui dixerit hunc Araxem eſſe fluuium Paradiſi, quem

Digitized by Google

quem Moyſes Geonem appellat: Araxes fluuius, ſeu potius eius decurſus id ipſum adhuc probat euidentius: namque hic eſt ingentium olim regionum Scythiæ, & Æthiopiæ terminus, qui tamen quantus eſt à fonte ad oſtia, circumfluit Æthiopiam, ſui partem committens Cyro flumini, qui limes eſt Scythiæ, proprio vero & ſolido ſuo alueo, Æthiopiam quam ſuperiori capite vidimus ad Scythas ad Ponticum mare & ad Colchidem, ſi credimus Ephoro, Straboni, Sophronio, & Ptolemæo, pertinuiſſe: hic denique eſt fluuius qui ſicut Phiſon ſeu Phaſis è directo opponitur Tigri, quorum hic abit verſus Auſtrum, ille in Septemtrionem: ſic Araxes, hoc eſt Geon recta linea fertur in Orientem, ſicut Euphrates, quantum poteſt, abit in Occidentem. Porro Araxis tanta eſt celebritas, vt vix vllus ſit tota Aſia celebrior, ſic enim ex Ptolemæo, Mela, & Plinio, eum lib. 14. cap. 8. huius operis deſcripſi, labitur tam placidus & ſilens, vt in vtram partem eat, quamuis intuearis, non ſit manifeſtum: cum autem in aſperiora deuenit, hinc atque illinc, rupibus preſſus, quanto anguſtior, tanto magis pernix frangit ſe ſubinde ad oppoſita cautium, atque ob id ingenti cum murmure, ſonanſque deuoluitur adeo citus, vt qua ex præcipiti caſurus eſt, in ſubiectam non ſtatim declinet vndam, ſed vltra quam canalem habet, euehat plus iugeris ſpacio, ſublimis, & aquis pendentibus ſemetipſum ſine alueo ferens: Deinde vbi incuruus, arcuatoque amne deſcendit, fit tranquillus, & vix fluens in litus maris Caſpij elabitur. Præterea gignendæ herbæ, non alius eſt aptior: quidquid alluit, floribus veſtit, platani, & populi ſic contegunt ripas, vt procul viſentibus continuata videantur montibus nemora riparum, quippe obumbratus amnis Araxes & qui in eum labitur Medus, preſſo in ſolum delabuntur alueo, imminentque colles ipſis quoque frondibus læti, radices humore ſubeunte; Regio non alia, tota Aſia ſalubrior, temperat cœlum, hinc perpetuum iugum opacum & vmbroſum quod æſtus leuat, illinc mare adiunctum, quod modico tepore terras fouet, vide plura apud Raderum noſtrum in caput 18. libri quinti Curtij de amœnitatate huius fluuij.

Digitized by Google

LIBER QVINTVS.

CAPVT I.

Armenia.

Armeniæ dotes.

1. HÆc nobilis illa regio, in qua & fictum hominem primum & conſitos à Deo amœniſſimos Paradiſi hortos iuſta ſuſpicio eſt. Hæc quæ Adamum Paradiſo eiectum, admiſit in colonum. Hæc in qua exacto diluuio, Noëmus ex arca digreſſus ſacra rite Deo fecit, in montibus, vbi & arcæ reliquias in longa tempora ſeruata eſſe, veteres aliqui prodiderunt. Hæc denique, quæ à primis Patriarchis culta, ciuitatibus eſt, & inter primas regiones habitata; etiam nunc incolas habet opulentos, agrum pinguiſſimum, pommaria omnigena, paſcua florida quorum alia ſunt Bobus, alia ouibus apta, ipſamque hominum ſtirpem & pulcherrimam, & immortalibus perſimilem.

Gen 8. Ioſeph. l. 1. antiq. c. 4.

Euſtat. in Dionyſ.

Nomen.

Armeniæ nomen repetunt autores profani ab Armeno Heroë Teſſalo, Iaſonis comite. Sacri, ab Aram filio Sem.

Termini.

Continetur inter meridianos 67. & 79. parallelos vero 38. & 47. hoc eſt terminatur à Septentrione monte Caucaſo, & ab Auſtro Niphate, ab ortu Caſpio mari & Media, ab occaſu meridiano 67. qui per Pontum Ptolemoniacum & radices Antitauri ducitur. Maior Armenia appellatur, quæ eſt ab Euphrate verſus ortum, minor quæ excurrit ab eodem verſus occaſum. Primus L. Lucullus: mox G. Pompeius, deinde Auguſtus minorem domuerunt: Traianus maiorem, & Tigrim, Romani & Parthici Imperij limitem poſuit. Deinde cum Perſæ fines Romani Imperij ingreſſi, limites turbaſſent, tempore Iuſtiniani Belliſarius magnis præliis eos fudit, nec ſolum priſtinos fines recepit, ſed etiam protulit: vnde poſtea Iuſtinianus Armeniam in 4. prouincias diuiſit, quas & firmauit præſidio equitum 1200. & peditum 8000. primam conſtituit eam quæ præſtantiſſima eſt in ſuperioribus partibus maioris Armeniæ, cuius Metropolis fuit Baſanis prius Leontopolis dicta, in illa etiam fuit ciuitas Theodoſij cui Trapeſum, Ceraſum & Pontum Polemoniacum adiecit, & Heptapolim, id eſt, ſeptem vrbium prouinciam dixit: cuius præſidiaria

Diuiſio prima in maiorem, & minorem.

Quando à Romanis domita.

Diuiſio ſecunda in Heptapolim.

Euſtat in Dionyſ. & alij.

Digitized by Google

præſidiaria caſtra maioris notæ erant Satala 69. 30. 42. 10. Domana 70. 42. 6. & Trapeſus.

2. Secundam appellauit Pentapolim, quæ 5. ciuitatibus conſtat, inter quas Sebaſtea, ſeu Auguſta 68. 40. 40. & Comana Pontica 67. 41. 30. ad Irim, vbi templum lunæ cuius Pontifex diadema geſtabat, & honore ſecundus erat à Rege. Tertiam quoque fecit Hexapolim olim vocatam ſecundam Armeniam, cuius Metropolis Melitene 71. 39. 30. in felici ſolo, non longe ab Euphrate, quam Iuſtinianus ex omni parte muro cinxit, magnumque Armeniæ munimentum fecit, & ornamentum, adiecit & caſtella in montibus, quod aliæ eſſent vrbes nullæ. In hac Armenia fuit etiam Cucuſus, & Comana 68. 38. alio nomine Chryſa dicta, vbi Belonæ templum in vrbe memorabili propter multitudinem eorum, qui diuino inſtinctu exiſtimabantur corripi, & Hierodulorum qui erant ſacrificiorum ſerui, quorum Pontifex aut ipſe erat Rex Capadociæ, aut ex eius familia. Per medium prouinciæ fluebat Melas fluuius, cuius origo in monte argenteo 65. 40. oſtium in Euphratem 71. 39. 20. iuxta opidum Melitam à Semiramide conditum. Hic amnis in paludes effunditur, quæ noctu flammas concipiunt: eius fauces in Euphratem cum olim Ariarates Rex obſtruxiſſet, proximum campum in lacum quaſi marinum conuertit, in quo inſulæ more Cycladum. Non longe ab eius fontibus fuit Mazaca Regum Cappadociæ ſedes, Euſebia, & Ceſaræa Magna cognominata & Metropolis, cuius digniſſimi Præſules extiterunt Baſilius & Gregorius Nazianzenus, ſita in long. 66. 30. lat. 39. 30. Incolarum plerique erant Nomades, originis Scythicæ, degentes ſub tentoriis qui greges paſcebant per montana & conualles, quibus abundat hæc regio, equorum maxime ferax, quorum Armeniæ Satrapa, perſis 20. millia pendebat quotannis. Quartam etiam inſtituit Armeniam ex variis Satrapis & Barbaris, qui ſedes habebant Taurum inter & Antitaurum, quæ & Tzophara dicta & Balbitena. Non prætereundum autem in Armeniæ finitione Strabonem & Plinium longe variare à Ptolemæo, & quædam tribui Cappadociæ, quæ alij dicunt Armeniæ. Regio intus fere montibus & collibus exaſperatur & innumeris conuallibus, ſeu laciniis quibuſdam diuiditur: quarum quidem eximia eſt fertilitas, niſi quod vitem loca quædam reſpuunt. Dionyſius ſimiliter terram Armeniorum & Matianorum ad Boream Meſopotamiæ habitatam, montibus occluſam, pinguemque vocat, ac incolas illius opulentos, Martis probe doctos ac pingues nun-

Pentapolim. Comana Pontica. Hexapolim. Melitene. Comana Capadociæ. Templum Belonæ. Melas fl. Mazaca. Armenia equorum ferax. Quarta Armenia.

Euſtat in Dionyſ.

Tigranes libertatem ſuam redimit vallibus 70.

Præſtantes equi in Armenia, Parthia, Media, Albania.

cupat. Strabo l. 11. tradit Tigranem illum quem in bello Mitridatico Pompeius domuit, captiuum aliquando apud Perſas 70. conuallibus in precium de regno ſuo datis ſe ſe redemiſſe; harum paſcuis equos tradunt tam præſtantes gigni, vt cum Parthicis, Medis, & Albanis nobilitate certent: ſed & reliquo pecore propter agri bonitatem abundant.

Antitaurus quis, & cur ſic dictus.

3. Montium præter eos, quos iam recenſuimus, præcipui ſunt Antitaurus mediam eam tranſuerſo inceſſu permeans, donec reflexus ad Boream, Sophenen celeberrimam Armeniæ partem includat: & quoniam Tauri iugis hinc & inde venientibus ſublimis ipſe obuertitur, inde eſt nomen ſortitus.

Abus, & Acus montes in quibus fons Euphratis & Araxis.

Eſt & Abus in Pariarde vnde Euphrates, Araxeſque prolabuntur verſus occaſum alter, alter verſus ortum. Pariardes à Ptolemæo vocatur à Pariardis videlicet populis, qui teſte etiam Strabone in Armeniæ montibus habitabant. Obſeruabis vero eum montem, quem Strabo vocat Abum, Euſtathium appellare Acum, montem Armenium, longum verſus Auſtrum & ex eo fluere Euphratem & Araxem. Erit fortaſſis Abus mons, in quo Euphratis fons ſecundarius: Acus vero mons Armenus, in quo fons primarius Euphratis, & fons Araxis, ſecundum veram Dionyſij & Strabonis ſententiam. Narrat Strabo Armenos à Parthis nunquam domitos, ſemper ſuos habuiſſe Satrapas vel Reges, quorum vltimus Tigranes vrbem ſibi regiam conſtituit & de nomine ſuo Tigranocertam appellauit, ſitam in long. 76. 45. lat. 39. 40. ad Nicephorum amnem, quam cum expugnaſſet Lucullus, optimatum coniuges captas ab omni iniuria cuſtodiuit, eoque facto maritos earum ſibi deuinxit, & milites ſuos, quorum ſingulis ex præda diſtribuit octingentas dracmas: præter octo millia talentum pecuniæ ſignatæ, quæ voluit reſeruata, cum prius Tigranem viciſſet, equitibus eius interfectis pene omnibus, & peditum ſupra centum millibus, ipſeque Rex cum paucis equitibus fugiſſet diademate, & Tiara abiectis, ne agnoſceretur anno ante Chriſti 68.

Strabo l. 11 p. 517.

Strabo l. 11 p. 497.

Euſtat. in Dionyſ.

Tigranocerta.

Tigranes victus.

Armeniam occupant Tartari.

4. Circa an. 1220. Armeniam maiorem occuparunt Tartari, & obtinuerunt intra dies 12. ampliſſimam eius vrbem Am, in qua centum mille domus numerabantur, vt ſuperius monui l. 1. c. 10. n. 2.

Ceſſit poſtea huius regionis pars quidem Orientalis trans Euphratem Regi Perſarum: Occidentalis vero cis Euphratem, primum Sultano Ægypti, poſteaque Turcis, à quibus dicta nunc Turcomania, quod primi Turci, qui è Turqueſtan olim profecti hic conſedere in varias Tribus diuiſi, quas

ipſi

Digitized by Google

ipſi Thayſſas dicunt, Arabes Cabiley, Tartari ordas. Viri autem ſunt robuſti & laborum tolerantes: fœminæ quoque validæ, fere pecoris curam gerunt: vitam degunt diſcreti per campos, vbi viuunt in Caſis cum ſuis gregibus, rotundæ ſunt parietes, cannis, & pellibus ſic factæ, vt complicari, & alio transferri poſſint.

Porro in tota Aſia nulli maioribus conflictantur oneribus & ærumnis quam Armeni, quod Turci ad bellum in Perſas proficiſcentes cum per eas partes neceſſario incedant, apud quemque velut in proprias domos diuertunt, & quidquid ipſis placuit, filios etiam abducunt, niſi tantis malis remedium petunt miſeri à ſyluis, & rupibus, in quas & ſe, & armenta, & fruges abdunt.

5. Ad Euphratis Orientalem ripam inter Antitaurum & Taurum nunc habitant Curdi antiquorum Parthorum reliquiæ, gens rudis, eleganti tamen corpore & membris bene compoſitis, qui nunquam ſine armis ſuis procedunt etiam in extrema ſenecta quæ ipſis ſunt arcus & ſagittæ acinaces, & ſcuta. Colunt, venerantur que Diabolum ne armentis ipſorum noceat, Chriſtianis infenſiſſimi, (vnde eorum prouincia terra Diaboli appellata) furtis atque latrociniis infames, in quibus neutiquam cedunt Arabibus. Parent quidem Turcorum Imperatori, ſed ſumma libertate. In tota hac Curdorum prouincia tantum vnus pagus eſt alicuius nominis Manuſcate dictus in fœcundiſſima valle ſitus inter duos montes. Circiter milliare ab eo eſt hoſpitale S. Ioanni Baptiſtæ ſacrum, quod & à Mahumetanis, & à Chriſtianis crebro aditur quod exiſtiment iis qui hic agnum ſiue capram aut aliquot nummos offerunt omnia proſpera obtingere, & omnium peccatorum veniam promereri.

Curdi Parthorum reliquiæ.

Terra Diaboli.

Manuſcate.

Hoſpitale S. Ioannis Baptiſtæ apud Curdos.

CAPVT II.

Niphates, & Meſopotamia.

1. TAurus qua parte præter ſolitum niuoſus, Niphates dicitur, Arabias à Meſopotamia & Aſſyria determinat, à dextra quidem Euphratis ripa vſque ad decliuitatem Libani verſus occaſum, & vſque ad rubrum mare verſus meridiem omnis regio à Nabate quodam noto dicitur Nabathæa Arabia pars deſertæ & petreæ, frugum quidem inops, ſed plena pecorum, Camelorum, Mulorum ſylueſtrium, ſunt etiam ibi Leones, Pardales & Lupi plurimi. Hinc Ara-

Digitized by Google

bes vocant Nabates eos qui ex adulterio ſunt progeniti. Campi autem Euphrate & Tigri inclytis amnibus circumflui, Meſopotamiæ nomen tanquam proprium licet acceperint, in Aſſyriam tamen & Chaldæam quoque tranſlatus eſt etiam huius nominis vſus, ob amnes, quibus itidem hæ terræ alluuntur. In Tranſtigritana enim regione ex Armenorum & Medorum iugis clari amnes in Tigrim veniunt, Licus, Caper, Zerbis. Sed & Chaldeæ magna pars non circumfluos modo maximos illos amnes Euphratem Tigrimque, verum etiam irriguos habet, & altero Euphratis alueo media finditur. Inde à Plinio dictum l. 6. c. 26. Meſopotamiam totam Aſſyriorum fuiſſe & vicatim diſperſam præter Babylona, & Ninum, &c. Quo loco has vrbes in Meſopotamia cenſet, quarum tamen illa cis confluentem Euphratis, hæc trans Tigrim, in parte Aſſyriæ poſita eſt. Vnde & à Stephano ea pars Chaldeæ, in qua Vr opidum erat, Meſopotamia dici potuit: & Actorum 7. de Abraham: cum eſſet, inquit, in Meſopotamia, priuſquam moraretur in Charran, velut innuens illis locis commune Meſopotamiæ nomen fuiſſe. Tota autem illa terrarum laxitas naui perſimilis dicta eſt Meſopotamia, hoc eſt, interamna, ita enim vocabulum reddidit Seuerus Imperator coram Senatu, ſi Lampridio credimus his verbis: Terras interamnas Meſopotamiæ neglectas ſcilicet ab impura illa bellua recepimus. Strabo autor eſt ab Euphrate illi latitudinem eſſe per Tigrim duorum millium quadringentorum ſtadiorum, hoc eſt trecentorum millium paſſuum, quantum, inquit Euſtatius ad ſeptimum diem fortis & celer abſoluere poteſt viator, vbere quidem in totum ſolo, ſed qua parte amnes irrigant longe omnium Orientis terrarum fertiliſſimo. Conſtat enim vtrumque amnem poſt æſtiuum ſolſtitium increſcere & rigare proxima, vt ſolet in Ægypto Nilus, niſi quod Neuter limum deuehit, aut aruis inducit, ſed vndis tantum vterque fœcundus eſt. Strabo lib. 16. id fieri ob niues in Armeniæ montanis eo maxime tempore liquefactas aſſerit. Euphrate plerumque ob nimias vndas periculoſo. Proinde id ſtudium accolis eſt, vt prææltis aggeribus alueum communiant, foſſaſque quam longiſſime ab amne in plana diducant, itidem vallatas, vt cum libuerit, aut conueniant meatibus obſtructis (quos Cataractas Marcellinus vocat) aut iiſdem laxatis vndas in plana emittant. Idem, & ad Tigris alueum fieri aſſolet, qui & ipſe ad inſtar Nili ad Canis exortum tumet, de qua re l. 25. Marcellinus. Tanta igitur in illis locis fertilitas eſt, vt exiles

agri

Meſopotamiæ acceptiones variæ.

Meſopotamiæ latitudo.

Feracitas.

Euphratis & Tigris fœcundæ exundationes.

Foſſæ cur deductæ ex Euphrate.

Tigris quãdo exundat.

Digitized by Google

agri quinquageſimum, cultiores etiam centeſimum fœnus reddant, teſte Plinio.

2. Summa autem fœcunditas iuxta Seleuciam, terris, ipſos inter amnes, iam anguſtis, & velut in mucronem faſtigiatis. Interiora alicubi, deſertis ſqualent, multiſque in locis ingens aquarum penuria, ſed & fontes rari, quod eos interdum condant incolæ, quo longius hoſtem aquæ penuria fatigatum arceant. Sed & æſtus interdum tantus in Meſopotamia eſt, Curtio teſte, vt pleraque animalia interimat. Alit & Leones quemadmodum & Syria, qui cum brumæ tempore mites ſint, æſtate ferociunt. Ammianus id muſcis & oëſtris tribuit, à quibus in calore incitati ſæuiunt. Hieronymus autor eſt Chriſtianorum ſolitariorum magnam olim frequentiam in Meſopotamia fuiſſe maxime Mediterranea, in qua ſeceſſus erant non pauci ſabuloſa ariditate clauſi.

Meſopotamia vbi ſũme fertilis.

Leones.

Eremi & ſolitarij in Meſopotamia.

CAPVT III.

Oſroëna.

1. SIc dicta eſt Meſopotamiæ pars Borealis ab Oſrhoo Arſacis nepote, qui ibi regnauit, cum prius à tranſitus difficultate diceretur Abiadene. Conſtat Oſrhoënos belicoſiſſimos homines fuiſſe, & ſagittandi peritiſſimos, quorum magnum numerum Alexander Seuerus poſt deuictos illis in locis Parthos Romanæ militiæ adſcripſit, & poſt eum Galerius Maximinus contra Germanos eduxit. Sed & illud non indignum relatione eſt, Romanos haud vnquam longe vltra Cteſiphontem in ortum progredi auſos, nec impune feciſſe qui hoc tentarunt, nam licet Traianus feliciſſima in Parthos victoria potitus ſit, hoſte repreſſo limitem reſtituerit, Cteſiphonte, Babylone, Seleucia, & Edeſſa claris vrbibus ab hoſte receptis, & maiori Armenia, Aſſyria, & Meſopotamia in prouinciæ formam redactis: & poſt eum Galerius Maximinus proſperrime geſtis rebus, quinque Tranſtigritanas Prouincias ſtatuerit, celeberrimus Aſarzamenam, Mozenam, Zabdienam, Rheumeriam, & Carduenam; Iouinianus tamen Imperator, poſt Iuliani caſum turpi, ignominioſoque fœdere cum hoſte icto, omnes reſtituit: Incertus igitur Imperij limes Tigris fuit, nec diu retenta ſunt quæ vltra eius ripam Romani ceperunt, ſæpe ita amiſſa, vt præſtiterit non fuiſſe capta. Proinde prudenter Adrianus Promotum à Traiano limitem, ipſe coërcuit, Euphrate

Procopius l. 1. de bello Perſic.

Abiadene.

Romani Imperij limes verſus ortumquam incertus.

Digitized by Google

contentus quo dubiam fortunæ aleam declinaret; numquam enim inulta ceſſit Romanis victoribus Parthorum tentata libertas, neque vlla alia gens illata damna ſeuerius vindicauit. Quippe qui à Lucullianis, Pompeianiſque expeditionibus, poſt Armenias, & Syrias occupatas, ad vſque caſum & interitum Imperij, Conſularibus & Patritiis ducibus cæſis non ſe ſe modo ipſos, ſed & prouincias, quas eis Romanæ victoriæ abſtuliſſent, aſſeruerunt.

De Parthis reportatæ à Romanis victoriæ quam inutiles.

Quandiu autem hic limes fuit Romani Imperij, eum tutatus eſt Dux cum militaribus copiis contra Perſas, qui ab incolis pro ſingulis 30. iugeris agri Oſrhoëni, veſtem in ipſa ſpecie militibus ſoluebant. *Iuſtin. nou. 8.*

Veſtes militibus attributę pro ſingulis 30. iugeris agri.

Singas fl.

2. E regione Oſrhoënæ in Euphratem euoluitur Singas fluuius, ortus è monte Pieriæ, qui Syriæ Commagenæ præcipuas vrbes perlabitur, & in his Hierapolim ſitam in long. 71. 15. lat. 36. 15. remotam recta linea ab Euphrate 24. paſſ. millibus, vbi nunc Alep vnum ex celeberrimis totius Orientis emporiis diſtans bidui itinere 80. minutis ab vrbe Alexandria, penes Iſſum olim dicta, vulgo nunc Alexandreta, vico, quem poſſumus Alepi portum appellare, qui ſitus eſt in longit. 69. 30. lat. 36. 10. in quo vix nunc numerabis ſex domos cum caſis aliquot, vbi enim nauis aliqua appulit, illico camelis cuncta Alepum tranſmittuntur. Eſt porro Alepus vrbs ampla, aſpectus longe gratiſſimi maxime aduentantibus ex Alexandreta, propter caſtellum operis antiqui quod in foro publico aquis cinctum eminet in colliculo, & variarum Eccleſiarum, domorumque culmina, quæ inter vmbroſas & frequentes palmas, & cupreſſos eminent. Sedes eſt Sangiaci, & Ianiſſariorum, qui ipſi adſunt. vix eſt in toto Oriente vrbs, in qua precioſæ mercis omnis generis maior fiat licitatio, quod continuus in ea fit mercatus nundinalis, & frequentes in ea reperiantur Indi, Perſæ, Arabes, Armuſij, Veneti, & Geneuenſes. Sunt in vrbe Chriſtiani ad 30. & amplius millia, Maronitæ, Græci, Armeni, qui publicis in templis ſuo quique ritu ſacris operantur. Anguſti ſunt vt plurimum vici, qui currum vix capiunt, in medio depreſſiores, circa domos hinc inde vno gradu erectiores. Templa Turcis ſunt innumera, inter quæ vnum eſt, amplitudine, fornice, marmore tota facile Syria magnificentiſſimum.

Alepus.

Non ita pridem Aleppenſes inter & Alexandrettinos cicurum erat columbarum vſus, quæ vltro, citroque commeantes bene paſtæ & in ædium tecta elatæ conuerſo in deſtinatum locum roſtro, libratæ demittebantur & intra qua-

tuor

Digitized by Google

tuor horarum ſpacium alligatas ad collum, vel alam epiſtolas deferebant.

Haud procul ab Alepo viſitur famoſi illius Stylitæ templum vndique apertum, in cuius meditullio reſtat columnæ baſis 4. pedes alta, lata totidem. Stylitæ columnæ.

In finibus Oſrhoënæ in Arabica Euphratis ripa, celebre aliquando fuit Thaſpacum in lat. 34. 50. poſtea Amphipolis dictum, vbi vadum Euphratis.

CAPVT IV.

Vrbes aliquot ad ripam Euphratis.

1. Bitias Ptolemæi, nunc Bir exiguum eſt Meſopotamiæ opidum ad quod nauiculas ſibi parant qui ſecundum Euphratem volunt Babylonem, indeque in ſinum Perſicum deſcendere. Bir.

Bidui itinere hinc peruenitur Edeſſam olim caput vrbium, quæ Iuſtino imperante tota ſubmerſa eſt cum Scirtas fl. qui mediam perluebat, exundaſſet: poſt dies vero aliquot aquis imminutis lapidea tabula in ripa fluuij reperta, cui Hierogliphicis notis inſculptum erat, Scirtas fl. male ſaltabit ciuibus, ſita erat in latit. 37. 40. Exiſtimant aliqui etiam hic fuiſſe Orpham vrbem magnæ dignationis, quæ ſuo ambitu continebat milliaria 12. ſine vlla foſſa. Ferunt in eius medio fuiſſe duas columnas eximij operis, & fontem qui 7. molas intra vrbem circum agebat, & agros in vicinia fœcundabat, multa item in ea extitiſſe palatia & 12. Templa multo marmore ornata, verum ante annos aliquot eam maiori ex parte deſtruxit Turcus; eſt tamen adhuc Metropolis Meſopotamiæ quæ nunc appellatur Diarbec. Edeſſa. *Zonaras in Iuſtino.* Orpha Metropolis Meſopotamiæ.

2. Sub Maſio monte in lat. 37. 30. fuit Niſibis, Antiochia, Mygdonia etiam appellata cum à Macedonibus Mygdoniis incoleretur: fuit autem aliquando tanti habita, vt Tigranes in ea ſuos repoſuerit theſauros, duplicique muro lateritio magnæ craſſitiei, foſſaque magnæ altitudinis circundabatur, cum eam Lucullus cepit. Romani poſtea magnum totius Syriæ in ea propugnaculum fecerunt. Niſibus. Antiochia Mydonia.

Ab Orfa poſt biduum occurrit Iumilen caſtellum ſuper monticulum, debili muro, & foſſa anguſta in ſaxo exciſa cinctum: in ambitu plures ſunt ſpecus in quibus habitant agreſtes in agro aridiſſimo, in quo propterea aquas ſeruant in ciſternis. Iumilen.

Digitized by Google

Caramit quibuſdam Metropolis Meſopotamiæ.

3. Tridui itinere ab Iumilen habes Caramit amplum opidum, quod à Conſtantino ſtructum volunt in eminenti ſcopulo duplici cinctum muro quorum exterior nonnihil collapſus, interior eſt adhuc validus, & multis inſtructus machinis cum 360. qua turribus qua turriculis fabricæ admirabilis. In opido viſuntur multa magnifica templa, & palatia marmorea Græcis literis inſcripta: abundat aquis & fontibus nec non fluuio, qui Hibernis menſibus ſupra modum intumeſcit, & rapide decurrit ad Aanchif & iuxta Bagdat confluit in Euphratem. Porro Caramidam Turci vocant Cara-emit, hoc eſt nigram ciuitatem, ſiue quod ex nigro lapide perſimili Gagati, ſeu Thracio lapidi, ſiue ob ſoli vbertatem nigreſcat. Regitur à Baſſa qui 12. Sangiacis & 30. Tynario Timariotarum imperat, aliqui eam volunt Metropolim Meſopotamiæ.

CAPVT V.

Chaldæa.

Chaldææ termini.

1. INfra Seleuciam & confluentes Euphratem & Tigrim ab Occidente ad mare Perſicum, & Deſertæ Arabiæ montes eſt Chaldæa regio; altrix Philoſophiæ veteris, quæ futura prædicere gloriabatur. Conſtat nuſquam diligentius ſeueriuſque Mathemata ſtudia exculta. Beroſus grauis autor prodit coctilibus laterculis eos inſcripſiſſe 730. obſeruationes ſyderum. Nuſquam ager felicior in toto Oriente, Ægyptio vberior, etſi enim limum non inuehant Euphrates & Tigris ſicut Nilus, reſtagnantes tamen in Meſopotamiam & Chaldæam æſtuoſas regiones ſic fœcundant, vt licet herbas non gignant, ſegetum tamen fiunt ita luxurioſæ, vt niſi bis ſecentur, & dente pecorum tertio caſtigentur, folia tantum ferant: nunquam non fere ducenta reddit; & vbi præſtans bonitate ſe vincit etiam ad trecenta, quaternum fere digitorum latitudine triticeis atque hordaceis foliis ad proceritatem arborum. Suo vero tempore demeſſa ſeges etiam ſequente anno ſponte renouatur, ex impreſſis veſtigio ſeminibus. Addunt aliqui folia palmarum hic ſeri & in arbores prouenire. In ipſis etiam Chaldaicis paludibus, quas efficiunt amnes effuſi, licet paulo grauior ſit aër, fructus tamen ſunt optimi, & vitis in ipſis paludibus & lacubus naſcitur, terra in arundineis cratibus impoſita, quæ per aquas interdum deferuntur, & contis propelluntur. Naſcitur & frequens

Plinius. *Ammian. l. 19.*

Syderum obſeruationes Chaldaicæ.

Plin. l. 6. c. 16 l 18. c. 17. l. 2. c 77.

Tellus omnium maxime ferax.

Herod. l 1. Strabo l 16

quens arundo, ex qua fiunt vaſa, nec non vela ſtorea, & cratibus ſimilia.

CAPVT VI.

Babylon à quibus condita & euerſa.

1. CHaldææ gentis caput Babylon, vrbs primum condita à Nemrodo, qui potentia, audacia, & viribus eminens inter omnes Noëmi nepotes, cum videret proauum conſtanter vrgere ſingulos, vt pergerent in terras, quas ſorte ipſis diſtribuerat: tyrannidem iam meditatus apud ſe cum clientibus & amicis, cenſuit vt inſigni aliqua ac ſtupenda mole, priuſquam diſcederent monimentum ſeparationis omnium mortalium celebrarent; reuera autem vt omnium opera proprium ſibi domicilium excitaret, & vero opere imperfecto, propter obliuionem natiuæ linguæ quam Deus induxit, dum Noëmi poſteri in adeunda terra aſſignata operam nauant, ipſe diuiſionem à proauo ſuo factam negligens, & omnibus imperare exoptans Belus voluit dici, hoc eſt Dominus, & collectis iis, quibus cum vitæ, & morum ſocietate communicabat, in agro filiis Sem aſſignato, ipſe nepos Cam, primo anno à diuiſione linguarum, qui fuit ante Chriſti æram 2121. Ad turrim Babel Babylonem ciuitatem condidit. Antiquiſſimi regni, vel potius primæ tyrannidis caput, ſubditoſque ne à ſe deficerent à vero Dei cultu ad ſacrilegam venerationem Ignis & Solis traduxit. Ninus autem peſſimi parentis peior filius, imperium quod in Babylonia exortum fuerat Aſſyria ſubacta, & vrbis Aſſyriæ amplificato pomerio eam vrbem de nomine ſuo Ninum, ſiue Niniuem appellauit, quæ regni Aſſyriorum fuit Metropolis, ad mortem vſque Sardanapalli, quæ contigit anno ante Chriſtum 811. imo ad mortem Aſſaradonis ſeu annum ante Chriſtum 710. quo Merodach nouus Babylonici Imperij fundator habitus eſt, quod exciſa Niniue, non amplius Aſſyriorum, ſed Babyloniorum Imperium dici voluit. Quod tandem & ipſum deſiit anno ante Chriſtum 537. quo ſcilicet poſt regno ſpoliatum extinctumque Baltazarem, Babylon funditus euerſa eſt à Perſis & Medis, Regibus Dario, & Cyro.

Niniue quando fundata & euerſa.

Aſſyriorum regnũ quando euerſum.

CAPVT VII.

Qualis Babylon.

Quis Babyloniam ad ſummum denis euexit.

1. BAbylonis, vt monui, primus conditor cum Belus fuiſſet, exiguam & inundationibus Euphratis pene dirutam Semiramis ampliſſimam, munitiſſimam & ornatiſſimam fecit. Nabuchodonoſor Rex poſt vaſtatam in Aſſyria Niniuem, Alexandriam in Ægypto, Hieroſolymam in Iudæa, Gazam in Paleſtina, Tirum, & Sidonem in Phænicia, Damaſcum in Syria, Suſam in Perſide, Ecbatanam in Media, Babylonem de integro inſtaurauit, & locupletatam, aliarum opibus ſedem Imperij ſui conſtituit.

Situs.

Primum autem Semiramis Babylonem conditura, locum delegit totius Imperij ſui maxime feracem, nec ad mare poſitum, nec multum ab eo remotum, proxime confluentes Euphratem & Tigrim fluuios inter celebres, qui Aſſyriorum regnum quantum quantum eſt, vel ipſi, vel in ipſos influentes perluebant. Si deerat lignorum copia, in proximo erat campus iugeri magnitudine, qui velut piſcina flagrabat, & gleba, quæ maxime coit, eſtque coctilibus idonea. Plantam Architectis propoſuit forma quadratam, quæ 60. paſſuum millia, hoc eſt leucas Gallicas 20. complectebatur. Operarum vicies centena millia coëgit & cuilibet ex amicis & magnatibus attributo vno ſtadio cum omnibus impenſis ad id neceſſariis, intra anni ſpacium opus abſoluit, quod omnis poſteritas eſt admirata.

Strabo l. 16

Icnographia. Amplitudo. Operarum numerus.

Diod l. 2. Curtius l. 5 c. 4.

Foſſa.

2. In vaſta planicie longe aptiſſima, extrinſecus deſignata eſt foſſa, futuris mœnibus & latitudine & altitudine ſuppar. Quidquid terræ in deprimenda foſſa efferebatur id in lateres efformabatur. Murus fuit 50. cubitorum regiorum craſſitudine, qui ſex iuxta curribus vehendis ſufficiebant: ducentorum celſitudine, turreſque ſuperabant murorum altitudinem decem cubitis. Conſtabat opus coctili latercu-lo, arena, pice, bitumine, ſeu naphta omni cæmento firmiore interſtrato, immiſſis conuenienti ordine, & oportunis locis lapidibus politis, ſingulis tres cubitos latis, ſex longis. Supra cingulum ad oram muri, loco periboli inſtructa erant cubicula ad ſe inuicem conuerſa, tanto interuallo, quanto quadriga interagi poſſet. Fluuius qui vrbem ambibat integram, & perfluebat mediam, ne corrumperet foſſas, magnæ molis crepidinibus, ex cocto latere muris latitudine paribus, ab

Murus.

Periſbolus.

Dio. Euſtatius ad Periergeſim Dionyſij.

Crepido foſſæ.

Digitized by Google

ab vtraque margine ripæ coërcebatur.

3. Portæ in ſingulis lateribus erant vicinæ quinæ, æreæ omnes, quæ Templa decerent. Inter quas ea quæ Nitocris Reginæ ſepulcro inerat nobilis, habebat hanc inſcriptionem: Si Regi opus eſt pecunia, aperiat me & inde capiat quantum voluerit. Ædificia non erāt admota muris, ſed inter domos & mœnia Pomerium, ſeu via relicta erat duorum iugerum, hoc eſt 200. pedum per 90. ſtadia habitabatur, nec omnia contigua erant ædificia, domus quaternarum erant contignationum, minaci proceritate mirabiles. Portæ. Pomerium. Domus.

Cætera colunt, ferúntque ciues, vt ſi externa vis ingruat, obſeſſis alimenta ex ipſius vrbis ſolo ſubminiſtrentur: omne illud ſpacium erat ſectum in vias tum rectas, tum tranſuerſas, quæ ad flumen pertingebant, ad quarum ſingulas pro numero vicorum, portulæ factæ erant in Maceria quæ flumen ſepiebat, Euphrates in Meridiem feſtinans ex æquo diuidebat Babylonem in duas partes, & crepidine, maceriaque eiuſdem operis, qua intra foſſam, quæ vallabat vrbem, continebatur. Qua fluuius anguſtiſſimus erat, quinque ſtadiorum Pontem 30. pedes latum ædificauit Regina, columnis duodenum pedum interſtitio mira in profundum arte iactis. Lapides vt inter ſe firmius connecterentur, vncis ferreis diſtinxit, & plumbo compages illiquato expleuit; hæ pilæ, ſeu columnæ in angulos acutos ex parte inferiori ad facilius findendam aquam, paulatim in rotundum vſque ad ſuperficiem quadratam deſinebant. His in longum ſuperpoſitæ erant cedrinæ & cupreſſinæ trabes, palmarumque caudices & rami prægrandes, tandemque aſſeres tranſuerſi & ſublicia quadrata, per quæ Babylonij interdiu tranſmittebant, & ea noctu tollebantur, ne per noctem tranſeuntes mutua furta exercerent. Aiunt vero ſub ipſo Euphrate actum à Semiramide cuniculum 15. pedes altum quo poſſet ab vno palatio & vrbis parte in alteram ſecreto tranſire. Pars agriculturæ deputata. Crepidines Euphratis. Pons. Cuniculus ſub Euphrate actus.

4. Regiam quæ in Occidentali parte vrbis eminebat cingebant ternæ coronæ operis figulini: primus ambitus fuit ſtadiorum 60. ſumptuoſis mœnibus ex cocto latere conſtructus: alter intrinſecus in orbem ductus conſtabat crudis lateribus, & habebat omnis generis animalia, colorum artificio ad veritatis ſimilitudinem efficta, 40. ſtadia longus, lateres 300 latus, 50. orgiarum altus erat, turres vero ad 70. orgias ſurgebant. Tertius murus & infimus qui arcem comprehendebat 30. ſtadia complectebatur, beſtias omnis generis ad viuum expreſſas repræſentans, eratque videre Semi- Regia.

ramidem quæ ex equo Pardalim iaculabatur, & virum eius Ninum qui lancea cominus Leonem feriebat. Super arcem horti penſiles murorum altitudinem æquantes, multarum arborum vmbra amœni, quarum ſtipites erant 8. cubitorum, & altitudo 50. pedum; procul viſentibus ſyluæ montibus ſuis imminere videbantur. In his olim inambulans magnus Nabuchodonoſor cum vrbis magnitudinem, & magnificentiam admirans & faſtu tumens dixiſſet, nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei, phantaſia ipſius ita eſt perturbata diuinitus, vt ſe in beſtiam conuerſum arbitratus ſit, permiſſuſque ſit poſtea abire in ſyluas, more quadrupedum ambulare & ritu beſtiarum per 7. annos ſermones inconditos edere.

Horti penſiles.

E regione arcis in medio vrbis ad Orientem ſitæ eminebat Beli templum, ſeu turris antiquorum omnium calamo decantata. Stabat in plano 2. ſtadiorum: totum opus 8. turribus ſibi cum proportione ſubiectis conſtabat, quas omnes templum Bel premebat, in eo aliud erat nihil, quam lectus ſplendide ſtratus, & appoſita menſa aurea, neque hic conſtabat hominum aliquis, præter mulierem vnam ex indigenis quam ex omnibus Deus delegiſſet, vti narrant Chaldæi huius Dei ſacerdotes; his forinſecus ſcalæ ſunt in circuitu adhibitæ, per quas ad ſingulas aſcenditur turres, in mediis gradibus ductus ſellæque in hoc factæ, in quibus qui aſcendebant, feſſi poterant quieſcere. Porro cum Herodotus primam harum 8. vocet turrim ſolidam craſſitudine ſimul & altitudine ſtadij, hoc eſt 600. pedum, ſi aliæ ipſi fuerint in altitudine æquales, fueritque tantum decrementum earum in latitudine, erit totius operis altitudo 4800. pedum, cum tamen Hieronymus ei 4000. paſſus tribuat. Aliud præterea ſacellum fuit inferius, cuius, ſtatua cum ſella & ſupellectile æſtimabatur decem auri millionibus. In hac porro tali ac tanta Babylone dum in conuiuio 100. optimatum frequentia celebri laxe ab omnibus bibitur in ſacris Deo Hieroſolymitani templi vaſis, ipſe Rex Baltazar dormiens occiditur, Cyruſque per alueum Euphratis ingreſſus vrbem occupat, expilat, & ex parte diruit, tandemque poſt 18. annos cum rebellaſſet, Darius captam Zopiri opera euertit, muros eius circunquaque deiicit, & portas omnes diruit. Vltio Domini eſt.

Turris.

Baltazaris mors.

Euerſio Babylonis.

CAPVT

CAPVT VIII.

Tigris Fontes.

1. EX eodem fonte quo Euphrates oriri Tigrim non ſacri modo codices aſſerunt, ſed præterea Lucanus his verſibus. Fontes.

Gen. c. Lucan. l. 3 Pharſalia.

Quaque caput rapido tollit cum Tigride magnus
Euphrates, quos non diuerſis fontibus edit
Perſis, & incertum, tellus ſi miſceat amnes.
Quod potius ſit nomen aquæ.

Similiter & Boëtius l. 5. de Conſolat. Phil. metro 1. hoc verſu celebri.

Tigris & Euphrates vno ſe fonte reſoluunt.

cui poſſum etiam addere Strabonem qui libro 11. pagina 521. ait Tigrim ex eodem monte deferri quo Euphrates: quamuis enim in eadem pagina poſt aliquot lineas dicat fontes Euphratis & Tigris diſtare inuicem ſtadia 2500. Priora tamen verba exiſtimo intelligenda de fonte primario, alia de ſecundario, nec de ea re dubitabit, qui attentius legerit verba, quæ poſtmodum eodem libro pag. 529. ſubiicit, vbi ait Tigrim antequam accedat ad Gordieos montes, Paludem Arſenam, quam & Tonitim appellat, Ptolemæus vero Arſinam, Plinius Arethiſam, præterfluere, & in intimo receſſu huius paludis incidere in voraginem, longoque ſpacio infra terram labi, poſteaque emergere non longe à Gordieis montibus, vbi ſcilicet fontem illum conſtituit, qui à primario fonte 2500. ſtadiis diſtat. Bis ſimiliter in cuniculos mergi teſtatur Plinius l. 6 c. 27. & ſuperioribus carminibus ſupra laudatus Poëta Lucanus hæc addit.

Arſena. Tonitis. Mergitur infra terram.

At Tigrim ſubito tellus abſorbet hiatu
Occultoſque tegit curſus, rurſumque renatum
Fonte nouo flumen pelagi non abnegat vndis.

Communiter autem hunc ſecundarium fontem, fontem ſimpliciter appellant Tigris, quem Ptolemæus conſtituit in long. 74. 40. lat. 39. 40. quod videlicet vulgus, hodieque adhuc Turci exiſtiment hic primum exiſtere è fonte ſcilicet conſpicuo, quem Plinius vocat Elongoſine; Procopius vero lib. 1. de bello Perſico, non vnum & eundem fontem vtriuſque non dicat, proximos tamen aſſerit, & Euphratem dextrorſum, Tigrim vero ſiniſtrorſum abire.

2. Initio igitur pigre fluit per ſylueſtres ripas nec prius

Digitized by Google

appellatur Tigris quam poſt acceptas aquas multorum torrentium violenter ſit ingreſſus Medorum fines, hic notationem nominis aliqui petunt à ſagitta quam Medi vocant Tigrim, alij à velocitate beſtiæ ſumma pernicitate currentis. Hebræi teſte Dauide Kimi appellant Kidekel, vel ab acuto ſapore vel à curſus celeritate: omnium enim fluuiorum velociſſimum dicit Euſtatius poſt Dionyſium. Plinius locum vnde incipit concitari vocat Diglino. Prouincias præcipuas decurrit tres, Armeniam, maiorem, Aſſyriam & Suſianam. In Armenia maiore, vt diximus, influit in Arſenem lacum in longit. 78. 35. latit. 40. 45. cuius aqua non eſt ſalubris potui, quod nitroſa ſit, & operam præſtet fullonibus in eluendis veſtiūm ſordibus. Per hanc autem tanta velocitate fertur etiam colore diſſimilis, vt nec aquas, nec piſces miſceat propter grauitatem paludis, quæ pondera quæuis ſuſtinet. In intimo autem paludis receſſu Tigris in voraginem multo cum ſonitu incidens, longóque ſpacio infra terram labens tandem Gordiæos montes ad dexteram relinquens iterum emergit fonte conſpicuo, cuius ſitum ſuperius ex Ptolemæo recenſuimus.

Strabo l. 11 & Plinius.

Gordiæi montes.

3. Hi porro ſunt Gordiæi montes, in quibus Arcam Noë à Diluuio conſediſſe aſſerunt Iudæi, Turci, Armeni, qui & nomen Ararath, quod Geneſeos 8. legitur Armeniæ tribuunt. Turci enim vocant Augri-Daugh, Armeni Meſſi-Saur, voluntque ita editum eſſe, vt reliquos circumpoſitos ſuperemineat, pluribus enim minoribus coronatur, in quorum faſtigiis rudera magnorum ædificiorum viſuntur. Vertex, iugi niue candicat: E radicibus milleni fontes ſcaturiunt, qui torrentibus ſuis alij Tigrim, alij alios fluuios augent, & in circuitu viſuntur circiter 300. Pagi Armenorum & Georgianorum. Præter antiquum monaſterium D. Georgio ſacrum, quod adeo amplum eſt, vt Perſarum Imperatorem Tamaſen cum exercitu potuerit capere, qui Monachorum Auſterum viuendi modum contemplatus, illud minime excidit, vti prius ſtatuerat. Iuxta illud magna farris copia naſcitur quod Europæo duplo maius dicitur, & Rheubarbarum, ſed quod nulli ipſis eſt vſui, quod ignorent modum radices ipſius ſecandi.

Ex itinerario Ioānis Carturigti Angli.

Milleni fontes.

Rheubarbarum.

Catharactæ Tygris.

4. Addunt præterea Tygrim in tres ſcopulos incurrere & tam admirabilem in modum ſuſpendi, vt qui ſubter tranſeunt vereantur ne capitibus ſuis irruant, ideoque Turcos hic tres pontes ſtruxiſſe, vt eorum adminiculo, hæc naturæ miracula propius liceat intueri: verum tantum eſſe vndarum

murmur

Digitized by Google

murmur in præceps ruentium, vt animos potius horrore quam admiratione percellant. Admittit poſtea Nicephorium amnem, qui Tigranocertam alluit 76.45:39.40. Armeniæ aliquando regiam. Mox Tauro reſiſtente in ſpecu mergitur, ſubterque lapſus poſt 26. minuta iterum emicat, purgamenta plurima ſecum trahens, & quæcunque prius ipſi commiſiſſes, deinde identidem abſconditur, rurſumque redditur. Mox inter Aſſyriam & Meſopotamiam ſuas agit aquas. Nicephorius fl.

CAPVT IX.

Aſſyria.

1. SEcundo à diuiſione linguarum anno qui fuit 2120. ante Chriſtum Aſſur filius Semi cum familia ſua egreſſus Babylone, immigrauit in eam Prouinciam quæ ei obtigerat, & quæ ab ipſo deinceps Aſſyria eſt appellata; & ſibi metuens à Nemrode hoc eſt Belo homine fero & violento qui Babylonem occupauerat, ad Tygrim, vrbem condidit quam de ſuo nomine vocauit Aſſuriam. Verum mortuo poſt duos annos Nemrode, Ninus eius filius in Aſſyrios mouens regionem & vrbem Aſſur occupauit, ipſamque magnificentius ornatam Ninum ſeu Niniuem appellauit. In monimentum tamen victoriæ ſuæ maluit Aſſyriorum Rex dici, quàm Babyloniorum, quod hoc paternam, illud propriam virtutem commendaret. Quanta fuerit ab initio huius Imperij magnitudo incertum: Quamuis enim dicat Iuſtinus, totius Orientis populos Ninum ſubegiſſe, ſunt tamen qui exiſtimant pleraque eorum quæ conſequentes Reges Aſſyriorum armis acquiſiuere, vni Nino fuiſſe attributa: Diodorus vero ſentit eum ſic amplificaſſe Aſſur, vt non modo omnium tunc in orbe terrarum maxima fuerit Niniue, ſed etiam vt nemo poſterorum tale quid aggreſſus fuerit. In re valde obſcura certum 1. Regni Aſſyriorum Epocham non à Nino, ſed à Belo, hoc eſt, Nemrode qui 65. annos regnauit in Babylone, ſuum repetere initium. Certum 2. primum fuiſſe in orbe regnum & ampliſſimum, & maxime diuturnum cum perdurarit per 1402. annos, deſieritque tantum in Aſarhaddone anno ante Chriſtum 720. Certum 3. ſi credimus Plinio, Aſſyriam proprie dictam eam tantum fuiſſe partem Syriæ, quæ poſtea fuit vocata Abiadena: Si Ptolemæo, eam ab ortu Mediam terminaſſe, ab occaſu Meſopotamiam, à Septen-

Nemeth. Aſſur. Nini quales victoriæ. Epocha Aſſyriorum. Regnorum omniū ampliſſimum & maxime diuturnum. Termini.

Digitized by Google

trio… Armeniam. Aſſyriam denique pleroſque vocaſſe eas omn… regiones quibus Aſſyrij conſtanter imperarunt.

Niniues amplitudo, latitudo murorum.

2. Fuit autem Ninus Aſſyriorum Metropolis impoſita Tygri, in lat. 36. 40. ad ſolis occaſum ſpectans, vrbs clariſſima, cuius ambitus quando eam ædificauit Ninus erat 480. ſtadiorum, id eſt 60000. paſſuum, altitudo murorum erat pedes 100. latitudo, qua tres currus ſimul incederent. Turres 150. ſingulæ altitudinis 200. pedum, affirmatque Strabo eam Babylone fuiſſe maiorem. Si magnitudinem ſpectes, quam habuit tempore Ionæ Prophetæ, id eſt, plus 1200. annis poſtquam à Nino fuerat condita, tanta fuit intra mœnia eius amplitudo, vt tota vicatim obiri non minus triduo poſſet; frequentia vero habitatorum tanta fuit, vt in ea eſſent centum & viginti millia infantium qui nondum per ætatem ratione vterentur. Etſi porro fuerit ſæpius bello capta, & in hoſtium poteſtatem redacta, euerſam tamen ac dirutam pluſquam bis difficile eſt probare. Primum potito rerum Arbace quando, vt Diodorus refert, ferro & incendio vaſtata eſt; Secundo à Nabuchodonoſore quando plane diruta eſt anno ante Chriſtum 601. quod ad Medos defeciſſet, & quidquid in ea fuit eximium Babyloniam tranſlatum eſt. Multis deinde poſt ſæculis reædificatam iterum conſtat ex Nangio in geſtis Sancti Ludouici, & ex Vincentio Bellouacenſi lib. 31. c. 93. qui dicunt circa annum Chriſti 1248. in ea regnaſſe Sultanum Muſſulam, ſeu Moſſac qui matrem habebat Chriſtianam, quique oportunitatem tantum expectabat quo fieret Chriſtianus. Conſtat autem ex Onuphrio adhuc anno 1553. mille circiter ædibus tantum fuiſſe inſtructam.

Plin. l. 6. c. 13.
Diod. l. 3.
Strabo l. 16

CAPVT X.

De Vrbe Muzal, eiuſque Patriarcha.

1. IN oppoſita ripa Tygris bis mille paſſibus ab Niniue eſt ciuitas Muzal antiqua Aſſur, nunc ſedes Patriarchæ omnium Eccleſiarum totius Orientis trans Euphratem vſque ad Indos qui 18. Chriſtianorum Eccleſiis præeſt, quarum quindecim ſunt Neſtorianorum, & tres Iacobitarum. Obſeruabis autem longe maximam partem Chriſtianorum qui per Aſſyriam, Perſiam, ac reliquas Orientales regiones habitant, appellari Neſtorianos. Maronitæ extra Libanum pauci ſunt, Iacobitæ ſparſi, nec frequentes, Cophti, ſiue, vt ipſi ſcribunt, Ægophti magis verſus Ægyptum vergunt,

verum

Digitized by Google

verum hi Neſtoriani, nomen potius Neſtorij hæretici, quam errores retinent, cum nihil plane habeant quod illam ſectam referat, & ex communi decreto quem gentes illæ deligunt in Patriarcham, quantum poteſt fieri Romam mittunt, vt à ſummo Chriſti Vicario confirmetur, & qui anno Chriſti 1553. Romam venit Sulaka Neſtorium nominatim eiurauit. Fuitque ab Iulio Pontifice perquam benigne exceptus, & Patriarchali pallio ornatus in Conſiſtorio, Poſtquam fuiſſet in Epiſcopum conſecratus. Fuerat porro hic Sulaka prius Abbas celeberrimi Monaſterij Rabban Horſmid vltra Tigrim, haud longe ab Altus patria Naum Prophetæ, vbi & ſepulcrum eius viſitur, viſitaturque cum veneratione à Chriſtianis & Iudæis. Electus vero in Patriarcham propter eius vitæ ſanctitatem & doctrinam in ciuitate Muzal ab Epiſcopis Arbelæ, Sahaaſt, & Aburbeigam, qui in eam vrbem ſe contulerant, vna cum delegatis ciuitatum Babyloniæ, Tauriſiæ, Ecbatanæ, Niſibis, aliarumque plurimarum. Plura vide apud Spondanum tom. 3.

CAPVT XI.

Reliquum Fluuij Tigris.

1. ITerum Tigris augetur fluuiis Lycô, Carpo, & Gorgo qui Abiadenam ſeu Aſſyriam proprie dictam rigant, & Carpus quidem Arbelam, vicum Darij clade nobilem, ſitum in long. 80. lat. 37. 15. quem hic cum Alexander viciſſet anno ante Chriſtum 329. expugnatis eius caſtris, in reliquo apparatu regis reperit ſcrinium vnguentis refertum, vnde primum luxuria ad peregrinos odores fecit ingreſſum in Europam ex Aſia: Quamuis enim aliquantiſper ab hac vitiorum illecebra ſe deffenderit Roma, poſtmodum tamen præualuerunt, & ipſi Senatui placuerunt odorum deliciæ.

2. Iterum Tigris augetur parte Euphratis, quam excipit in lat. 35. 40. ad Seleuciam vrbem, quam Seleucus Nicanor ad Tigrim condidit ſtadiis duntaxat 300. à Babylone diſſitam; nam & illi, & poſteri omnes huic vrbi maxime ſtuduerunt, & regiam Parthorum eo tranſtulerunt, maioremque & cultiorem Babylone fecerunt. Prope eam pagus fuit maximus nomine Cteſiphon 80. 35. in quem tranſlato ad Parthos imperio ſedes regni conſtituta, & in quo Reges hyemabant Seleuciæ parcentes. Aſſyriam excipit Suſiana regio, de qua mox dicemus. Autores aliqui ponunt hic regionem Gher

Nubienſis Geograph. Niceph. Caliſt. l. 9. c 19. Dion.

abundantem Leonibus, qui gregatim ſubinde potum veniunt ad flumen, nec non equis, quibus iubæ virides, & oculi flaui.

Tigris propius accedens ad mare ſua ſentit incrementa & decrementa, ſenis horis accreſcens & ſequentibus ſex decreſcens, inſulaſque aliquot complectitur, inter quas ea quæ Zezircatelatamo nominatur, in qua naſcitur frumentum, cuius grana nuces æquant.

Frumentum cuius grana nuces æquant.

Oſtio prætenditur inſula Meſſena, in qua vrbs Ptolemæo dicta Teredon, poſtea Balſera, nunc Bazora, quæ leucis quindecim diſtat à ſinu Perſico.

Bazora.

CAPVT XII.

Suſiana.

1. SVſianæ ora maritima patet ſecundum litora ſinus maris Perſici ad 3000. ſtadia ab oſtio Tigris ad oſtium Oroatidis amnis in long. 86. 30. lat. 30. 30. & fines oræ Perſiæ. Nomen accipit à liliis, quæ Perſis patria lingua Suſa dicuntur, quorum iis in locis ingens eſt copia maxime ad vrbem Suſam. Ad occaſum & Septentrionem altiſſimi montes Zagros, & Parchoatras imminentes; omnem borealem flatum intercipiunt, vnde & exiſtit aër æſtuoſus, & ſic feruidus, vt tectis ad duos cubitos incolæ cogantur terram imponere, hordeumq; in ſole ſparſum torreatur non ſecus ac in furnis. Vbi tamen Etheſiæ refrigerant terram, planicies feraces ſunt adeo, vt hordeum, & triticum ferant centuplum, nonnunquam etiam ducentuplum. Cum vites in ea non naſcerentur, Macedones conſeruerunt. In monte Zagro 4. populi fuerunt prædando viuentes, Vxij, Elimæi, Coſſæi, Mardi, qui ab ipſis etiam regibus munera accipiebant, quando reges æſtate Ecbatanis tranſacta, in Babyloniam deſcendebant. Suſij nunquam magna pro ſe tentauerunt, ſed ſemper ſubditi fuerunt, vel in parte maioris alicuius conuentus, cenſi.

Fines Suſianæ. — *Strabo l. 15* — Suſa lilium ſignificat. — *Euſtath. ad Perieg.* — *Strabo l. 15* — Tectis impoſita terra ad duos cubitos propter æſtum. — Ager Suſianus triticum reddit ducentuplum. — Vxij prædones, qui ab ipſo Rege Perſarum tributũ exigebant.

2. Choaſpes, Ptolemæe Euleus, nunc Tiritiri, præcipuus huius oræ fluuius leniſſimam, ſuauiſſimam, delicatam, & regiam vehit aquam, ex ea vnica, prius decocta, & diffuſa in argentea vaſa, bibebant Perſarum Reges, quocunque proficiſcerentur. Fons eius in Media apud Vxios in long. 86. 38. Excipit Choaſpem amnem in long 84. 20. lat. 33. ortum in Suſiana in long. 83. lat. 35. Apud Vxios in Media Eulæus conditur

Choaſpes. — Ex cuius ſola aqua bibunt Perſarum Reges. — *Plin. l. 31. c. 3. & lib. 6. c. 27. Strabo l. 16 Herod. l. 1. Athen. l. 2*

Digitized by Google

ditur ſub terram, & rurſus emergit, abitque in Elimaidem prouinciam humidiorem, quæ ob vliginem non niſi per circuitus obiri poteſt. Perrumpit poſtea montem Parchoatras, vbi anguſtias habet difficulter ſuperabiles: hinc Suſianam, ipſamque Suſam præterlabitur, miſcetur mari in long. 84.40. lat. 30. 40. Suſa nunc Sutra 84. 34. 15. dicitur condita à Memnone, figura oblonga, ſtructura Babyloniæ perſimili, è latere coctili & bitumine. Addita ab eius filio Memnone arx Memnonia, arte prodiga illaqueatis auro lapidibus fabricata. Regiam in ea ſuam Cyrus collocauit è candido marmore, columnis aureis, ingenti gemmarum copia exornatam, cuius laquearia, cœlum meantibus ſtellis refulgens æmulabatur. Hic vero ſibi potiſſimum conſtituit ſedem, quod victis à ſe gentibus immineret. Darius Hytaſpis filius cum altero tanto reddidiſſet pulchriorem, alter eius conditor non immerito habitus eſt.

Eulæus fl. latens. Suſa. Arx Memnonia. Cyri Regia miri operis & pretij.

3. Multi Reges cum in ea, ætate longa incredibiles cumulaſſent opes, liberis, poſteriſque, vt arbitrantur; vna hora in Alexandri externi regis manus intulit. Aiunt vero ex his theſauris 180. millia talentum argenti, hoc eſt centum & octo milliones auri exegiſſe. Narrat Paulus Venetus anno Chriſti 1250. dictam Baldachum, & à Tartarorum rege Allau captam, licet in ea eſſent pluſquam centum armatorum millia & Caliphum Saracenorum vrbis dominum qui lapidibus pretioſis, quæ noluerat militibus elargiri, à Tartaris incluſum in ea, & incubantem theſauro ſuo periiſſe fame. Ait præterea hoc flumen effundere ſe in mare & ſecundum illud inſtitores per dies 18. aſcendere, vt pannos ex auro & ſerico pulcherrimos, quibus abundabat, emant.

Theſauri regum Perſiæ. *Venet l. 1. c. 16.* Calipha Saracenorum.

CAPVT XIII.

Perſia proprie dicta.

1. SVſianæ, Perſia connectitur, quadratæ propemodum figuræ, cuius latus quodlibet eſt 400. circiter mille paſſuum Geometricorum. Clauditur à Septentrione monte Parchoatras, ab Auſtro ſinu qui ab ea Perſicus dicitur, ab occaſu montibus Suſianæ qui deſinunt in oſtio fluuij Oroatis, & ab ortu fluuio Bagradas.

Perſidis. Figura. Amplitudo. Fines.

Gentis autor fuit Helam primogenitus Sem, à quo Elimæi, ſeu Elamitæ appellati. Temporibus Abrahæ ipſis imperauit Codorlahomor quo duce excurrentes Elamitæ ad

Helam gentis autor. Elamitæ.

Digitized by Google

Sodomorum vſque regionem eam tenuerunt annis 12. A Perſeo Iouis filio poſtea dictos Perſas inuenio apud Euſtathium: vt vt ſit Perſarum gens diu obſcura initium commen- *Euſtath. Iliad. 1.* dationis & famæ accepit à Cyro anno ante Chriſti æram 559. qui Aſtyage ſuperato, deuictis Medis, Lydis, Babyloniis, imperium primus in Perſidem intulit, & è minimo florentiſſimum reliquit.

Initium cõmendationis accepit à Cyro.

Regio arida.

Planiſſima eſt regio, & valde arida, in multis locis ſi quæ reperiuntur aquæ, ſunt ſalſæ. Ab vtroque latere montes imminent maxime feraces, ſunt & valles culturæ idoneæ. Pauca tamen pro amplitudine prouinciarum ſunt opida & pagi, neque ea eſt incolarum frequentia quæ omnibus agris colendis ſufficiat: ductis plerumque canalibus ſub terra agros rigant: pecorum & armentorum magna eſt copia, vaccæ non ea ſunt mole, qua in Europa; oues longe grandiores, obæſiſſimas habent caudas, quarum adypes Perſæ liquefaciunt, vt iis loco butyri vtantur, butyrum enim ignorant ſale condire. Panem habent optimum, poma ſunt noſtratibus minora, Perſica mala vaſtæ molis, & Melones optimi. Temperies adeo diuerſa, vt cum in Armuſia & vicina continente ſupra modum æſtuet, in reliquis tamen prouinciis etiam Armuſiæ propioribus, nihil tale ſentitur, imo interdum acriter gelat.

Ductis canalibus ſub terra rigatur.

Oues obæſæ caudæ.

Perſica mala vaſtæ molis.

Melones optimi.

2. Fluuij in ea nominati quatuor; Oroatis, cui olim appoſita Axia; Rhogomanes nunc Bendamir, ad quem ſita Elymais in long. 91. lat. 33. 20. dicta Perſepolis, ex quo Cyrus *In libro* ædificato in ea palatio, eam regni Perſici caput conſtituit, & *Machab.* ſanctius ærarium in ea poſuit. Eam poſtea Alexander temulentus incendit, cui armatus pepercerat, incendij ſuaſor Thais ſcortum ſimiliter ebrium. Nihil eius ſupereſt præter *Curtius l. 5* vaſta arcis rudera dicta Arabibus Chilminara iuxta Comaram magnum pagum qui ſe offert iis qui à Schiras ad ciuitatem Hiſpaham proficiſcuntur vna circiter leuca à fluuio Bindamir qui etiam Schiras reperitur olim dictus. Colliculus eſt rotundus ſex paſſus altus, cuius vertici complanato 40. columnæ ſuperſtructæ ſunt, ex quibus 19. ſunt altæ 20. cubitos, & craſſæ quantum viri tres complecti poſſunt; eſt & ſaxum cui inciſæ hominum figuræ molis pene giganteæ. Viſitur & conclaue, cuius fores è politiſſimo marmore quod inſtar ſpeculi relucet. Præterea ſunt aliquot atria in quibus ciſtæ è marmore exciſæ in quibus Theſaurus, vt creditur, Regius aſſeruabatur. Perſonarum autem quæ marmoribus inſculptæ ſunt amictus plane conuenit cum amictu magnificorum

Oroatis fl.

Rhogomanes fl.

Perſepolis.

Incenſa.

Maxima eius rudera dicta Chilminara.

Veſtes Perſicæ ſimiles Venetis.

ſicorum Venetorum tunicæ nimirum ad talos demiſſæ cum latis manicis caputia orbiculata, cæſaries ſuper humeros ſparſa, & barba prolixa, quidam ſedent ſellis cum magna maieſtate.

3. Eſt porro Schiras Metropolis prouinciæ Fares, quæ vna eſt ex melioribus huius imperij. duodecim Pharſangas, id eſt 36. mille paſſus complectitur hæc vrbs in ambitu, aëre fruitur temperato. Roſetis abundat, tantumque hic exprimitur aquæ roſaceæ, vt iis poſſit onerari nauis, certe tam ſuauis, eſt odoris, vt nullum ſit cerebrum quantumuis laſſum, quod non poſſit hic recreari, aut refici. In ea panni ſerici texuntur magna copia, exprimitur & vinum totius Perſiæ præſtantiſſimum, vix tamen in ea numerantur 60. ciuium millia. Eminus accedentibus pulcherrimum præbent aſpectum Turres è ſplendentibus ſaxis conſtructæ. Horti & viridaria, in quibus arbores omnis generis qui rigantur canalibus deriuatis ex fluuio, Et pluribus fontibus, ager ſuburbanus tritici, & aliarum frugum feraciſſimus eſt, oues hic ferunt lanam criſpam, & caudas habent, quæ non raro pendent 20. libras: In ſyluis naſcuntur paſſim arbores, quæ Maſtichen exſudant. Incolæ ſunt colore candido, formoſi, & vrbanis moribus. Ibi duo conuentus, vnus Carmelitarum Italorum, alter Auguſtinianorum Luſitanorum, qui Miſſas celebrant, & conciones habent lingua Perſica, Armenia, & Arabica. Potiſſima vero pars auditorum ſunt Armeni. Eidem amni apponitur vrbs Lara regni cognominis caput, quam anno 1593. afflixit terræ motus, qui ſupra 1200. domicilia proſtrauit, nec non Ciſternas diruit. Ab ea vrbe ſortitur nomen Laris, numiſma ex argento puriſſimo notiſſimum per totum Orientem: ſita eſt in lat. 28 30. In ea Reges imperarunt 33. quorum vltimum Ebrahimum Cham anno 1611. Xa-Abas regno ſpoliauit, arcemque ab Auſtro ipſi impoſuit in prærupta Petra ad quam anguſto calle aſcenditur.

Schiras caput Prouinciæ Fares.

Sicut & ſerici.

Oues caudæ obeſæ.

Lara Regnum & vrbs.

Laris numiſma.

Munitio in ea.

4. Ad amnem Bagradas fuit olim Paſargadas vrbs, quam Cyrus præ cæteris coluit, in eaque regiam ædificauit eo loci, in quo Aſtyagem bello vicit, multiſque annis referta fuit orbis terrarum ſpoliis. Hic Cyri ſepulcrum in hortis in turri non ſane magna arborum denſitate occultum, eius pars inferior ſolida erat, ſuperior tabulatum habebat cum perangusto aditu. Illud cum iuſſiſſet aperiri magnus Alexander, non in eo reperit aurum, vt arbitrabatur, ſed tantum corpus in ſolio, clypeum putrem, arcus duos Scythicos, & acinacem, quippe Ariſtobulus qui iuſſu Alexandri prius

Bagradas.

Aſtyages victus.

Cyri ſepulcrum.

Digitized by Google

fuerat ingreſſus auream lecticam & menſam cum poculis, & aureum alueum & veſtem plurimam, & mundum gemmis ornatum diripuerat. His vero fuit ſepulcro inſculpta Epigraphe; ô homo ego Cyrus ſum Aſiæ Rex, qui Perſis Imperium paraui, & Rex Aſiæ fui, ne igitur mihi hoc monumentum inuideas.

Inſcriptio.

Curtius l. 10. c. 3.

Imperij Perſar. initium.

5. Huic regno initium dederat anno ante Chriſti æram 559. ſuperato Aſtyage, deuictiſque Medis, & Babyloniis, clariſſimaque ſemper fuit eius inter præſtantiſſimos Imperatores memoria. Ipſi ſucceſſit Cambyſes filius, qui Imperio patris Ægyptum adiecit; à quo deinde ad Darium, qui ab Alexandro victus & à cognatis occiſus vitam amiſit. Hoc ſtetit Imperium annis 228. Sublato Dario anno ante Chriſti æram 331. Alexander magnus imperauit annis 7. verum licet regni Græcorum in Aſia fundator fuerit, ab eo tamen huius Imperij non eſt ducta Epocha ſeu annorum exordium, ſed à Seleuco 1. qui ex præfecto Babylonis factus eſt Rex: orta diſſentione inter Macedones à Theodoro Bactrianorum præfecto deficiens Arſaces, rerum ſummam ad Parthos tranſtulit. Poſtea tamen reductum fuit ad Perſas virtute Artaxerxis; ſed nec ipſius familia tenuit vſq; ad quatuor ſæcula. Eripuerunt enim id Saraceni Caliphæ, & poſt ipſos emicuerunt Pujani de ſanguine Priſcorum Regum, quos excuſſerunt Tartari duce Halaco; Deinde auitum regnum ſub annum 1499 recuperauit Iſmaël Sophus, cuius poſteri dicti Sophini; illud in hodiernum vſque diem retinent.

Finis.

Imperij Græcorum in Aſia Epocha.

Perſarum Imperium quomodo deuolutum ad Sophum.

6. Sub Coſroë qui fuit 16. ab Artaxerxe regnum latiſſime patuit, à Græcis videlicet ad Indos vſque, cum quibus vtrinque bella geſſit. impræſentiarum patet ab Euphrate ad Indum itinere dierum 55. & à Caſpio mari ad ſinum Perſicum itinere dierum 33.

CAPVT XIV.

Perſarum ritus.

1. REx non niſi morte mutabatur, nec aliis quam qui regiæ ſtirpis eſſent, natuque inter eos maximo, regnum deferebatur, non prius tamen quam diſciplinam ſcientiamque Magorum percepiſſet: ad longinquam autem expeditionem profecturus regni ſucceſſorem deſignabat. Paſagardis à gentis ſuæ ſucceſſoribus inaugurandus Rex ſua veſte poſita, eam qua Cyrus cum priuatus adhuc eſſet, vbi conſueuerat,

Strabo l. 15 Conſtant. nu Iuſtin. l. 11. Cicero l. 1. de Diuin. & Philoſ. Herod. l. 1. Plutarch. in Artax.

Inauguratio.

Digitized by Google

conſueuerat, induebat, deinde offam ſeu maſſam ficuum comedebat, Terebinthi etiam aliquid erodendo abſumebat, & Oxigalæ, ſeu Acidi lactis poculum hauriebat, poſtea depoſitis Cyri veſtibus crura velabat Bracchis, & feminalibus ad genua pertinentibus. Candyn induebat, hoc eſt Candys. Talarem veſtem quadrangulam purpuream, multo auro, multiſque gemmis nec non auium, animaliumque figuris diſtinctam, & accinctus Zona aurea ſuſpendebat acinacem hoc eſt breuem gladium, cui ex gemma erat vagina, tandemque in cella locatus aurea cui inſidere præter quam Regi erat capitale. *Diod. Sic. l. 17.*

Ammian. Marc. l. 30. Plutarc. in Craſſo 2. Surina magiſtratus poteſtatis ſecundæ poſt Regem Surena. cingebat frontem regiam Cidari, hoc eſt Diademate Perſico, Cidaris. quod erat regiæ maieſtatis inſigne, eratque purpurea faſcia albo pano diſtincta, & imponebat Tiaram, hoc eſt pileolum in frontem deiectum, Tiara. quem ſoli Regi rectum & velut in perpendiculum elatum geſtare ius erat, tumque mutabant nomen & diuini honores ipſis tribuebantur, vt intelligerent erga omne hominum genus vices Dei fungi, ſalutemque & tutelam eſſe Perſarum, Nomen mutabant. quicquid habent ſe conſecutos à Deo; & homines quidem ſe eſſe, ſed primos à Deo, indeque quiſquis eum adibat non modo flectebat caput, ſed procumbens humi corpus proſternebat manibus poſt tergum reductis, & æternam vitam, & imperium precabatur. qui ritus erat Perſicæ adorationis, idemque præſtabant etiam Regum legati, qui cum ipſo Rege coram volebant agere: Adoratio Perſarum. imo ætate Apollonij, Babylonem ingredientibus, aurea regis imago proponebatur, quam qui non adoraſſent, ingreſſu vrbis prohibebantur. Imo qui in Regum oculos incurrebant, illico manicis manus inſerebant. Quo autem Rex auguſtior eſſet, raro ſe præbebat conſpiciendum. Abſque eius Raro ſe viſendû præbebat. iuſſu nemo Regiam ingrediebatur, ſtabant proceres pro foribus regiæ, litteris eius annulo obſignatis nefas contradicere. *Curt. l. 8 Tertul. l. ad Scap. Lucian. in Nauigio. Philoſtrat l. 1. de vita Apoll.*

Ariſtot. l. de mundo. 3. Sedes ſtatis temporum vicibus mutabant, æſtate Suſis, hyeme Ecbatanis degebant, aliquando Perſepoli, vel Regiæ quales. Perſagadis. Regiæ tecta fulgebant eboris, & argenti luce flammea, auri & electri claritate, ante fores viri fortes, ſtipatoreſque regalium laterum tutela peruigili cuſtodiam per vices ſuſtinebant. Solenne autem ipſis fuit, vt mane quotidie ab vno de cubiculariis excitarentur, Excitatio matutina. vt ad regni procurationem ipſis à Deo creditam ſuſcipiendam è lecto ſurgerent. Excitati vero de pietate diſſerebant. *Plutarch Stobæus ſer. 41.*

Sacrificia. 4. Tum rem diuinam faciebant aſtantibus ſibi Magis, eiuſque rei gratia mille in ſingulos dies quotidie boues, aſinos, & ceruos cædi conſueuerant, quo planum faceret populo res diuinas eſſe Regi curæ, eoſdem etiam Magos Regum conſiliis intimos fuiſſe plurium autoritate poteſt confirmari. Dum autem egrediebatur Rex è domo regia, vt Deos ſalutatum iret, vel eis ſacra faceret, ſtabant ex vtraque parte viarum, per quas Rex inceſſurus erat, militum ordines, inter quorum cancellos nemini præterquam honoratis ingreſſus patebat. Maſtigophori eos, qui ordines interturbarent, ſubmouebant. Pro foribus Regiæ haſtati erant, & equites ex equis deſcendebant apertis regiæ foribus, primum ducebantur tauri eximij quaterni Ioui & aliis Diis quibus rem diuinam faciendam eſſe Magi ſtatuerant. Poſt hos ducebantur equi Soli grata & accepta hoſtia. Poſtea educebatur currus albis equis iunctus, aureum habens iugum coronis redimitus, Ioui ſacer, deinde Solis currus, albis quoque equis vectus, eodem modo coronatus vt prior, ſub hunc educebatur tertius alius currus, cuius equi puniceum ſtratum habebant, pone currum ſequebantur homines ignem ferentes in foco ingenti.

Philoſtrat. l. 1. de vita Apoll. Xenophon. l. 8. Dio Chryſoſt. orat. 49. Procop. l. 1. de bello Perſico.

Magi. Egreſſus è domo. Maſtigophori. *Xenophon.* Ignis.

5. Tum exibat Rex curru vectus, rectam habens Tiaram, & amiculum purpureum albo diſtinctum, & circa crura braccas purpureas. Cognati etiam eius iiſdem inſignibus erant conſpicui. Procidente curru præcedebant 4000. ſcutati. Currum vero ipſum circundabant 2000. haſtati, ſubſequebantur & ſceptrigeri equis inſidentes cum iaculis circiter trecenti, equi deinde, aureis frenis ornati circiter ducenti, quos ſequebantur 3000. Perſæ, poſtremo equites Medi, Armenij Hircani.

Cognati Regis.

Viſitandi prouinciæ ritus. 6. Præterea ſolebant Perſarum Reges veteri inſtituto omnes ditionis ſuæ prouincias peragrare, vt reconciliarent æmulas ciuitates, tumenteſque populos non imperio magis quam ratione compeſcerent, intercederent iniquitatibus magiſtratuum, infectumque redderent quidquid fieri non oportuiſſet, & velociſſimi ſyderis more omnia inuiſerent, & omnia audirent, &, vndecunque inuocarentur, ſtatim velut numen adeſſent, & adſiſterent.

Tributum exigendi vera ratio. Summopere autem ſatagebant, vt omni remoto metu agricolæ agris colendis, negotiatores mercaturis faciendis, opifices mechanicis artibus exercendis libere vacarent, prudenter cogitantes, male & negligenter cultis agris, aut opificibus ferias agentibus, artiumque ſuarum exercitio prohibitis,

Xenophon in œconomico.

bitis, tributa, in quibus nerui Reipublicæ poſiti ſunt pendi non poſſe.

7. Cum ius dicebant, cauebant maxime, ne vnquam propere feſtinantérque damnarent, vel inauditum iuberent plecti, ſibi perſuadentes nullam vnquam de morte hominis cunctationem longam cenſeri; Sed principem pigrum ad pœnas, velocem ad præmia eſſe debere, nec ob vnum aliquod admiſſum in reos animaduerti mos erat, ſed ita demum, ſi comparatis eorum inter ſe bene vel male factis, mala præualere, præponderareque liqueret. Iudices ex conſultiſſimis iuris Perſarum legebat, quorum erat perpetuus magiſtratus, & curabat, vt quam integerrime ius dicerent. Siſamnem pecunia corruptum Cambyſes iuſſit pelle exui, eamque intendi ſellæ, in qua filius eius conſideret iudicaturus, Sandocem vero nummarium iudicem in crucem agi imperauit Darius, quod fuiſſet auro corruptus. Nec minus laude dignum, quod omnes, qui fortiter quid ac præclare geſſerant, aut de Republica bene meriti erant, largiter prolixeque remunerabantur; vt ſic generoſos animos ad labores ſtrenue capeſſendos & pericula pro patria adeunda præmiis & honoribus accenderent. In eam rem eorũ nomina, ne meriti nomen excideret, in commentarios referebantur, tumque magna libertate & fiducia ad regiam ſe conferebant, & ſi nullum in aula notiorem habebant, ad ipſum Regem adibant vt innumera ſunt exempla.

[Margin: Iuris dicũdi ratio.]
[Margin: *Ariſtides orat. de paraphtegmate.*]
[Margin: Corruptio magiſtratu coërcenda.]
[Margin: Remunerandi de Patria bene meriti.]

CAPVT XV.

Militaris diſciplina.

1. NOn modicam laudem ex militari diſciplina, & induſtria Perſæ ſemper obtinuerunt; & vero multum ſtudij, non priuati modo, ſed & Reges ipſi adhibebant. Ea vel maxime gratia ab ineunte ætate, æquitare, iacularique diſcebant, & incedere pedibus exiſtimabant vile; eadem de cauſa & natare diſcebant, æſtumque & frigus perpeti. Etiam in alta pace gladio ſemper accincti ambulabant, nec inter epulas eos deponebant, ſimiliter nec pharetras humeris ſuſpenſas. Ex quo autem primum per ætatem arma ferre poterant, in numeros referebantur & Regem in militiam euntem ſequi cogebantur, indigneque ferebant Reges militiæ vacationem à ſe poſtulari. Teſtis eorum vnus, qui rogatus ab Oebazo nobili ſene, vt ex 3. liberis, vnum in

[Margin: Nat]
[Margin: Vacationem à militia petere indignum.]
[Margin: *Herod l. 4.*]

ſolatium patri relinqueret, duorum opera vteretur, pluſquam rogaretur pollicitus omnes ſe illi remiſſurum dixit, & occiſos in conſpectu parentis abiecit.

Mulieres etiam militabant.

2. Ipſarum quoque mulierum multitudo Regis Imperio cogebatur, nullis aliis ſtipendiis quam his, quæ cuique eſt præda merebantur, puluere martio eruditæ: arma ipſis erant Acinaces hoc eſt breuiores gladij, ſeu pugiones ex Zona, aut balteo appenſi qui incumbebant in dextrum femur. Copidem dextra geſtabant, hoc eſt, gladios leuiter curuatos falcibus ſimiles, queis amputabant belluarum manus. Sagarim vocat Xenophon. Loricati erant thorace ſquammeo, initio quidem lineo, quo eſſent expeditiores, poſtea vero ex ære & ferro. *Curtius. l. 8.*

Gerra.

3. Gerra, id eſt è cratibus vimineis contexta ſcuta clypeorum vice geſtabant, figuræ quadrilateræ, altera parte longioris, quæ totum corpus ad pedes operiebat. Vtebantur & haſtili breui ex Cornu, quod dicebatur Paltum: Arcus præterea ſupra cæteras gentes momento tendere, & coactis cornibus celeriter flectere, ſcutaque & loricas traiicere à pueris norant. Fundis quoque Perſæ vtebantur & inermem multitudinem edoceri fundis lapides iaculari Cyrus inſtituit. Galeis in prælio non vſos, ſed ſolas in capite Tiaras geſtaſſe refert Herodotus l. 7. Cum autem apud eos equitandi laus vigeret, pene à pueritia, in equos aſcendere, in equis ſedere, equos flectere, iis vehi, ex equis pugnare, iaculari, ſagittaſque mittere diſcebant. Verum hæc continua in equis vectatio in luxum verſa eſt; nam cum non vellent ſuccuſſores, ſed quibus molliter inſiderent, equos ſtragulis inſternere apud eos inualuit, eoque res progreſſa eſt, vt pluribus equi ſtratis quam lecti ſternerentur, cum Cyri tempore, & equitum corpora à calce ad verticem vſque capitis, ſed ipſi equi frontalibus, & pectoralibus fuiſſent armati, ac præterea ſingulares equi femorum tegumentis, & qui iungebantur curribus, lateralibus tegumentis Xenophon lib. 6. Paid. autor ſit. Falcatis enim curribus ex Cyri inſtituto vtebantur, imo Darium triumphantis magis quam dimicantis more, curru ſublimem iniiſſe prælium tradit Curtius l. 4.

Xenophon c. 8. Suidas. Paltum. Arcus. *Procop l. 1. de bello Perſico.* Fundæ. *Xenophon Paid. l. 7. Strabo l. 5* Equitatio. *Xenophon in Hipparchico.*

Res frumentaria. Stipendia. Caſtrorum progreſſus.

4. Exercitum autem in expeditionem ducentes ante omnia rei frumentariæ prouidebant maxime Reges, & operam dabant, vt ſtipendia militibus conſtituta cuique numerarentur. Porro quo ordine Darius moueret caſtra, progrederetur que paucis accipe ex Curtio l. 3. Die iam illuſtri ſignum è tabernaculo Regis buccina dabatur: ſuper tabernaculum vnde

Digitized by Google

vnde ab omnibus conſpici poſſet imago Solis cryſtallo incluſa fulgebat. Ignis argenteis altaribus præferebatur. **Ignis.** Magi proximi patrium carmen canebant, haud procul erant vehicula aliorum Numinum, ſequebatur equitatus 12. gentium variis armis & moribus. Proximi ibant, quos Perſæ immortales vocant ad 10000. **Immortales.** Exiguo interuallo, quos cognatos Reges appellabant 15. millia. Hinc currus, quo Rex eminus vehebatur. Currum 10000. haſtatorum ſequebantur, horum agmen claudebatur triginta millibus peditum, quos equi regij quadringenti ſequebantur, interuallo deinde vnius ſtadij matrem Darij currus vehebat, & in alio erat coniux, turba fœminarum equis vectabatur. Poſtea Regis **Pecuniæ.** pecuniam ſexcenti muli & trecenti cameli vehebant præſidio ſagittariorum proſequente, quibus proximi lixarum & & calonum greges. Vltimi cum ſuis Ducibus erant, qui cogerent agmen leuiter armati.

CAPVT XVI.

Perſarum ritus religioſi.

Herod. l. 1. 1. PErſæ cum æternum mundi opificem ignorarent pro arbitrio ſibi plura numina finxerunt, ſed præ cæteris *Tertul. in apolog. Philoſt. l. 1. de vita Apol.* cultum impendebant Mithræ, id eſt Soli, ſiue igni perpetuo **Mithra.** quem in linteo, & in clypeo depictum adorabant, & equum album ſub Dio in editiſſimis locis mactabant, Subſtrato victimæ tenerrimo gramine maxime vero trifolio: **Sacrificia.** qui ſacrum peragebat, membratim conciſas carnes tribuebat his qui intererant, credebant quippe Deos ſolam hoſtiæ animam velle, Omenti duntaxat partem aliquam exiguam flammæ imponebant. Publica autem priuataque omnia ſacra obibant Magi, qui ſapientiæ ſtudiis, & rerum diuinarum notitia præcellebant & Perſas diſciplinis imbuebant. *Apuleius apolog. 1. Diog. Laer. in proemio.*

2. Magorum vero ortum & incrementa nemo melius **Magorum officium.** Ammiano Marcellino expoſuit, qui lib. 23. Magiam diuinorum incorruptiſſimum cultum definit, additque huic ſcientiæ ſeculis priſcis multa ex Chaldæorum arcanis Bactrianum **Magiæ ortus.** Zoroaſtrem addidiſſe, & deinde Hyſtaſpem prudentiſſimum Darij patrem qui cum ſuperioris Indiæ ſecreta fidentius penetraſſet, & rationes mundani motus, ſyderumque eruditus, Magis aperuit, quæ illi cum diſcipulis præſentiendi futura per ſuam quiſque progeniem poſteris ætatibus tradunt. Aucti paulatim in amplitudinem gentis ſolidæ conceſſerunt, &

Chaldæorum triplex genus.

legibus ſuis vti permiſſi religionis reſpectu ſunt honorati. Tria autem apud eos fuiſſe genera prædicat Hieronymus l. 11. aduerſus Iouinianum quorum primi, qui & doctiſſimi, & eloquentiſſimi erant, excepta farina & olere nihil amplius in cibum ſumebant; ob eamque victus rationem & ſobrietatem, ætatem in longos annos produxiſſe. Non alios autem, quam indigenas & Perſide ortos doctrina ſua, niſi regis permiſſu imbuebant.

Clem. Alex. l. 1.

Philoſtrat. in Protagor.

3. Certe Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato ad hanc diſcendam nauigaſſe, exiliis verius quam peregrinationibus ſuſceptis. Hanc reuerſi prædicarunt, hanc in arcanis habuerunt. Democritus poſt Pythagoram Magorum fuit ſtudioſiſſimus. Apollonius etiam hanc ſibi in Perſide morandi cauſam fuiſſe dixit. Inter feſtos dies præcipuus ille fuit, quem vitiorum interitum vocabant, in quo ſerpentum, & venenatorum animalium nec non ferarum pleraſque interficiebant & Magis offerebant, pro inſigni pietatis argumento, qua via gratam ſe rem bonis Diis, moleſtam vero læuis numinibus facere arbitrabantur.

Magorum ſtudioſiſſimi.

Plin. l. 30. c. 1. & l. 34. c. 17.

Vitiorum interitus feſtum.

Agathias l. 1.

Fori quadruplex diuiſio.

4. Forum habebant publicum non rerum venalium, ſed liberale, & ingenuum in media vrbe poſitum, in quo erat regia, & in quo principum virorum, & qui morum magiſtri erant, ædes continebantur. In 4. claſſes tribebatur, vna erat puerorum, ſecunda adoleſcentum, ſeu Epheborum, tertia virorum, in quibus vigor completus erat; quarta ſeniorum, & eorum, qui ætatis beneficio vel ſtipendiorum numero vacationem militiæ habebant. Pueritiam autem vſque ad 17. annum Perſæ porrigebant; adoleſcentiam ad 27. impletum: Inde vſque ad 50. annum virilem ætatem, quam deinceps excipiebat ſenectus. Prima luce, aut certe bene mane in forum liberale conueniebant bene multi. Pueris præficiebantur ſeniores lectiſſimi viri qui illos longe optimos effecturi videbantur, nec parentes liberos aſpiciebant antequam ſeptimum impleuiſſent annum, quo paruulorum iacturam æquiore animo ſuſtinerent. Præcipue pueri veredici eſſe & vera loqui docebantur vt omniſque vanitas & fucus abeſſet, ſummoque probro vitioque mendacium apud Perſas ducebatur.

Xenophon.

Ætatum diuiſio.

Valerius Maxim. l. 11. c 15.

Stob ſer. 42.

Mendacij ſummum probrum.

5. In primis etiam iuſtitiam à pueris edocebantur & ius ſuum cuique tribuere, propterea etiam pueri iudiciis, quæ exercebantur, intererant, & præfecti ipſorum puerorum diſceptationibus audiendis diiudicandiſque bonam diei partem impendebant. Magis autem exemplo quam præceptis adoleſcentes

adoleſcentes docebant ſobrie viuere, & continenter ventrique & gulæ moderari. Laudes etiam Deorum, ac res à claris viris fortiter geſtas proponebant. Propterea herbarum & eorum quæ terra naſcuntur vires à pueris Perſæ diſcebant, vt noſcent quæ ſalutaria corpori, quæ contra noxia eſſent, & illa ſicubi vſus poſceret conquirere, hæc vitare, & fugere poſſent. Poſt mendacium Perſæ in proximo ponebant æris alieni molem; vt æris alieni comites fallaciam, inficiationem, perfidiam, & plerumque dare verba pro re creditoribus: ingrati præterea animi crimen ſumme deteſtabantur, & in iudicium crimenque poterat vocari is, qui beneficij accepti immemor gratias, cum poſſet, non retuliſſet. Nec minus inuiſum Perſis deſertionis crimen: Summa autem pietate parentes coluiſſe argumento eſt, quod in conſpectum matris conſidere nefas fuerit. Summa vero laus quod nullus vnquam apud eos inuentus, qui parentibus ſuis impias manus attuliſſet. Poſtremo Perſis quæcunque factu eadem, & dictu turpia cenſebantur. Hæc ſunt in quibus pueri ſtudium operamque ponebant.

Strabo l. 15. *Xenophon. l. 1. Paid.* *Herod l. 1.*

Æs alienum quam grande malum. Ingratitudo. Pietas erga parentes.

CAPVT XVII.

Carmania hodie Chermon.

1. PErſidi, ab Auſtro adhæret Carmania, à fluuio Bagradas ſecundum Armoſum Promontorium, Perſici ſinus Os, nec non mare Indicum ad oſtium Indi fluminis per leucas circiter 200. vox hæc Carmania illorum lingua æſtum & calorem ſignificat, inquit Euſtathius. Duplex eſt, vna deſerta, quæ tam à Septentrione quam ab ortu aliam complectitur, quam dicimus cultam, quantumuis & huius etiam pars maritima deſerta ſit & arboribus deſtituta. In deſerta incolæ ſunt ſine veſte, ſine fruge, ſine pecore, ſine ſedibus, nulla in ea hodie ſunt opida, tantum pagi aliquot diſperſi, quod ſit plana & æſtuoſa, ipſaque flumina æſtate in ſalem, vt noſtra in glaciem hyeme coëant, huius etiam pars maritima & arboribus deſtituta, quibuſdam tamen locis habet palmam, achantum, myricam, & in montibus æs, argentum & alabaſtrum probatiſſimum. Incolæ bellicoſi ſunt cumque deſtituantur equis, nauiter vtuntur aſinis in bello.

Cultæ Carmanniæ pars interior, læta, omnium ferax eſt rerum, magnas arbores habet & vitem fert in qua vuæ mirabilis magnitudinis, interdum bicubitales, ibidem argenti

Euſtat. in Dionyſ. *Strabo. Mela l. 3.* *Imago 1. ſec. Soc. Ieſu.* *Strabo l. 5.*

Carmaniæ fines. Ethimon. In deſerta ſunt. Flumina quæ in ſalem æſtate coëunt. In culta ſunt vuæ bicubitales.

Digitized by Google

fodinæ itemque ferri & minij: montes quoque duo quorum vnus arſenici, alter ſalis ferax: æmulatur lingua & moribus Perſas & Medos, pars eius quæ Occidentem reſpicit, celebriora in ſinum Perſicum emittit flumina Ieſdri & Baſſiri.

Ieſdri flumen.

Ad flumen Ieſdri Ptolomæo Dara, non longe à fontibus circa 35. gradum latitudinis borealis ſecus extremitatem deſerti, in quo per ſeptem dies nulla reperitur hominum habitatio, eſt vrbs amœna Iaſd, Iaſdi aliis Iex, ambitus paſſuum 5000. muro cuncta, vbi textores optimi ſerici cuius quotidie circiter 10. mille pondo ſolida merce diuenduntur, incredibili ſilentio & celeritate, nec ſermone vllo intercedente, quod pretium ſingulis auctoritate publica inſcriptum ſit. Circa hanc vrbem reperiuntur hodiéque ignicolæ qui fanum habent in propinquo nomine Albors, vbi à temporibus Caiomarrkati iam vltra 35. ſecula ignis continuo arſit, ei ſacrificant lignis non niſi melioribus & denudatis cortice, oleoque ſupereffuſo & peccaturum cenſetur, ſi qui illum iniecta re ſordida quacunque contaminent, aut halitum ore tantum vel leniter afflent, vnde & ventilando fouetur tantum: qui auguſtè ſanctéque volunt ſe conſecrare, præſentibus amicis in foueam in qua fouetur, ſe dant præcipites: tertiaque poſt die, bini ſacerdotes deprimoribus in ædes cremati veniunt, & dicunt hæredibus, parate domum, nam ad vos hodie accedet pater veſter. Accerſitis vero teſtibus ex vrbe apparet malus Dæmon habitu illius qui ſe deuouit & hoſtiam conſtituit, tum vxori & liberis ſciſcitantibus quomodo ſe habeat, reſpondet veniſſe quidem ad collegas ſuos, ſed noluiſſe prius eum admittere quam promiſſorum fidem liberaſſet, tum partitur opes ſuas hæredibus, & ſuis iubet creditoribus fieri ſatis, tum ex oculis ſe ſubducit nec deinceps apparet.

Paulus Venetus l. 1. c. 10.

Iaſd vrbs in qua ſerici mira copia.

Silentium in foro.

Ignicolæ.

Strabo.

Conſecrandi ſe igne perpetuo mira ſuperſtitio.

CAPVT XVIII.

Armuziæ regni pars ſita in Carmania.

1. DE Armuziæ Regno ſuperius egi libro 4. cap. 9. tantum hic ſepoſui ea quæ ad illud regnum pertinebant ſita in littore Carmaniæ. Aiunt igitur ſeculo proxime ſuperiori Armuziæ Regnum protuliſſe fines ſecundum littus Perſicum ſeu potius Carmaniæ per leucas 70. in longum ab vrbe Lorm in finibus Perſiæ ad vrbem Baha & in latum verſus Orientem per leucas 28. ad annum Chriſti 1622. quo

Canus

Digitized by Google

Canus princeps Xiras grauiter apud ſe Portugallos offendiſſe ratus miſit Legatum ad Anglos Suratum vbi permagna habebant negotia, & quibus factas quoque nouerat ab iiſdem Luſitanis non leues iniurias quod eos ab his appellendis littoribus prohibebant idque per legatos rogat, vt ſibi nauales copias ſuppeditent, quibus partem Armuſiæ ciuitatis mari obuerſam, tormentis quaſſarent, dum aliam ipſe verſus continentem occuparet, & ſic obſeſſæ vtrinque arci & inſulæ nemo opitulari poſſet, miris pollicitationibus eos inuitat: promittit ab omni tributo fore ſemper immunes, munimenta & arces traditurum Anglorum poteſtati. Ita conuentum, ita perfectum ex parte Portugalli, deditione facta Aprilis 24. Anglorum naues conſcendêre. Verum Perſæ pactis omnibus non ſteterunt.

Princeps Xiras inuitat Anglos ad oppugnationem Armuſiæ.

2. Vtvt ſit quæ magnis laboribus generoſiſſimus olim magnus ille Dux Albuquertius Portugalliæ acquiſiuerat labore multo, paucis diebus collapſa ceciderunt, ita tamen vt has inter ruinas præſtantiſſimi illius ducis memoria ſemper integra vigeat, nec non Antonij Azebedæ qui Reginam illam Armucenſem, quæ in vrbe Goa ſacro fonte initiata eſt anno 1586. duxit in vxorem, illa ſexto menſe à contractis nuptiis cum maritum ſuum rebus domeſticis vrgentibus ad nauigationem in Armuziam habendam adactum videret, tantum inde mœrorem hauſit, vt cum itineris illius comes eſſe non poſſet, eundem ſuæ mortis diem habuerit quem ille profectionis. Aiunt ibidem tunc repertas machinas bellicas 600. tam maiores quam mediocres, partim ex ære partim ex ferro conflatas, quarum 80. in arcis cuſtodiam repoſita reliqua ad vicinas arces ſunt tranſlata, maximeque ad opidum Gamrou & vrbem Lar, quædam etiam ad Regiam Perſiæ ciuitatem Hiſpaham traducta, vbi hodie ante Arcem Regiam diſpoſita ſunt.

Regina Armuziæ ex mariti moritur deſiderio.

Gamrou. Lar.

3. Eſt porro Armuſia inſula in ipſo oſtio ſinus Perſici ſita, in latitudine boreali gr. 26. minutorum 27. 12. minutis ſeiuncta à Promontorio Carmanio & eius continente, dicta olim Ogyris in qua tumulus Deriadis qui Erythræus genere ad Indos profectus egregiè reſtitit Dionyſio aduerſus Indos copias ducenti: appellata deinde Gerum nunc Ormus, quàm commerciis diues tam cæteris naturæ dotibus deſtituta, quippe nullus in ea frutex, nulla dulcis aquæ ſcaturigo, ſalſum eſt & ſulphureum ſolum, quod identidem flammas euomit: Auorum memoria, ſeptem tota inſula ipſos annos arſiſſe fertur ſteriles que in hanc diem ſunt montium

Euſtat. in Dion.

Armuſiæ inſulæ deſcriptio.

Digitized by Google

vertices ab omnibus nudi virgultis & ad inſtar excocti lapidis rufi cinereique coloris, nullas quoque fert inſula volucres, nullum beſtiarum genus ſiue cicurum ſeu ferarum, ſed cunctis non modo ad cibum, verum etiam ad potum rebus inuectis & importatis vtitur. Accedit ardor intolerabilis, quem capite tenus fluctibus merſi, vel in nauiculis puluillo capiti ſubiecto vix incolæ ferunt, vincit tamen hunc æſtum cupiditas, & ex omni parte loci ſituſque oportunitas mercatores adducit: Iudæi, Saraceni, Gentiles, Hæretici, Chriſtiani inuicem miſcentur diuerſi ſinguli ritus, libido atque auaritia communis, cum mercibus vitia inuehuntur, nec minor eſt flagitiorum quam nationum colluuies, hinc laborioſa quidem, ſed felix ſocietatis noſtræ negotiatio fuit hic Gaſparis Barzæi Belgæ, cœleſtis deſudauit induſtria, nulla gens fuit, nullus ordo ex quo non plurimos, vel à vitiis ad honeſtatem, vel ab impiis ſuperſtitionibus ad noſtra ſacra non traduxerit ſocietas noſtra: Eſt vero in interiori ſinu, ante inſulam, ſitum Gamrou opidum in regno Laræ à Luſitanis conditum ad oram ſinus Perſici, nunc autem paret duci Schraz; nungentas circiter familias enumerat: ad illud Belgæ appellunt, qui hinc merces pretioſiſſimas euehunt; munitur arce duplici, ad litus Meridionale & verſus arctum. validum præterea habet propugnaculum ad oram ſinus, plurimis machinis munitum & quadringentis præſidiariis: in eiuſdem ſinus oſtio miſcetur mari fluuius Archindama hodie Baſſiri dictus, qui Carmanam Metropolim Perſarum olim Imperium rigat, nunc Kermon, præter quam vix vllum eſt aliud in tota regione opidum celebre, quod ora inferior deſerta ſit, exterior vero ad Indum flumen vadoſa & nauibus inuia. Hinc educitur aquæ roſaceæ, quæ per totum Orientem maximi fit, ingens copia, non eius tantum quam dicunt ſudorem roſarum, quæ per emiſſitium & teretem canaliculum quem communiter Alembycum vocant extrahitur, ſed præterea illius quæ per infuſionem fit. Item aulea ſeu ſtragula & lecti magni pretij, quæ iis tantum cedunt, quæ texuntur in Iaſd. Denique præſtantiſſimi omnium acinaces ſeu vnius aciei recurui gladij, qui loricam ferream fodiant, hic cuduntur: & innumeri artifices, qui frena calcaria & alia inſtrumenta fabricant, mulieres vero deſtinentur opere plumario. In montibus plurimi reperiuntur lapides, Turchini vulgo dicti.

[Margin notes: Gamrou. — Armania nunc Kermon. — *Euſtat. in Dion. Paulus Venet. l. 1. c. 21.* — Aquæ roſaceæ magna copia. — Stragula. — Acinaces.]

CAPVT

CAPVT XIX.

De copioſo mercatu qui in ſinu Perſico; In vrbibus Baſſora & Armuza exercetur.

1. DVo ſunt quæ non leuiter faciunt ad ſinus Perſici commendationem, alterum petitur ab vnionum piſcatu de quo ſuperius dixi libri 4. cap. 10. alterum à copioſo mercatu in vrbibus Baſſora & Armuza exercito, de eo qui Armuzæ viget hoc vnum dicam, ſcire poſſe neminem niſi expertum qualis ille quantuſque ſit, ad aliquam tamen illius notitiam, ſatis eſt meminiſſe in ſumma iniquitate & ſoli & aëris, adeo copiosè hanc vrbem omnibus abundare, vt vnionibus, lapidibus pretioſis, & cũctis quæ aut voluptuarij ad delicias, aut ambitioſi ad ornatum auidiùs quærunt, planè nulli ſit inferior, quorum omnium præcipua cauſa eſt quod præter inuectas in eum portum ab omnibus Indiarum & Africæ partibus naues, quotannis duæ Carauanæ, hoc eſt Armatæ mercatorum cateruæ aduerſus graſſatores ſtate aduenient ab vrbe Syriæ, cui nomen Halep, altera menſe Aprili, altera Septembri, centum Ianiſſariis comitantibus vſque ad vrbem Baſſora, tota aliquando eſt ſex mille hominum, idemque omnium ordo & inceſſus ratio, quæ armatorum, quo nimirum tueri ſe contra incurſantes Arabes queant, ſi quis eorum labore itineris exhauſtus progredi vlterius non poſſit, camelis, dromedariis, vel equis quos plurimos habent inuehitur, ab vrbe Baſſora ad Armuſam, & ab Armuſa ad Baſſoram nauigatione reciproca eunt & redeunt. Carauana Alepo Armuſiam.

2. Secum autem conſtanter columbas aduehunt & eas præſertim quæ recentioribus ouis incubant per quas ſi quid nuncij ad incolas Alep referri citiſſime velint, annexa ad annulum harum auium pedibus implicitum epſtola, permiſſo nouis nunciis volatu faciunt, vt deferatur, atque ita fit, vt intra breue tempus ab octingentis interdum leucis Conſtantinopolim nuncia deferantur. Ab emporio Alep merces id genus omnes & aromata per Turciam & vbique per Europam diſtrahuntur apud eos qui cum Luſitanis non negotiantur. Columbæ quibus litteræ committuntur ab Armuſia Conſtantinopolim vſque perferendæ. Aromata quo modo per Orientem diſtrahuntur.

Digitized by Google

CAPVT XXVI.

Itinerarium Haleppo Baſſoram ſecundo Euphrate indeque Armuziam.

Ex Ioann. Carturig. ti Anglo.

1. HAleppo duorum & aliquando trium dierum itinere, peruenitur ad ripas fluuij Euphratis partim per campos ignobiles, partim per fœcundam planiciem atque omni annonæ genere abundantem, in qua eſt vallis Salis Aramitarum clade nobilis, quorum millia octodecim, hic à Dauide Cæſa: Et Camſon Gaurus magnus Ægypti Sultanus, à Selimo I. ſuperatus eſt magno prælio. Et 1. quidem die ſub Meridiem, peruenitur ad ſublimem turrim edito monti ſuperſtructam, quam vocant Boab, & ſub veſperum ad pagum Halſe, ſequenti verò ad Euphratem, è regione opidi Meſopotamiæ Ptolomæo dicti Birias nunc Bir, quod à Sultano Carabech muro cinctum eſt anno 1520. cum pulchra & munita arce ad ripam Euphratis è regione cuius in aduerſa ripa, qui Halepo iter inſtituunt ad vrbem Baſſoram; indeque in inſulam Armuſiam ſolent nauigia conſcendere, vt moleſtiſſimum & periculoſiſſimum iter per deſertum Arabiæ vitent, in quo decurſu interdum 20. aliquando 30. impenduntur dies pro vndarum copia aut inopia.

Euphrates quando intumeſcit.

Sæpe vadoſus.

2. Tempus autem maximè oportunum eſt Aprili, aut Octobri, quibus menſibus flumen ob pluuiarum abundantiam validè intumeſcit. Porro licet Cymbæ, quibus vtuntur, textum coſtarum habeant planum in ima carina, ob crebra vada, inrerdum tamen menſibus Iulio, Auguſto & Septembri, hærent; vnde optimum plures Lembos ſecum ducere, qui leuent onera: ſingulis noctibus conſiſtunt in anchoris mercatores in Cymbis, nautæ in ripa humi cubant: plurimi autem hic Arabes vagantur, qui omnis generis annonam & præcipue lac & ſimilia cum aliis mercibus permutant: fœminæ mareſque natandi peritiſſimi, verum quod ſint latrociniis infames, ſumma eſt cautio adhibenda, præcipua vero hæc in vtraque fluuij ripa à præternauigantibus loca memorantur.

Baick pagus in Orientali ripa.
Baleſſen arx diruta in Occidentali ripa.
Gabbar opidulum in monte ſitum in Meſopotomica ripa.
Racca vetus opidum cum arce diruta ad eandem ripam.
Balladac opidi & arcis rudera in Arabica ripa, moxque

Dier-

Dier opidum, foſſa vndique cinctum in eadem ripa ſicut & Rab arx & Ashar exiguum opidum.

Subercan plane dirutum in Orientali ripa.

Naualken pagus in Occidentali ripa & mox.

3. Anna Arabium opidum quod tria milliaria patet, ſed anguſtum, in cuius medio viſitur arx aquis circundata & multæ inſulæ, habitant Curdi furaciſſimum genus hominum, iuxta labitur Euphrates Pernici curſu, qui regionem adiacentem rigat & fœcundat. Curdi.

Gebbar in Orientali ripa.

Heit in Occidentali cum arce ſua, vbi duo fontes, è quibus profluit bitumen vocatum Quir, liquidum quidem, ſed quod mox dureſcit, eo picantur Cymbæ, quas vocant Danequas quæ è minutis licet compactæ ſint lignis, vndas tamen conſtanter excludunt. Inter Annam & Heit vtraque ripa, pluribus ædibus & arboribus quæ Dactylos ferunt, conſita eſt. Fontes bituminis.

Ambar pagus eſt ad Orientalem ripam.

Ad Felguſiam excenſione facta, terreſtri itinere petitur Bagdat, vnde poſt ſeptem dies venitur Balſeram: in itinere vero habes Bourac in occidentali ripa opidum dirutum, & mox turrim in medio alueo ſitam. Menil opidum in Orientali ripa, cuius tantum vna turris ſupereſt. Bagdat.

Amos exigua Caſa ſeu tectum paſtorale ad eandem ripam.

Sekia in eadem opidum.

Kenedge oblongus pagus Deſtructus in eadem ripa.

Gurna ad Cornu terræ, vbi Furro & fluuius qui Bagdad præterlabitur confluunt, ſunt & alia duo caſtella infra quæ Baſſoram mercatores appellunt claſſem.

CAPVT XXI.

De Regno Macron & antiqua Gedroſia.

1. IN parte Orientali Carmaniæ eſt regnum Macron. Incolæ dicuntur Baluches, quibus anno 1613. imperabat Meleck Myrza, qui cum antea Regem Perſarum, ſuperiorem agnoſceret, tunc iugum excuſſerat, & tributum pendere recuſabat, ferox & valde barbara natio, Antropophagos appellat eos Couentus Anglus, certè cum huc nauis Anglica appulſa eſſet, anno 1612. ad Guaderam vnicum huius prouinciæ portum, pene eorum inſidiis & inſigni perfidia ſunt omnes intercepti Angli, obſeruarunt autem hunc portum ſitum Guadera.

Digitized by Google

eſſe ad 25. gradum Septentrionalis latitudinis, & ſummam hic eſſe anchoras figendi oportunitatem in mari 4. aut 5. Orgias alto.

2. Medio autem itinere inter Guaderam portum & oſtium Indi, in mare euoluitur fluuius incolis nunc dictus Ilment, Arabon Curtius, Arabium Ptolemæus vocat. Origo eius in monte Bagoo, perluit deſertam vaſtamque regionem, quam

Drangiani. tempore Alexandri magni tenebant Drangiani & Gedroſij, qui nequidem cum finitimis vllo commercij iure miſcebantur, ita erant feri & barbari. Ipſis prominebant vngues nunquam reciſi, adeoque prędurí, vt iis non piſces modo, ſed etiam ligna molliora ſecarent: Comæ intonſæ & hirſutæ erant, tuguria conchis & cæteris purgamentis maris ſtruebant, ferarum pellibus tecti; & piſcibus ſole duratis, & maiorum belluarum, quas fluctus eiicit, carne vectitantes.

Gedroſi quã inculti & barbari.

Curtius l. 9.c.17.

3. Per hanc porro regionem adeo feram & deſertam cum magnus Alexander auditu accepiſſet, Semiramidem olim & Cyrum in Indiam feciſſe expeditionem, ſed illam fugâ ſalutem conſecutam euaſiſſe cum 20. tantum hominibus, illum cum ſeptem, ambitione incitatus per Gedroſiam voluit exercitum ducere, glorioſum ſibi fore putans, ſi iſtis tanta paſſis ipſe partâ victoriâ ſaluum exercitum per eadem loca eaſdemque traduceret gentes, verum tanta fame & peſtilentia eius eſt afflictus exercitus, vt incertum ſit an pluribus ſemiuiuis quam cadaueribus ſtrati ſint hi campi. Cumque deeſſent equi, quibus ſarcinas veherent, ſpolia de hoſtibus, propter quæ vltima Orientis peragrauerant milites coacti ſunt cremare, pluraque hic incommoda & damna accepit quam in tota reliqua expeditione; quæ omnia ſunt intelligenda de parte Gedroſiæ quæ exuſta eſt & aquarũ inopia laborat, nam in eius finibus Alexander, tandem reperit ſolum rerum omnium fertile, quod etiam ferebat quædam aromata præcipue nardum & myrrham, vnde aërem habebat & odoratum & ſalubrem. Ait autem Arrianus in deſertis Gedroſorum multas eſſe arbores myrrhæ, & producere nardi radicem copioſè, bene odoratam.

Strabo l.15 Dionyſius.

Alexandri iter per Gedroſiam.

CAPVT XXII.

Nauigatio ex Armuſina inſula in ciuitatem Diu.

1. PEracta Armuſiæ negotiatione, ſub finem Septembris ex portu ſoluentes iter ingrediuntur, eademque die perueniunt

perueniunt ad inſulam bonæ ſpei, vbi demiſſis ancoris ſubſiſtunt, donec merces in naui, omniaque rite diſponantur. Flante vento propicio tollunt ancoras & relictis quibuſdam inſulis, multos alios ſcopulos non ſine difficultate prætereuehuntur, tuncque terrâ omni ex oculis ſe ſubducente, per aquam inſtar lactis candicantem nauigant, & poſt dies circiter 25. iuxta propugnaculum & vrbem Diu applicant, angulumque qui eſt in extremitate portus ad quem innumeræ naues alliduntur, declinantes portum ſubeunt. Bonæ ſpei inſula. Mare ad inſtar lactis candicans.

Ciuitas porro Diu non multorum eſt ædificiorum, ſed multæ negotiationis, quod naues omnis generis mercibus onuſtæ, quæ ex India venientes Armuſiam petunt illuc appellunt, ſita eſt in parua quadam inſula vel potius ad promontorium Cherſoneſi oræ Cambaiæ ſeu Palatenæ ſub poli gradu vndecimo, ad occiduum oſtium Indi fluminis. Arx eſt omnium quas Luſitani poſſident in his partibus firmiſſima, eiuſque iacta ſunt fundamenta anno à Chriſto nato 1635. Badurio qui tum Cambaiæ imperabat non repugnante, vt Luſitanos haberet amicos & iis vteretur aduerſus alios ſuos hoſtes. Triquetræ eſt figuræ deſinitque in promontorium. Murus craſſus eſt pedes 17. in tumulo turris dodrantium 90. Thomæa appellata, quod eius Apoſtoli feſto die exordium ſumpſerit. Ad alterum inſulæ marginem continuantur mœnia, qua rupes abſciſſæ portum attingunt, Ibique turris altera dodrantium 60. cui nomen à D. Iacobo, muris, foſſa circundata, quoad cautes & præcipitia ferunt. Inter duas turres medio fermè ſpatio porta eſt cum ſua lorica, ſcopulo impoſita, quæ non ſine horrore ſuſpicitur. Sub ingreſſum eius tormentum cernere eſt, tantæ amplitudinis vt ſedere in eo quis poſſit: tranſitus nauium inter propugnaculum & continentem talis eſt, vt abſque Luſitanorum permiſſu nulla poſſit. Arx diu. *Oſorius l. 9. Maffeius.* Tormentum vaſtæ molis.

2. Portus eſt gradibus aliquot 50. paſſus longis ornatus, per quos merces eleuantur, vel demittuntur. Columnæ vero in portu duæ, quarum quæ in dextro eſt latere, inſignia Regis Portugalliæ ſuſtinet, altera tres ſagittas prætendit & de vectigali ſoluendo ſubeuntes monet: è regione portus eſt domus mercatoria cum area ampliſſima, multis cameris vbi merces deponantur diſtincta. Præfecto ſunt ſemper ad manum 50. ad naues præſidiariæ quibus mare à piratis tutum redditur; vetus opidum in ſuam quoque redegerunt poteſtatem Luſitani. Aër nocturno tempore ſupra modum frigidus eſt: interdiu autem vix poſſunt tolerari veſtes propter Portus qualis.

Digitized by Google

Nigri dentes hic æſtimantur.

calorem. Mulieres quo negrioribus cernuntur dentibus, eo chariores viris habentur.

Non prætereundum vero quod vbi is locus in Luſitanorum quod pridem Rex Ioannes ardenter optabat, poteſtatem venit. Botellius quidam Nauarrhus egregiè ſtrenuus, & maritimæ ſcientiæ peritia præcellens, qui nonnullis criminibus oppreſſus relegatus fuerat in Indiam, vt laudem & præmium tam læti nuntij apud Regem cæteris omnibus præriperet, modica biremi pedes minus octodecim longa, ſex lata, quam ære ſuo in bellicos vſus extruxerat, in eam egregiis aliquot nautis ignaris conſilij aſſumptis, ingenti & incredibili audacia per ſummos labores & pericula Oliſipponem peruenit. Famoſas deinde obſidiones duas ſumma cum laude ſuſtinuit vtramque à Turcis annis ſcilicet 1538. & 1546. *Maff. l. 13*

LIBER

Digitized by Google

LIBER SEXTVS.

India cis Gangem.

CAPVT I.

Indiarum ſitus, figuraa, mplitudo.

1. VBI mons Taurus ſeipſum exuperat, & in ſummam conſurgit ſublimitatem, ab Auſtrali latere montis Paropamiſi, initium ſumit à parallelo Boreali 38. quæ ab Indo flumine India nominatur. Nomen.

Eius pars ſuperior Indoſtan dicta, Indo & Gange duobus clariſſimis incluſa fluminibus, quaſi altera Meſopotamia, ſed longè maior quam Euphratea, magno paret Mogorum Imperatori. Altera in modum ſiue linguæ ſiue peninſulæ, ad gradum 8. verſus Meridiē exporrecta, Oceano circumfunditur, & ingentes oras efficit duas quarum vna in Occidentem obuerſa ab Indi fluminis oſtiis, ad Cori promontorium, quod Commorini caput incolæ vocant, Regi Luſitaniæ & principibus Malabaricis, ſubiecta eſt. In ortum ſpectans altera facies ab eodem Cori promontorio per oram piſcariam porrigitur, ad intimum Bengalæ ſinum, vbi Ganges influit in Oceanum & regnum Coromandelis vulgo nuncupatur. Tota hæc omnis regio ſanè perampla, figuram obtinet Rhomboidis, cuius maxima Diagonalis à Paropamiſo ad Cori promontorium, eſt triginta graduum maximi circuli, ſeu leucarum horariarum 600. minor vero diameter ab opido Diu, ſeu occiduo Indi fluminis oſtio, ad opidum Daca in gradu 24. cum minutis 25. appoſitum ortiuo Gangis oſtio, eſt graduum 20. hoc eſt leucarum ferè quadringentarum.

Indoſtan magna Meſopotamia. — *Ora Malabarica.* — *Ora piſcaria India cis Gangem omnino longa 600. Leucas lata 400.* — *Figuræ eſt Rhomboidis.* — *Strabo l. 15 p. 689.*

2. Hæc cum ſint certiſſima & legibus Geometriæ ex certo cœli ſitu definita, quando audis apud Solinum, Indiam diu creditam partem eſſe orbis terrarum quaſi tertiam: apud recentiores vero Imperium magni Mogoris, quod Indiæ partem ſuperiorem & pene mediam obtinet, ita amplum vt illud vix biennio poſſit totum obire caterуatim euntium multitudo quam dicunt Carauennam: denique in ſeptem & triginta prouincias, quarum ſingulæ regna non ante multos

Amplitudo regni magni Mogoris.

annos conſtituebant ab vrbe Lahor ad vrbem Kabul, quæ vix diſtant ſex gradibus cum medio, iter eſſe dierum triginta. hæc & his ſimilia quæ ab ocularis teſtibus ſcribuntur ad nos, vt ſibi conſtent, ſane videntur referenda, in montes, in ſolitudines, in prædones, in flumina aut his ſimilia impedimenta, quibus efficitur ne proficiſcentes peregrè, per rectam lineam, ſuum poſſint iter dirigere. Idemque ſentiendum meo iudicio de Tartaria, Perſide & tota pene Aſia, prope vaſtiſſima Tauri montis iuga, quæ in omnem partem longè latéque ſic funduntur, vt certis tantum locis & quaſi portis & pylis ex vna regione in aliam pateat aditus. Vnde chartarum non eſt facilè accuſanda fides, quæ tibi locorum ſitum exhibent, non ex diſtantiis itinerum, ſed ex cœli ſitu petitis, quaſi recto tramite, ſic quaſi per aëra ab vno loco in alium breuiſſima linea viatori liceret tranſmittere.

Quare dicatur tam amplum.

Chartarum fides haud facilè accuſanda.

Præterea cum Indiæ pars longe maxima ſita ſit in Zona torrida non morabor recenſere, quæ de vmbris hic Solinus & alij tanquam rara venditant: hic nempe montem eſſe in quo vmbræ, hyeme in Septentriones, æſtate in Auſtros cadunt viciſſitudine hac durante, ſenis menſibus. Sane Maleï montis non eſt illud proprium, cum nullum ſit in tota Zona torrida corpus ſtans perpendiculariter ad horizontem, quod ſuas, cum in Septentrionem, tum in Auſtrum vmbras non mittat idque ſenis menſibus ſi æquatori ſubſit, alibi vero plus aut minus pro diuerſa eleuatione poli: hoc vero non intelligo, quomodo dicat Septentriones in eo tractu, in anno ſemel nec vltra quindecim dies apparere, cum manifeſtum ſit nullum in tota hac India eſſe locum, in quo omni die non appareat cum vrſa maior tum minor, imo pleræque ſtellæ harum conſtellationum in pleriſque Indiæ locis nunquam cadant infra, ſed extent ſemper ſupra horizontem, videanturque ſemper, niſi forte ex accidenti mons aliquis impediat.

Quales vmbræ in India.

CAPVT II.

Cœli ſolique ratio.

1. NOn vna eſt in tota India cœli ſolique ratio, primum ob amplitudinem regionis, cuius boreales prouinciæ monti Tauro ſubiectæ, non poſſunt non obrigere niuibus, Auſtrales vero æquatori proximæ, propter medium terræ cingulum, ſolis ardore non torreri. Aër tamen huc

Digitized by Google

huc & illuc effluens, ventos efficit cum Septentrionales, qui conſtanter menſes ſex: ſinguli perſeuerantes, æſtus immodicos egregiè temperant. Multa hic omni admiratione maiora ſunt, maximéque illud quod de monte Gati & Cori promontorio, ſuo dicemus loco: vt generatim & vniuersè loquar tanta eſt per totam fermè Indiam, ſoli felicitas, vt ſoli Indi, nunquam à natali ſolo dicantur receſſiſſe, nec colonias in alias gentes emiſiſſe, multi vero & pene infiniti, qui ex omni parte orbis in hanc oram tranſmiſere, ſedeſque fixêre. Indorum quidam agros exercent, militiam plurimi, præſtantque militari virtute, mercaturis alij rem faciunt, ditiſſimi & qui plus gratiæ obtinent apud Imperatorem, Rempublicam curant.

Venti ſtati per ſex mēſes.

Indi ſolum non mutant.

2. Regio ferè omnis abundat optimo tritico, hordeo, oriza & omnibus farris generibus, triticum Europæo maius & candidius eſt, paniſque noſtro præferendus, ſementem faciunt menſe Maio & initio Iunij, meſſem Nouembri & Decembri. Præterea abundat butyro & caſeo ob immenſam multitudinem armentorum & gregum, bobus inter armos tuber carnis excreſcit; oues latas & ponderoſas habent caudas, carne ſunt noſtris pares, ſed lanæ Europæis cedunt, in ſyluis cerui, damæ, & feræ omnis generis vagantur. Equorum magna copia, ſed Indicis præferunt equos Arabes & Perſas quibus maximum ponunt pretium, ſingulos, ſingulis attribuunt miniſtros: certis leguminibus lautè curant, & quauis ſeptimana bis terue butyro purgant, habent præterea plurimos camelos, aſinos, mulos & dromades, rhinoceratas, imprimis autem Elephantos, quorum Rex ſolus 14. millia alere dicitur, magnates ſinguli pro dignitate, aliqui centum. Dromas autem eſt camelus curſorius qui intra 24. horas, 60 aut interdum 7. coſas quarum ſingulæ bis mille & quingentos paſſus continent, emetiuntur, gramen non ſecant in fœnum vt ſeruent, ſed cum vſus poſtulat, aut virens aut aridum adhibent, omnes omnino arbores virent & fructus habent plurimos & perfectiſſimos. In ſaltibus canes fœminas alligant, vt cum his tigrides coëant, ſolos tamen partus tertios educant ob nimiam feritatem primorum.

Felicitas agrorum.

Bobus tuber creſcit inter armos, oues latæ caudæ.

Mira equorum cura.

Dromadis velocitas.

Coſa ſpaciorū menſura in regno Mogor.

Canes ex tigridi quales.

Solin c.15.

Nec deeſt piſcium optimorum & varij generis, nec volucrum infinita penè copia, denique omnis annona adeo vilis eſt, vt ouis ſolido vno, lepus denario, tres perdices eodem pretio venundentur; eſſetque adhuc vilior. Si Cercopitheci qui hic innumeri ſunt & valde agiles nidis auium miris modis non inſidiarentur.

Omnis annonæ incredibilis vbertas.

Digitized by Google

Potio. 3. Potio autem in his regionibus fit duobus modis, vno ex dactylis & frondibus Glycerizæ, aut ſimilibus, vi ignis per alembycum extractis, quæ potio admodum generoſa eſt: altero ex vuis paſſis aqua frigida dilutis & coctis quæ ſalubrior eſt. Vinum etiam conficitur ex ſubſtantia arboris quæ Cocos nuces fert, quam vulgo ob ſimilitudinem vocant palmam. Alio quoque liquore vtuntur, qui è nigro quodam ſemine aqua miſto coquitur, eſtque palato admodum gratus. infertur etiam vinum ex Perſia diſſimulato nomine. Flores. flores harum regionum roſis & paucis aliis exceptis, magis admirabili colorum varietate oculos paſcunt, quam inſigni aliquo odore nares perfundant.

Panni Goſſypiani. 4. Præcipuæ huius regni merces ſunt Goſſypium & panni qui ex eo texuntur immenſa copia & innumera varietate, quorum quidam ita ſubtiles ſunt & candidi, vt Europæos omnes qui è lino fiunt, ſuperare videantur. Singuli peculiaria nomina ſortiuntur à coloribus quibus imbuuntur, aut à ſubtilitate aut à bonitate.

Anil ſeu Glaſtum. Hinc etiam Anil, quod vulgo Glaſtum, tincturæ ſpecies primæ notæ, toti Europæ notiſſima: præſtantiſſimæ indicia ſunt ſiccitas, leuitas, ita vt aquæ innatet, violaceus color ſplendens in ſole, & ſi prunis ardentibus impoſitus edat fumum violaceum & relinquat pauciſſimos cineres.

Hinc etiam Medici & Pharmacopolæ petunt Aſſam fœtidam, opium & ſal ex nitro.

CAPVT III.

Indorum mores & inſtituta.

1. ANtiqui qui harum partium non miracula, ſed monſtra ſcriptis mandant, dicunt populum hic adeo procerum, vt Elephantos velut equos facillimo ſaltu Statura. tranſiliat. Certum indigenas ſtatura noſtratibus æquales eſſe, & fere erecto corpore, & paucos admodum reperiri incuruos aut gibboſos: fuſco ſunt colore & oliuaſtro, nigris capillis non tamen criſpis; non amant candidos aut formo-Color. ſos, quia hunc leproſorum colorem eſſe dicunt, quales inter eos ſatis frequentes.

Veſtes. Veſtes marium & fœminarum pene eædem è goſſypino panno, arctæ circa lumbos, promiſſæ ad genua, ſub quibus braccas geſtant ad talos, pedes nudos induunt crepidis, quas demunt cum ædes ingrediuntur ſuas, nam ſolum pro vniuſcuiuſque

Digitized by Google

vniuſcuiuſque conditione ſtragulis inſtratum eſt, cui ſartorum in modum inſident, quoties aut confabulantur aut cibum ſumunt. Caput ſubtili panno candido aut colorato inuoluunt, nec vnquam detegunt. quum ſuperiores venerantur, corpus inclinant, & ſolo dextra contacto, eandem ſupra verticem capitis attollunt, indicantes licere ipſis quos colunt vel capita ipſorum, pedibus premere: æquales, barbam prǣhendunt & oportunis verbis ſibi benè precantur. *Salutationes.*

2. Fœminæ vix prodeunt in publicum, niſi tenuioris fortunæ aut impudicæ, capita velant & capillum à tergo in nodos coactum promittunt, opulentiores plurimis monilibus ornantur, non paucæ vnam narium perforatam habent, vt annulum aureum cum gemma poſſim inſerere: præ cæteris mortalibus pariunt facillime. *Mundus muliebris.*

Plin. l. 7. c. 2. Narrant Plinius & Solinus hic eſſe gentem fœminarum quæ quinquennes concipiant, ſed vltra octauum annum vitam non protrahant: certe id non legi in relationibus huius æui: verum quidem ſalaces adeo, cum viros, tum mulieres, vt paucos quinquennes ſit reperire, quibus etiam in ea ætatula, non fuerit libata virginitas, perhibent, Strabo & Solinus, multas vxores in eiuſdem viri coire matrimonium, easque viros à parentibus emere pari boum, quaſdam obedientiæ gratia, alias prolis & voluptatis: nunc qui Chriſti fidem non profitentur, tres quatuorve imo plures ducunt vxores, quæ ſingulæ in ſuo Gynecæo ſeparatim degunt cum ancillis ſuis, cum vero maritus nunc hanc, nunc illam, prius tamen monitam, conuenit. Certant illæ inter ſe maritum, lautè, magnificè, & amanter accipere, & beneuolentiam vnguentorum & liquorum copia & grato vultu profiteri. *Salacitas Indorum.*

3. Ædes ſunt humiles & deſuper planæ, pluribus feneſtris inſtructæ, quibus auram admittant, vitra ignorant. Cum ſint arboribus omnes ſeptæ, qui eminus vrbes illorum vident, nemora, non opida intueri ſe facilè perſuadent ſibi. *Ædes.*

Nulla in his regionibus ſunt diuerſoria, in quibus iter facientes inueniant neceſſaria: tantum in maioribus ciuitatibus ædes quædam ſunt, ſed omni ſupellectile deſtitutæ. Itaque qui proficiſcuntur peregrè, neceſſe habent & tentoria & lectos & ſupellectilem ſecum deuehere. Plebei equis, aſinis, mulis & camelis vehuntur, tam fœminæ quam viri aut interdum vehiculis, quæ duos treſve capiant, quæ boues trahunt, ſicque interdum vna die 20. milliaria percurrunt; locupletiores & magnates Elephantis vtuntur, vel lectica ſiue manuaria ſeu doſſuaria. qui venatu delectantur etiam

Digitized by Google

Leopardos ad venandum cicurant, qui ſaltu feras aſſequuntur, qui aucupio, exuuias ſeu pellem auis exenteratæ ita ſuo aptant capiti, vt vera auis videatur, tum aquá ingreſſi totum corpus demergunt collo tenus faciemque aue illa factitia ita pœnitus tegunt, vt de cæterarum numero vna aquis innatans videatur, ſicque inter auium multitudinem delati, eaſdem ſub aqua pedibus præhenſas capiunt.

CAPVT IV.

Magni Mogoris Imperium in India, eiuſque adminiſtrandi modus.

1. TAmerlani quondam celeberrimi Tartariæ regum poſteri à Parthis, quos iam dicimus Patanes, omnibus penè exuti ditionibus, quibus longe lateque maiores imperant, ſoliuſque regionis Cabul in antiqua Arachoſia Domini: Baburxa Tamerlani pronepos, Mogores gentem Scythicam præpollentem viribus & cum finitimis Perſis bello certare aſſuetam, tunc autem ſibi finitimam, ad fontes Indi & Gangis ſitam armis & fœderibus ſibi deuinxit, & mouens in Patanes, qui tum Indiarum partem maximam obtinebant, valido cum exercitu irruit & multis præliis afflixit. huius poſteri Mogores dicti, victorias ſic promouerunt, vt Echebari qui viuere deſiit anno Chriſti 1605. magni nomen immanes diuitiæ & potentia, ipſi & poſteris pepererint, tanta ſiquidem fuit eſtque adhuc huius amplitudo regni vt 47. prouinciis quæ inter Indum & Gangem continentur, imperet & iura præſcribat, vnde ſine controuerſia omnium qui in India regnant longe potentiſſimus eſt. Reges 20. non ſubditos modo, ſed & domeſticos habet, à quibus minimum auri millionem ſingulis hebdomadis dono accipit, eorumq; aliqui, profecturo ad bellum, regi decem mille equites tenentur ſufficere: quales porro & quantæ ſint eius diuitiæ, accipe ex Guilelmo Hanquino equite Anglo, quem Iacobus Angliæ Rex anno 1608. miſit legatum ad Selimum Regem Mogor, quique annos 4. in regis aula commoratus, magnis ab eo beneficiis ornatus eſt.

Mogoris in Patanes bella & victoriæ.

Amplitudo regni.

Reges habet 20. ſubditos & domeſticos.

2. Inter cætera autem hæc refert totum illud imperium in quinque magna diuiditur regna, videlicet Pengag, Malua, Cambaia, Decan & Bengala, quorum prouentus annui CL. milliones auri excedunt, in ærario vero vrbis Agræ ait ſe vidiſſe adamantum bathman vnum cum dimidio (eſt autem bathman

Diuitiæ. Bathman menſura lib. 55.

bathman menſura aridorum quæ continet libras 55.) pyroporum ſeu carbunculorum bathmos duos, ſmaragdorum bathmos 5. margaritarum varij generis bathmos 12. topaziorum, coralliorum, minorum lapillorum pluſquam credi poteſt. Acinaces quorum manubria cum vaginis auro & gemmis variegata M. CC. pugionum 2000. Ephipia auro & lapillis ornata 500. operimenta capitis ad miraculum ornata 1000. vexillorum, haſtarum, vmbonum, catenarum in quibus auro poſtremus eſt locus, tantus numerus, vt non niſi cum ſtupore poſſit conſpici. Gemmarũ nullibi viſa ſimul hoc æuo maior quantitas.

Equorum 12. millia, elephantorum 12. mil. camelorum 20. mil. boum ad onera 10. mil. mulorum 11. mil. canum venaticorum 3. mil. ceruorum quibus vtitur ad aliorum venationem 400. leones manſuefactos C. Biſontes 400. accipitres 4000. columbas ad captandum ventum 10000. auicularum 3000. idque in ſola arce Agrenſi: nec enim vidit alia armamentaria & æraria quæ ſunt in prouinciis quorum Lahorenſe primas obtinet. Apparatus ad venationem omnium longe maximus.

3. In legatione vero Roëri Angli anno 1616. hæc lego proficiſcentem Coronem filium ad bellum decanenſe, Selinus pater aliquouſque comitatus, eumque deoſculatus præſtantiſſimis proſecutus eſt muneribus, gladium donauit cuius vagina è ſolido auro inſertis gemmis, & elephantum cum duobus equis immenſi pretij; iuſſerat vero per omnem viam qua filius ingrediebatur nummos aureos argenteoſque ſpargi vſque ad ipſa caſtra quæ ad quartum milliare inde diſtabant: dixiſſes certè totum Orientem ſuas in vnum hunc locum opes congeſſiſſe de eodem vero principe ſic Iarricus noſter. Immanes diuitiæ.

In bellum quinquagena elephantorum millia poteſt educere, ſeptena nuper dum numeraret cum trecentis equitum, nongentis peditum, millibus, putabatur non multum inſtructus eſſe, & vulgarem potius belli tempore comitatum, quam magnum exercitum habere, ſed numeroſior gens eſt quam bellicoſior, religionem & linguam fere habet, cum Perſis communem, habitu aliquantulum diſcrepat. Primus ad eam regionem è noſtra ſocietate miſſus Rudolphus Aquauiua, qui deinde martyrij Decus in Adriæ ducum familiam importauit. Patuit deinde eadem ſemper noſtræ ſocietati prouincia, maximaque regum beneuolentia, ſed pari ad amplectendam noſtram religionem ſegnitie. Qui regnabat anno 1624. cum rationum momenta quibus illa nititur, ſatis perſpexiſſet, cupiebat nocturno viſo confir- Immunes exercitus. Religio, lingua veſtis.

mari, demens qui plus ſomniis quam iudicio ſuo tribueret.

Cauſa tantarum diuitiarum.

4. Cauſa tantarum opum non vna, ſed multiplex: prima eſt amplitudo regni quod par eſſe creditur Turcico, deinde quod nullus eſt omnino in toto regno qui rem vllam poſſideat alio titulo quam ex regia liberalitate, nam agros donat, mutat, vel adimit pro voluntate; magnates crebro locum mutare imperat ſimul cum terris quas ipſis in cenſum attribuit: præterea Rex præfectos in omnibus pagis conſtituit apud quos ſinguli ruſtici profitentur quantum ſoli conſerere in animo habeant, aut vbi pecudes & armenta paſcere ſtatuerint. Vbi autem ſecta ſeges, euocantur regij miniſtri, qui vt plurimum, frugum omnium in vſus regios dodrantem accipiunt vix triente ipſis relicto. Denique omnium tam magnatum quam plebeiorum hæres eſt, nec tantum quod ipſis à Rege donatum fuerat, ſed præterea quæcunque propria induſtria adquiſiuerant, ad principem reuertuntur, haud ſecus quam fluuij omnes in mare exonerant ſeſe. Solet tamen Rex viduis & liberis relinquere equos & ſupellectilem, eiſque dignitatem aliquam attribuit: puta ſi pater aut maritus ducatum obtinuit, in quo tenebatur alere & in procinctu habere quinque millia equorum, filio fortaſſis aſſignabit: agros pro mille & quingentis, & plures deinceps promittet & addet prout de ipſo poſtea bene merebitur, quibus omnibus adde quod nemini omnino ad regem vllus patet aditus abſque munere aliquo.

Leges & iuris dicundi ratio.

5. Nullæ hic ſcriptæ leges, vnus Imperator, vel in prouinciis ſummus præfectus, ſemel ſingulis ſeptimanis pro tribunali ſedet, ex allegatis & probatis decernit quod æquum iudicat ipſoque inſpectante illico executioni mandatur. Præterea ter in die ſe præbet ſpectandum populo, manè quidem poſt exhibitam ſoli venerationem è feneſtra, quæ patet ad Orientem ſupra portam prætoriam, vbi à multitudine acclamatione publica ſalutatur. Sub medium diem ex eadem feneſtra quando elephantorum, aut aliarum ferarum pugnas contemplatur. Tertio paulo ante occaſum, ad feneſtram quæ patet ad Occidentem quando poſt acclamationes populi & variorum inſtrumentorum muſicos concentus, ſe ſubducit his porro tribus vicibus: ſi quis libellum ſupplicem ei offerat, patienter audit & quæ ipſi videntur facienda irreuocabili iudicio decernit.

Si hoſtilis quiſpiam timeatur incurſus, aut feudatariorum aliquis imperium detrectet, Rex ingentem intra paucos dies cogit exercitum, vix vnquam pauciores quam ſexaginta millia

millia peditum equitumque centum millia, acerrimè imo furioſè concurrunt acies, & militaris diſciplinæ ignorantia citò admodum vincunt aut vincuntur & ingenti cæde prælia dirimunt.

Porro non ſolum deſtituuntur claſſe, ſed etiam commoditate portuum, cum Luſitani Indi fluminis fauces concluſerint, arce Dienſi in faucibus Cambaienſis ſinus ſita; & Gangis oſtia munimento Daman ad ſinum Bengalæ, nec non 50. nauibus præſidiariis, quas ſemper habent in anchoris.

CAPVT V.

Indus fluuius.

1. ARianus, octo ſupra quinquaginta fluminibus ait Indiam irrigari, iiſque omnibus nauium patientibus, è quibus alia in Gangem, alia in Indum ferantur, alia quæ propriis alueis in mare euoluantur. Quia tamen longe plures abeunt in Indum, hinc eſt quod ab eo ſuum accipit nomen India, aliqui Heſychium ſecuti & Sindiam, Sindumque portum dici debere contendunt, ſed male meo iudicio, quod nuſquam reperias totam Indiam dictam olim Sindiam, ſed eam tantum partem ſolam, quæ eſt in Perſia cis Indiam in Gedroſia. Nunc Perſæ & Mogores eum vocant Pang Ab, id eſt, quinque aquas, quod flumina quinque præcipua admittat & ſecum vehat in mare.

Vnde nomen Indiæ & Indi flumin.

Ioann. Laet de mag. Mogoris.

Pang-Ab.

Fontes illius apud Ptolem. mercatoris, ſunt in long 125. & in lat 37. in Cauca ſo Græcorum, in altiſſima rupe montis Tauri, quam indigenæ olim vocabant Paropamiſum nunc Dalanguer. Vbi per exiguum regnum Tibbon deſcendit in amplisſimas regni Mogoris prouincias, Caſſimere, Attoh, Multan Buchar, Tatta, Cabul, Nagracut, Temmeri, Peng Ab, quas maiores dixerunt Paropamiſſadas, Gandaridas, regna Taxili & Pori & Arachoſiam, nunc autem inter fluuios, quos admittit numerant præcipuos quinque. Bahat, Cowan, Kauée, Van, Sietmagum.

Fons Indi fluminis.

Tibbon regn. prouinciæ quas decurrit.

2. Iam olim Indus accedens propius ad mare, latus 200. ſtadia, diuidebatur, in duos alueos totidemque oſtiis in mare exibat, inſulam Pattalenam Ægyptio Delta perſimilem complectens. Ariſtobulus 1000. ſtadiis ea inter ſe diſtare oſtia retulit. Nearchus addidit 800. Oneſicius vero vnum latus inſulæ triangularis aſſeruit 2000. ſtadiorum. Arianus tres alueos ipſi tribuit in quos Alexandri claſſis priuſquam

Pattalenum Delta.

Digitized by Google

Oceanum attingeret inuecta eſt, imo quatuor inſulas etiam hic agnoſcit ſicut & Plutarchus. Certum immutatam nunc plurimum horum locorum faciem & euolui in mare 5. oſtiis in ſinum ampliſſimum è regione Cherſoneſi Guzaretenſis, nec iam vnam, ſed quatuor complecti inſulas obſeruatum; præcipuum eius oſtium diſtare ab æquatore verſus Boream gradibus 24. 38. Plutarchus lib. de fluminibus c. 2. ait in Indo naſci herbam Bugloſo ſimillimam, quæ laborantibus regio morbo exhibita, cum aqua tepida eos liberat. Verum in hoc libello tam multæ ſunt fabulæ, vt ſit difficile vera à fabulis ſecernere. tradit Philoſtratus equos fluuiales cōplures videri in Indo fluuio; multos etiam Crocodilos, illis ſimillimos qui in Nilo reperiuntur. Ad flumen autem quotannis quando augeri dies incipiunt, accedere ſolitum regem Indorum, equos nigroſque tauros flumini tanquam Deo ſacrificare, poſteaque demergere in flumen aureum modium illi ſimilem, quo ipſi frumenta metiuntur, vt ſcilicet aquarum moderationem obtineant. Ex huius fluuij & influentium in eum exhalationibus & flatu Eteſiarum India æſtiuis imbribus madet & campi opplentur ſtagnis, tuncque linum ſeritur & milium & ſeſamum (minuti frumenti genus eſt) oriza & Boſmorum quod item frumenti genus eſt, quod nunquam olim licebat exportare ex India. Hyberno autem tempore, ſeritur triticum, ordeum, legumina & aliæ fruges eſculentæ, quibus aliæ regiones carent.

Oſtia Indi flumin. — *Fluuiales equi. Crocodilli.* — *Sacrificium Indo flu. quale offertur.* — *Serendi tēpus in India.* — *Philoſtr. in vita Apollonij l. 2. c. 9.* — *Strabo l. 15 p. 690.*

CAPVT VI.

Paropamiſus mons, nunc Dalanguer: & Paropamiſſadæ nunc Tibbon Caſſimere, & Attok. Gandaridæ nunc Kabul, cæteraque quæ continentur inter parallelos 37. & 34.

1. PAropamiſus (ſine diſcrimine ſcribitur per m, vel per n,) pars eſt montis Tauri, maximè ſublimis & quæ partem orbis tegit altiſſimam, vt patet ex fluuiis Iaxarte & Indo qui fontes habēt in his partibus, quorum ille per Comedos Scythas & Tartaros abit in mare Caſpium, hic per ampliſſimum regnum Mogoris in pelagus Indicum. In eo monte conſtitiſſe arcam Noë ſcribit Becanus, ſed contra plurimorum patrum ſententiam. Gelidiſſimum Septentrionis Axem, poſſis dicere, nam hyemis tempore ad eo ſunt altæ niues & gelu tali rigore ſtringit terram, vt nec auium, nec feræ vllius hic exiſtat veſtigium: obſcura cœli, verius vmbra quam lux, no-

Paropamiſus. Orbis pars maximè ſublimis. — *Becanus in Indo. Scythicis p. 476.*

Digitized by Google

Curtius l. 7. c. 4. cti ſimilis ita inuoluit omnia, vix vt quæ prope ſunt conſpici poſſint. Quando ex Scythia per has partes in Indiam tranſmiſit Alexandri magni exercitus, quidquid malorum tolerari poteſt, pertulit, inopiam, frigus, laſſitudinem, & deſperationem, namque multos exanimauit rigor inſolitus niuis, multorum aduſſit pedes, plurimorum oculis exitiabilis fuit, ſi fatigati caderent, aut deficientes moueri deſinerent, vis frigoris ita eos aſtringebat, vt rurſus ad ſurgendum coniti non poſſent, & oportebat vt à cōmilitonibus torpentes excitarentur, neque aliud remedium erat quàm vt ingredi cogerentur, tum demum enim vitali calore moto, membris aliquis redibat vigor. Qui has partes olim incolebant, Paropamiſadæ appellabantur, agreſte hominum genus & inter barbaros maxime inconditum, locorum quippe aſperitas hominum quoque durat ingenia, plurimæ & ingentes ſunt in eo monte planities & multæ in quibus domorum tecta è laterculis cum teſtudine in acutum exeunte, in quarum medio foramen eſt ad lucem excipiendam & fumum emittendum. *Siculus. p. 555.*

Frigore extincta magna pars exercitus Alexandri.

Paropamiſadæ.

Quomodo ſe muniant contra frigus.

Et quia duarum ædium parietes bene ex parte omni coagmentati ſunt, affatim contra frigus, incolæ muniuntur. Vites & arbores fœcundas, aggeſta tellure operiunt perque Hybernam tempeſtatem ita relictas, vbi germinandi vices appetunt, reiecta terra iterum nudant. Pergit Siculus: à natura autem hic tractus per omnia ſit comparatus eſt, vt neque viridis neque amœni quicquam in eo conſpiciatur. Sed nix candida & reſplendens, cum glacie congelata obtegit omnia. Nihil præterea auium hic nidulatur, nihil ferarum ſyluas percurrit, vnde fit vt per omnes terræ partes neque hoſpitium, neque acceſſus præbeatur aduenis. Huius tamen montis extima cinnamomum ferunt quod ſarmentis aſſimilatur: bonitatis vero experimentum dat capra, ſi quis enim cinnamomum capræ porrexerit, tanquam catulus admurmurat, nares quoad poteſt propinquat & abeuntem ſequitur. In proximis vero Emodi montis præruptis lateribus arbores è quibus thus diſtillat proceræ naſcuntur & aromatum aliæ ſpecies multæ. Inter quas ſunt & piperis arbores quas, tanquam agricolæ, genus quoddam ſimiarum colit, maximè in iis partibus quæ ſunt verſus amnem Hypaſim Qui hæc nunc loca deſcribunt idem pene referunt ſcilicet. Regionem hanc frigidiorem eſſe glacie perſtringi, & vberiorem ſe hic niuem profundere finitimam, quidem regno Caſcari, ſed tanta montium altitudine ab illa diremptam, vt

Philoſtrat. in vita Apollonij l. 3. c. 1.

Vites aromata in regione frigidiſſima.

Tellus inhoſpita præ frigore.

Cinnamomi eximij experimentum dat capra.

Aromata varia quæ etiam inter niues creſcunt.

Emodi mōtes.

Simiæ quæ colunt aromata.

Caſcar reg.

Digitized by Google

nullus aditus carauannis ad illud pateat, tantum aliquos interdum, ſumma cum difficultate per aſperitatem horum montium penetrare, præterea in montanis hiſce degere regulum Tibbon nomine, haud multis opibus affluentem, ſed affinitate iunctum cum Mogore, Fineſque iungere cum regno Tibet, de quo dicemus, vbi de fontibus Gangis agemus.

Tibbon regum.

Porro Indus fluuius diu luctatus plana inter & confragoſa deſcendit ad Caſſimerem (quam alij) Chriſmere, Quexmir & Siranakar appellant, vrbem celebrem & caput regni cognominis, ſitam in latit. 36. 15. vbi fluuius Bahat, aliis Phat, miſcetur Indo. Ager illius campeſtris patet, ſecundum radices montium 150. coſas in longum & 50. in latum extenſus, omni frugum genere abundans, fœminæ illius regionis dicuntur eſſe albo colore decoræ & temperatior aër nempe reſpectu regni Tibet quod ipſi eſt ad ortum vbi rigent omnia præ frigore. Octo ab vrbe leucis eſt lacus qui ſuo ambitu quinque leucas colligit. In cuius medio inſula eſt in qua palatium regium, & ingens anſerum aucupium, ſunt & arbores immenſæ altitudinis. A Caſſimere ad Lahorem metropolim Mogoris iter inſtituitur, hoc ordine primum per planitiem ad montana Haſtchaunck Gate numerantur 8. coſæ. Inde ad Conowan, poſteaque ad Peckly 12. à quo ad Ciuſqueſque Hately 10. mox ad Ioagek-Hately 16. tum ad Bimbar 14 hincque ad Guzarat inſigne emporium 16. Coſ. à quo peruenitur Lahoram metropolim.

Caſſimere regnum. Bahat flu. Tibet reg.

A Caſſimere Indus fluuius in Occidentem conuerſus ad prouinciam Atthoch decurrit minuta Geographica circiter 140. vbi lambit opidum eiuſdem nominis, cum munitiſſima arce, quæ etiam proxima eſt gratiſſimo opido Haſſan-Abdal quod modico omni opponitur & ſtagnis admodum piſculentis, quod aqua ita ſit pellucida vt imum altitudinis vbique pateat oculis.

Atthoch. Haſſan-Abdat.

4. In latitudine gr. 34. tres Coſas ab Indi fluminis ripa diſtat antiqua & ampla ciuitas Multhan, metropolis prouinciæ cognominis, quæ imprimis fertilis eſt & mercimoniis valde opportuna, ob tria flumina quæ illam rigant & confluunt in locum qui diſtat à regia Lahore centum & viginti Coſas, per eas partes iter pedibus faciunt mercatores qui è Perſia per Kandahar in prouincias Indiæ deſcendunt. Merx autem huius prouinciæ præcipua eſt ſaccharum quod magna copia ſecundo flumine Indo verſus Tattam nauibus deportatur, atque adeo aduerſo Rauee fluuio Lahorem; item Gallæ & opium ſulphur quoque & magna copia pannorum

Multhan. Saccharum. Galla opiũ ſulphur.

lineorum

lineorum & Goſſyppinorum plurimi denique hic aluntur cameli: & induſtria incolarum in arcubus conficiendis imprimis celebratur, temporibus Potanenſium regum floruit plurimum, priuſquam Lahor ex pago facta eſſet regia.

Iuxta Multam Indus excipit fluuios celebres quibus nomen Coua & Bahat: pene ad fontes Couæ in latitudine 39 celebris eſt ciuitas Cabul longe ampliſſima & in extrema Imperij Mogoris prouincia iuxta Tartariam ſita & duplici arce munita itinere 25. dierum ab Lahora remota, vnde & 25. caſtella ſeu arces præſidiariæ in eo fuerunt itinere conſtitutæ ob metum latronum. Regia fuit olim auorum regis Mogor qui nunc in India rerum potitur: à Kabul ad Caſcar trium pene menſium iter eſt cum carauana. Vltra opidum Kabul circiter 20. Coſarum interuallo ſub eodem parallelo eſt Charc-Cullouuu amœniſſima vrbs ad fontem amnis Bahat, & ab hoc totidem Coſis Iorebund ampliſſima ciuitas ad limites prouinciæ Vſbeck cuius metropolis Samarcauda: inter Couam, qui Coas eſt Ptolomæi, & Indum fuit regio dicta olim Gandaris, in qua, ſi credimus Oneſicrito, in more poſitum fuit vt regem pulcherrimum eligerent & barbas tingerent multis variiſque coloribus, ornatus gratia: quippe regio colores admirabiles & capillis & veſtibus tingendis fert: præterea hic vxores cum viris defunctis comburi idem refert apud Strabonem lib. 15. p. 699. cap. 7.

Coua flu. Bahat flu. Cabul reg.

Samarcauda Coas fl.

Gandaris.

Colores admirabiles. Vxores cum viris combuſtæ.

CAPVT VII.

Taxili, & Pori, antiqua Indorum regna, ad Hydaſpem, & Indum.

1. SIcut inter Indum, & Coam flu. regnarunt olim Gandaridæ, verſus occaſum: ſic verſus Orientem imperarunt Taxili & Pori Indorum Reges perantiqui & quidem Taxili inter fluuios Indum & Hydaſpem nunc Kauec, Pori in vlteriori India Hydaſpem inter, & Aceſitem. Qui tempore Alexandri regnabat Omphis regis Taxili filius poſt mortem parentis cum regium inſigne ſumpſiſſet, more gentis ſuæ nomen, quod parentis fuerat, Taxilem appellaſſent, populares Taxili ſimiliter dicti ſequente nomine Imperium, in quemcunque tranſiiſſet. Cum aduenienti obuiam prodiiſſet, & perhumaniter Alexandrum ſuſcepiſſet, plura ab eo recepit, quam ipſi obtuliſſet, quippe talenta mille adiecit Alexander, multaque alia conniualia ex auro & argento va-

Curtius l. 8. c 12.

Taxili nomen gentilitium regum Indiarum.

Alexandri liberalitas.

Digitized by Google

ſa, plurimum Perſicæ veſtis & 30. equos. Plutarchus in Alexandro tam latum obtinuiſſe regnum, ait, quam tota fuit Ægyptus, Strabo vult etiam maius Ægypto. Eius regia dicta pariter Taxila magna fuit ciuitas legibus optimis conſtituta, ſita ad ripam Orientalem Indi fluminis in lat. 32. 15. in regione feraci Græco more ædificata, Nino pene ſimilis. Ante eius mœnia templum fuit circiter 100. pedum ex Conchiliato lapide fabricatum, in quo erat ſacellum non magnum ſane, ſed columnarum arte, & opere mirabili ornatum, cuius parietes tabulæ æneæ vndique tegebant, Pori, Alexandrique geſtis inſculptæ. Erant præterea ex Orichalco, argentoque & auro, atque ære nigro, elephanti, equique cum Seſſoribus. Opus dixiſſes Zeuxidis vel Polygnoti. Supra Taxilos in montibus fuit Abiſari regio, in qua nutriti dracones duo, vnus 80. cubitorum longitudine alter 140.

Taxiliorum regnum. Taxila illuſtris regia. Strabo l. 15 p. 698. Philoſtrat. in vita Apollonij l. 2. c. 9. Monumentũ illuſtre. Abiſari. Draco 140. pedum.

2. Circa latitudinem graduum 30. Indus excipit fluuios Hydaſpem, & Hypanim, hunc ortum in lat. 35. 30. illum in lat. 36. 40. Hydaſpem Curtius accurate deſcribit & quatuor ſtadia latum ait, & tam altum vt nuſquam vada aperirentur, contra Oneſicritus apud Plutarchum affirmat Macedones relictis ratibus eluuiem fluminis ſub armis ſuperaſſe pertingente ad pectus vnda. Arrianus per æſtatem negat vado tranſiri poſſe, quod illa tempeſtate flumina niuibus ſolutis intumeſcant; Sed Alexandrum forte in æſtiuo ſolſtitio alicubi reperto vado tranſitum inueniſſe. Cum enim ſciret Alexander opus ſibi fore nauibus, ex ſylua quidem ad Emodos vſque expanſa, multam abietem, Pinum, Cedrum aliaſque arbores nauibus compingendis idoneas præſciderat, & ex iis claſſem ædificarat; verum cum Porus Indorum Rex maximus (cuius Serus ſucceſſor itidem Porus dictus Auguſti æuo 600. Regibus imperabat) qui 300. præerat vrbibus, quas Hydaſpes perluit, vt hoſtem prohiberet tranſitu, nec enim poterat commodiore loco, quam vbi ſimul cum vndis & hoſte pugnandum erat, in aduerſa ripa peditum 50. millia, equitum tria millia, currus mille, elephantos 130. ſic diſpoſuit, vt tota acies, vrbis ſpeciem referret, cuius elephantorum ſtatio turres, militum vero ordines extenti referebant mœnia. Ipſum autem Porum vehebat Elephantus ſupra cæteras belluas eminens, armaque auro & argento diſtincta honeſtabant corpus raræ magnitudinis: Enimuero cubitos quinque longus erat, craſſitudine autem tanta vt lorica eius duplo excederet loricas aliorum, qui robore excellerent, eratque robori corporis par animus. Exercitu autem Pori ſic diſpoſito

Hydaſpis fl. Claſſis Alexandri. Pori exercitus diſpoſitio.

ſito plane fuiſſet Alexandro impoſſibile, cum exercitu 120. millium armatorum Hydaſpem tranſmittere, niſi & reperto vado, & oportune vſus inſula ſylueſtri, quæ in flumine cæteris amplior erat, in aduerſam ripam euaſiſſet clam, vbi arte, & felicitate ſua prudenter vſus prælium cum Poro commiſit, eum vicit, fugientem cepit, capto pepercit, ægrum curauit, nec priſtinum modo ei regnum ſub Satrapæ nomine reſtituit, verum etiam adiecit ei liberorum populorum, quos ſubiecit, regionem, in qua nationes 15. vrbium vero mediocrium quinque millia. Ipſeque in vtraque fluminis ripa vrbes duas ædificauit, alteram in victoriæ ſuæ trophæum, quam dixit Nicæam; alteram quam appellauit Bucephalam à Bucephalo equo Bouini capitis bellatore optimo & docili, quo ſemper in certaminibus fuerat vſus, mortuo in curatione vulnerum, quæ acceperat in prælio cum Poro commiſſo, cuius mortem tulit Alexander grauiter, non aliter exiſtimans, quam ſi familiarem & amicum amiſiſſet, cuius memoriæ & nomini pro Mauſoleo, & Cenotaphio hanc vrbem poſuit ad Hydaſpem fl. in lat. gr. 50. cum 20. minutis.

Plutarch & Curtius l. 8. c. 15. — Trophæa victoriæ quam retulit Alexander de Poro. — Bucephali Mauſoleũ. — *Plutarch.*

3. Eſt porro Hydaſpes fluuiorum, quos Indus admittit, maximus, quatuor in latitudinem ſtadia quibuſdam in locis ſic diffuſus quando exundat, vt ſpeciem vaſti maris ferat. Crocodilos alit, 300. & amplius vrbes olim rigauit. Ortus in Emodis Saccarum montibus ſicut & Aceſites, Hyarotis, & Hypanis, qui omnes poſt luſtratum & irrigatum Pori regnum in Hydaſpem abeunt ſupra Bucephalam, eoſque omnes poſt leucas horarias circiter 30. committit Indo.

Hydaſpes 300. vrbes rigat.

CAPVT VIII.

Mira quædam de Hypani fluuio.

Ptolem. Ariano. Strabo. Diodorus. Philoſtrat. de vita Apoll. l. 3. c. 1.

1. TRiplex huius fluuij nomen eſt; Hypaſis Hyphaſis, & Hypanis. Oritur ex Emodis montibus parte Paropamiſi in lat. 35. 40. ſeptem ſtadia latus & 6. Orgias altus, curſu vehementer concitato & tranſitu per quam difficili; licet enim à principio ſtatim ſit nauigabilis, paulum tamen procedens imperuius eſt propter Petras latentes, ad quas aqua illiſa impedit quominùs poſſit præternauigari. Regionem autem Gangi proximam licet decurrat, Hydaſpi tamen coniunctus ad Bucephalam poſtea cum eo abit in flumen Indum. In ſyluis, montibus Emodis, ſuperfuſis magna eſt ingentium Cercopithecorum multitudo, quos aliquando

Emodi montes. — Hypanis fl. Simiarum exercitus in

Digitized by Google

procinctu aduerſus Alexandri exercitum. cum vidiſſet magnus Alexander, inſtructis ordinibus ſtantes, in eos tanquam hoſtes contendiſſet, niſi Rex Taxilis qui ipſi aderat, ſimias eſſe docuiſſet, ſimulque artem, qua venatores eas intercipiunt. Ponunt, inquiebat ille, aquam in catino, oculoſque ſibi ex ea abluunt, poſtea viſco pro aqua poſito abeunt, & eminus inſidiantur, vbi vero Simiæ viſco ſeſe illinerint & conniuentes palpebræ cohæſerunt, ſurgentes ex inſidiis viuas capiunt. Si res non ſuccedat culleolos in braccæ modum induunt, abeuntque aliis ibi relictis interius Villoſis & viſco illitis, Simiæ enim ſe his induentes facile capiuntur: ſic cruenta quæ timebatur pugna in effuſum ſoluta eſt riſum. Quanti autem fiant ab Indis hæ Simiæ, quod ſint piperis eorum quaſi vindemiatrices in his montibus, vide Philoſtrat. l. 3. Piſces quos Pauones appellant in hoc duntaxat flumine oriri perhibentur, vocantur autem eodem, quo & aues nomine, quia ipſis etiam cœruleæ ſunt criſtæ, ſquammæ autem verſicolores, cauda quoque aurea, in quamcumque volueris partem verſatilis. *Strabo l. 15 p. 699.*

Simiæ piperis vindemiatrices in montibus Emodis. *Philoſtrat. ibid.*

Pauo piſcis in ſolo Hypani fl.

2. In ſyluis, rupibus, & agris Hypaſi proximis degebant potiſſimum Brachmanes, Indicæ gentis ſapientiſſimi, deorum amici, & Soli potiſſimum initiati abſtinentes à carnium eſu, degenteſque ſemper ſub puro Ioue, veri amantiſſimi. Ad cultum corporis adhibebant veſtem ex petra lapide confectam, quam in fila molliſſima diducunt, ex quibus etiam Sindones conficiuntur, quæ nec igne comburuntur, nec aqua lauantur, ſed vbi ſordibus inquinatæ ſunt, coniectæ in ignem, candidæ & pellucidæ fiunt. Omnes, inquit Curtius, nouo anno incipiente ad Regis fores conueniunt & & ſi quid eorum aliquis compoſuerit, vel obſeruauerit eo anno de fructibus, de animalibus, de Republica, illud in medium profert, ſi falſitas aut deceptio deprehendatur aliqua, ipſi per totam vitam lege ſilentium indicitur, qui vera dixerit, immunis, & omni tributo exemptus habetur.

Brachmanes. *Ex Hierocle in ſtudioſis hiſtoria.*

Veſtes è filo lapidis quod purgatur igne nec tamen comburitur.

Studia Brachmanarũ quam ſeria. *Curt. l. 8. c. 17. Vide explanationes. Raderi in eum locũ, nemo de Gymnoſophiſtis melius eo.*

Sunt præterea in vicinis paludibus aſini ſylueſtres, qui cornu habent in fronte, ex quo fiunt pocula in quibus qui potant, nullo poſſunt lædi veneno. Reperta item hic mulier à capite ad mammas nigra, infra vſque ad pedes alba.

Aſinus vnicornu. Mulier ad mammas nigra, ad pedes alba. *Philoſtrat. de vita Apoll. l. 3. c. 1.*

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT IX.

De fluuio Rauee, & regia Lahor, & de reliquio flumine Indo ad eius oſtia.

1. VTrum Hydaſpes, de quo egi proxime cap. 7. Is ſit fluuius quem nunc dicimus Rauee, incertum. Hunc ipſum tamen eſſe hæc videntur ſuadere. Primum, quod maximus ſit & primus eorum, qui ab Oriente feruntur in Indum, deinde quia fons eius in iiſdẽ pene montibus oritur, in quibus Indus, in Paropamiſſo ſcilicet & Emodis montibus, quos plerique nunc dicunt Caſſimere; & prouinciam decurrit mediam, quæ proprio appellatur nomine Pang-Ab, id eſt quinque aquas, quo eodem nomine, vt iam diximus, vocatur Indus: certe amœniſſimus eſt fluuius, & per eum quamplurimæ cymbæ, ſexaginta vt plurimum doliorum capaces deſcendunt, quando aqua pluuiis & niuibus intumuit. Perlabitur vero ſtatim à fontibus prouinciam Nagrakut, & Metropolim eiuſdem nominis alluit in latit. 34. 30. ſplendidam maxime propter Baſilicam, cuius ſolum, & tabulatum laminis aureis inductum eſt, in qua Idolum colitur, quod vocant Matta, ad quod venerandum multa Indorum millia quotannis confluunt, vbi & particulas linguæ ſuæ præciſas ipſi immolant. Nagrakut. Idolo Malta partem linguæ præciſam immolãt Indi.

2. Deſcendibus obuia fit prouincia Rahia Boſſow, cuius Metropolis appellatur; Temmery eidem fluuio appoſita in latit. 34. 50. Sedes potentiſſimi principis, ſed Mogori iam ſubditi, ipſique cariſſimi, ex illius terris pleræque ſimplariæ medicamenti plantæ petuntur, quæ maxima copia colliguntur in montanis. Rahia. Temmery. Simplariæ herbæ.

Huic vicina eſt prouincia Pang-Ab ampliſſima, & fertilis quippe quam rigant 5. fluuij de quibus modo diximus vnde & ipſi nomen; Ptolemæus quoque vbi confluant in eundem alueum quinque hæc flumina, nobis aperit. Eius Metropolis eſt Lahor, longe maxima ciuitas Orientis ſita in lat. 34. Temporibus Potanenſium regum tantum pagus, Multhan tum florente. Primum amplificatus ab Hamaione rege qui mortem obiit anno Chriſti 1552. Nunc autem ambitu ſuo ſecundum foſſam, quæ regis Echebar mandato ſuperioribus annis egeſta eſt, & Murum quo Selimi auſpiciis Septa 24. Coſas, hoc eſt 50. circiter mille paſſus complectitur. Arx regia vallata eſt muro latericio. Plateæ vrbis ſilicibus ſtratæ, & ædi- Vrbs Lahor ampla 50. mille paſſus.

Digitized by Google

ficia grata ad quæ ſex aut ſeptem gradibus aſcenditur ſecuritatis cauſa & ne prætergradientes introſpicere queant.

Viæ duæ inter celeberrimas orbis.

3. Ab hac vrbe regiæ ſunt celebres duæ viæ, vna quæ ducit ad Kabul per regionem longe amœniſſimam, altera quæ in vrbem ſimiliter regiam Agra, per regionem bene cultam, & fœcundiſſimam totius Indiæ, omnibuſque rebus abundantem, quæ plurimum Saccari producit: via vtrinque arboribus obſepta eſt, quæ fructus ferunt moris non abſimiles; poſt ſingulas autem quinque aut ſex Coſas Sarayum occurrit à rege, aut à quopiam præcipuæ nobilitatis viro conditum, in quo iter agentes cubiculum, & ſtabulum ſortiuntur, quæ vbi quis occupauit, à nemine poteſt extrudi. Sunt autem inter Lahoram, & Kabul huiuſcemodi diuerſoria circiter 30. & inter Lahoram & Agram 24. cymbis autem traiiciendus Van amnis latiſſimus, qui verſus occaſum dilapſus primo in Raueam labitur in lat. gr. 31. mi. 33. & cum eo abit in Indum: ſimiliter Sietmegus fluuius non minus latus, qui ex montanis Nagracut effuſus ad Indum feſtinat, qui eum admittit in lat. gr. 30. m. 35. in prouincia Buchor è regione Buchar eius Metropolis, eo tota prouincia illuitur & mire fœcundatur.

Van fl.

Sietmegus flu.

Arachoſia.

4. Se exhibet poſtea ad occaſum Arachoſia, quondam pars Ariæ, Meridionalibus montium Carmaiæ partibus ſubiacens, porrecta vſque ad amnem Indum, qui in lat. grad. 27. 40. apud Ptolemæum excipit amnem Arachotam ad quem olim Semiramis condidit ciuitatem Arachoſiam, à qua populi Arachoſij & Arachoti ſunt appellati. Arachotas vero Dionyſius vocat Linopaludatos propter veſtimenta. Ad occaſum ſimiliter finitimi ſunt populi dicti Baloaches, fera gens & bellicoſa: ad ortum vero vrbes inſignes Ieſelmere & Bando, quæ nomen ſuum prouinciis, in quibus ſitæ ſunt, communicant.

Strabo l. 11 p. 516. Curtius l. 4. c. 27. & l. 6. Ptole tab. 10. Aſia.

Tatta emporium.

5. Hinc ad vrbem & prouinciam Tatta Indus labens plurimas inſulas complectitur, amœnas iuxta & fœcundas rurſumque in vnum coit alueum.

Eſt autem Tatta in gradu 2. ſita, longe maximum Indiæ emporium, cuius præcipuus portus eſt Loure Bander, qui trium dierum itinere diſtat ab oppido. Hic commoda eſt ſtatio extra fluminis Indi oſtium & vermibus minime obnoxia, vt fere reliquæ ſunt Indiæ ſtationes, & imprimis Surate. Ab hoc duorum menſium ſpacio ad Metropolim Lahor aſcenditur, cum vno deſcendatur. Merces ab vrbe Agra, altera regni Metropoli, Camelis deduci poſſunt ad oppidum Buchar

Loure Bander, portus.

Indi

Digitized by Google

Indi ripæ appoſitum, & hinc per naues diebus 16. multoqu compendioſius eſt hoc iter, quam Agrâ Suratem.

Infra Tuttam ad læuam Indi ripam eſt Saruna magnum opidum arce firmatum, à quo Coſis 20. diſtat Nuraquimiron modicum oppidum ſitum in ſolitudine, non ita remotum ab Indi ripa. Saruna. Nuraquimiron.

Medij diei itinere diſtat Tuttâ Inne vbi barbari agunt, qui nullam domum agnoſcunt, ſed vagi, & incerti laris, vt libet ſpoliant aut tributo accepto captiuos deducunt, ſi autem Rex copias in illos emittat, caſulas ſuas è ſtramine compoſitas in cendunt, & in aſperos montes ſe ſubducunt. Tutta Inne.

CAPVT X.

De ſinu qui prætenditur oſtiis Indi fluminis, & peninſulæ Guzaratte.

1. MIrum quam diuerſa facies littorum, per quæ Indus fluuius nunc euoluitur in mare Indicum, ab ea, quam exprimunt pleræque tabulæ. Sinus eſt ampliſſimus per leucas circiter 80. ab occaſu recedens in ortum, triginta latus in oſtio, in quo binis horis 30. circiter in continente leucas acceſſu ſuo æſtus maris obtegit, & binis totidem receſſu detegit, tantaque rapiditate agitur, vt homines ingruentem è pelago vndam vix curſu euadant. Ne vero incautos abripiat, cymbali ſonitu datur ſignum. Nec poſſent naues ibi commorari, niſi haberent lacunas ad eum vſum defoſſas, in quibus mari abeunte conſiſtunt. Tempore Alexandri ipſæ maris belluæ fluctibus deſtitutæ, terribiles hic vagabantur, & palpitabant in æſtu tenui & deficiente, hærebantque in vadis, dum fruſtra conabantur æſtum aſſequi. Æſtus maris mira rapiditas ad oſtium Indi flu. *Curtius l. 9. c. 16.*

Ad intimum hunc ſinum miſcetur mari alius fluuius cui nomen Padder, qui ſolitudinem pererrat aridam, & aquarum inopem, alicubi cultoribus egentem, in qua multi reperiuntur aſini ſylueſtres, cerui, vulpes, aliæque feræ, alibi degunt Barbari, qui vt prius monui graſſantur in viatores. Padder.

2. Circa fontes illius in lat. gr. 28. ſita eſt in Aſmeree arx inexpugnabilis in vertice prærupti montis, & difficilis, qui vix 3. horis ſuperatur aſcenſu, ad cuius radices oppidum eſt mediocre ſaxeo muro & lata foſſa circundatum, celebre potiſſimum ob ſepulcrum Hoge-mondee famoſi inter Mahumetanos, in quo triplex viſitur area, prima albo, & nigro marmore ſtrata, altera eodem pauimento, ſed opere multo Aſmeree arx inexpugnabilis. Sepulcrum exquiſiti operis. Hoge-Mondee.

exquiſitiori, in cuius medio Lychnuchus cum plurimis luminaribus. Tertia quæ portam habet æneam & pulchrior eſt præcedentibus, maxime verſus oſtium monumenti, cuius ianua conchis margaritiferis incruſtata, & pauimentum circa ſepulcrum marmore tectum, ipſe autem tumulus auro, & conchis maritimis variegatus cum epitaphio lingua perſica exarato. Nec longe ab eo viſitur ipſius ſella è qua velut è tripode oraculum, dum viueret, effundebat. Sunt & multæ areæ cum ſtagnis.

Arx Ieloure. Non longe ab eiuſdem fluuij læuâ ripâ, in lat. gr. 26. arx eſt Ieloure, in vertice montis ædificata, ad quam aditur trium Coſarum aſcenſu per tramitem ſatis latum, & ſaxis ſtratum. In eam patet aditus 3. portis, quæ obducuntur ferreis laminis. In eminentiſſimo montis vertice ſtat domus gubernatoris, infra arcem, quadratum ſtagnum in rupe exciſum, quod 50. cubitos altum eſſe dicitur, & vltra ſtagnum planicies pulcherrimis arboribus obumbrata, & in faſtigio pyramidalis collis ſepulcrum Regis Haſſuard ob fortitudinem bellicam, nec non bonos mores celebris. Sepulcrum regis Haſſuard.

3. Denique fluuius Padder triplici oſtio per prouinciam Soret effunditur in eundem ſinum, in quem Indus euoluitur. Eſt porro Soretana prouincia etiam Imperatoris Mogoris, auguſtis circunſcripta limitibus, inter oſtia Indi & Padderi. Vrbem habet vtcunque celebrem Ianagram, quæ maritima cum ſit, ad Auſtrum obiectam habet Guzarattenſem prouinciam. Soret Prouincia. Ianagra.

Reliquam oram, quæ per vaſta ſpacia ab Indo ad Gangem expanditur, tenebant olim multæ gentes, inter quas potentia & claritate antecedebant Praſſij, quorum ampliſſima vrbs ditiſſimaque Palibothra à qua Pomponius ipſam gentem Palibothros vocat gentem atram, & quodammodo Æthiopes, qui ſuo regi peditum 60. millia, equitum 30. millia, elephantorum millia quotidie ſuis ſtipendiis fouebant; nudi quidem populi, ſed marinis opibus diuites. Praſſi. Palibothra. *Mela.* *Plin. l. 19. c. 6.*

CAPVT XI.

Cambaia, aliis Guzarates.

Cambaiæ regni fines. 1. INdo proximum eſt ad Orientem Cambaiæ regnum, ſoli vbertate, finium amplitudine, fluminum, vicorum vrbiumque frequentia inclytum, in primis ab Occidente Nauracos, ſeu Gedroſios attingit: à Septentrione Sangæ, ac Dulcindæ

Digitized by Google

Dulcindæ regnis, ab Oriente Mandoam terram: à Meridie mari & limite Decanio terminatur. Ipſa regio Cambaia: populi incertum vnde, Guzarates appellantur, mercaturæ apprime dedita gens, bello admodum inutilis: itaque externo fere milite reges vſi, donec eos magnus Mogor ſuæ ſubiecit poteſtati, occupato prius Mandoo regno & celeberrima vrbe Chitore circa annum Chriſti 1535. Vix eſt credibile quibus ſint dediti ſuperſtitionibus, familiam non inuenias, in qua omnes congruant, alij carnibus veſcuntur; abſtinent alij, rurſum alij carnes animalium, quæ mactare nefas ducunt in deliciis habent, nonnulli piſces duntaxat, aut lac, aut herbas. Horarum quoque & temporum obſeruantiſſimi ſunt, adeo vt poſt ſolis occaſum cibum ſumere nefas putent. Plures idola venerantur, alij vnum Deum principium & finem omnium rerum colunt; ſunt qui nudi ſuas preces concipiunt, & cibum capiunt circulo concluſi, quem aliis ingredi nefaſtum putant. Quam vero ſint dediti mercaturis tunc poteſt colligi quod ab iis magnus Mogor centum quinquaginta tonnas auri ex tributis colligat.

Chitore vrbs.

Guratos mire ſuperſtitionibus dediti.

Et mercaturis.

2. Cherſoneſi in modum prominet in mare Indicum, vtrinque magnum ſinum admittens, in quorum vnum Indus euoluitur, vt monuimus capite proxime ſuperiori, alius in ipſo aditu 18. milliaria latus, ſenſim in anguſtum adducitur poſt 40. circiter millia in Meſaquilonem directus, ad opidum Cambaia. Montes Maruæ mediam prouinciā diſpertiuntur à Promontorio Iaquete ſito in latit. 22. 50. ad ipſam pene Agram regiam per 300. & amplius Coſas magna parte inacceſſi. In quibus varij reguli, inter quos celebratur quidam Rahia dictus, qui 17. millia equitum peditumque poteſt educere, cuius ſubditi Colles & Quilles appellati ſolitudines incolunt in lat. gr. 23. m. 30. qui à Mogoris Imperio prorſus ſunt immunes.

Sinus Cambaiæ.

Montes, Naruæ ad 300. leucas extenſi.

Rahia princeps.

Omnis ora maritima tot vrbium, & villarum frequentia olim inclyta, quo tempore interiora regni vaſtabat, & occupabat Mogorus, euerſa eſt à Luſitanis, qui propter iniurias acceptas à Mahumetanis regulis, qui in his imperabant litoribus, eos valida claſſe impetentes eorum naues partim depreſſerunt, partim exuſſerunt, incolas in ſeruitutem abduxerunt, Dienſem inſulam propugnaculis & præſidio firmarunt, Mangalor opidum inſigne ſitum in litore in lat. 21. 45. dilapſis metu Mahumetanis deleuerunt Emporia duo Patane, & Pate haud ſine certamine diripuerunt, & Gogam opidum in Orientali æſtuario in lat. 22 funditus euerterunt

Orarus vaſtano Luſitani.

Dienſis inſ.

Mangalor.

Patane.

Pate.

Goga.

miſerrimamque vaſtitatem litoribus agris, & toti prouinciæ intulerunt.

3. Imo pene æſtuario affunditur modicus amnis, ad cuius ripam in lat. gr. pene 23. ſita eſt Metropolis Amandabat vrbs Londino par, muro cincta, cuius ædificia ſunt ſplendida, & latæ plateæ. Singulis fere 10. diebus hinc 200. currus omnis generis, abſque tamen vllo tributo mercibus onuſti Cambaiam petunt, ſex millia equitum hic poſſunt cogi. Nemini ſine venia præfecti qui in ampliſſima & munita arce reſidet, licet egredi, vel ingredi Sub ea vrbe cenſentur 25. pagi præcipui & ſub his minores 2998. quorum hi illis tributi rationes reddunt, illi autem Metropoli, quorum omnium reditus annuus ad ſex milliones aureorum aſcendit anno 1626. præerat Chan Syan potentiſſimus Mogoris vaſallus, cui vna cum filiis erat attributa præfectura 15. mille equorum, licet tantum ſex millia aleret.

Amandabat metropolis Guzarates.

Vaſallus mire potens.

Guzaratenſium regum ſepulcra viſuntur in pulcherrimo templo Sarques, quod diſtat tres Coſas à regia Amandabat & ab eo circiter vnam Coſam diſtat magnifica domus cum horto amœniſſimo quam ſtruxit Chou-Cin-Naw, qui regnum hoc magno Mogori ſubiecit. Itinere vnius horæ ab eadem vrbe regia viſitur ſepulchrum Pedagogi cuiuſdam regis Guzaratenſis: opus totum marmore politiſſimo & elegantiſſimo abſolutum eſt, pauimentum ſimiliter marmoreum. Conſtat 3. areis, in quarum vna numerantur 440. columnæ marmoreæ, 30. palmos altæ cum ſuis Epiſtyliis & baſibus opere Corinthiaco. Eſt & ſtagnum mirifico artificio elaboratum in quod è multis elegantiſſimis feneſtris amœniſſimus patet proſpectus.

Sepulcrum regum Guzaratenſiū.

Sepulcrum pedagogi cuiuſdam regis.

Stagna in ſepulcris.

4. Succedit verſus Septentrionem in montibus Maruæ regnum olim amplum & perantiquum Citor, cuius metropolis ſita edito loco in lat. 24 50. 12. millia paſſuum obtinebat ambitu, ſumptuoſis ædificiis publice & priuatim ornata: mœnibus ac propugnaculis egregie cincta, & propter maieſtatem, ac pulcritudinem arroganti vocabulo mundi Vmbella (id enim Citor gentis lingua ſignificat) dicta; nunc autem ſic diruta, vt tantum rudera, centum & ſuprà, magnificentiſſimorum templorum & aliorum ædificiorum hodie ſuperſint, ex quo Rex Achabar Mogoris illam eripuit poſteris Rannæ principis, & excidit, ipſeque tandem coactus eſt princeps ad Mogorem Elephantum mittere, qui ob ſingularem elegantiam Alemghomaen (id eſt ſuperbus orbis dictus) & demum Mogoris imperium agnoſcere anno Chriſti 1614.

Regnum Citor.

Occupabat rex Mogor.

Elephas ſuperbus orbis dictus.

huic

Digitized by Google

huic ad Orientem proxima eſt Malua fœcundiſſima Prouincia, & quæ plurimum opij producit. Eſt autem opium, quo nationes pleræque Aſiaticæ tantopere capiuntur, liquor qui emanat è ſurculis papaueris inciſis; tenuiores tamen vtuntur ſola decoctione capitellorum. Vſum illius primo introductum volunt à viris principibus, quibus curæ ſomnos adimebant; vulguſque ſenſim ita cœpit imitari vt pauci ſint qui alterutro non vtantur, quantumuis lethale ſit venenum, niſi quis modum adhibeat & caute illo vtatur. *Opiū, quid, & vnde tantus vſque in Aſia.* *Textira.*

Cambaia Emporium à Luſitanis maxime frequentatum diſtat ab Amandabat 38. coſis, itinere arenoſo, nemoroſo & latronibus infeſto. Sita in lat. gr. 22. 12. ad ſinum intimum, qui iuxta vrbem quatuor aut quinque milliaria latus, ſenſim in anguſtum cogitur. In aduerſa ripa eſt pagus Sarode, mediuſque interiacet ſinus, qui vbi æſtus receſſit vado quidem tranſitur, ſed non ſine diſcrimine, & perito viæ duce nec minori periculo cymba traiicitur, æſtuante mari, quod hic à ſeptem origias interdum creſcit. Vrbs triplici muro cincta eſt lateritio, ædificia habet alta & ſplendida, plateas rectas & ſilicibus ſtratas, quæ noctu portis clauduntur. In media vrbe tria ſunt fora rerum venalium ſpacioſa, & Emporium ita frequens eſt, vt non raro 200. liburnicas in eo poſſis numerare. Hic autem ita frequentes ſunt Simij, vt ſæpe obambulantes tegulis è tectis ædium lædant. *Cambaia emporium.* *Æſtus maris ad 7. orgias creſcit in intimo ſinu Cambaiæ.* *Simij frequentes.*

5. In eodem ſinu inter præcipuas vrbes cenſetur Barochia, quæ diſtat ab æquatore 21. gradus cum 55. ſcrupulis verſus arctum à Cambaia 15. milliaribus horarijs ad ripam pulcherrimi fluuij, qui procul è montibus per agros Mandoæ deſcendens, poſt 7. circiter milliaria infra vrbem abit in mare & findit ſe in duo Brachia, quibus complectitur inſulam, alibi ſemiſſem, alibi tantum quadrantem leucæ latam, & variis alueis interſectam, tandemque duobus oſtiis exit in mare, quorum exteriora latera diſtant ab inuicem 2. milliaria & amplius. Ædificata eſt vrbs in edito colle & muro cincta, ideoque & loci natura & opere munitiſſima. Ad radicem collis, ſuburbium habet vrbi pene par, quod colitur & habitatur frequentiſſime à mechanicis & nauticis hominibus, qui in annuum vectigal pendunt ducenta millia mamudeorum. Ager ſuburbanus fertiliſſimus eſt, & frugum omnis generis ferax. *Brochia.*

Quatuor à Brochia Coſis, præſtantiſſimæ gemmæ effodiuntur, quas vocant Achates; Regio vicina amœna eſt, & plena pagis. *Achatis fodinæ.*

Digitized by Google

Mandoa inter amplas vrbes Oriétis celebris.

Ab eadem Brochia verſus ortum 50. milliaribus horariis ad eundem fluuium diſtat Mandoa vetus ciuitas, quæ à Septentrione in meridiem patet 4. coſas, ab ortu in occaſum 10. circa vrbem ſunt 16 ſtagna. Hodierna ciuitas pulchra quidem eſt, ſed veteri longè minor; habens plurima ædificia ſtructa è ſaxo, & altas portas, quales vix alibi videre eſt. Ingredientibus ab auſtro ad ſiniſtram occurrit pulchra Meſquita, & è regione ipſius ſuperbum palatium vbi 4. reges ſepulturæ mandati in opulentis monumentis. Ad latus conſurgit turris 170. gradus alta cum ſuis porticibus, egregijs columnis ſuffulta. Ad Septentrionalem vrbis plagam porta eſt munitiſſima, præcipiti deſcenſu, & extra hanc aliæ ſex portæ, omnes bene munitæ, & validis muris cinctæ, & ad dexteram, læuamque murus eductus cum ſuis propugnaculis, licet mons ſit difficilis acceſſu, & à natura ſatis munitus videatur, atque adeo locus nulla vi ſuperabilis. Narrant tamen Hamauunen Mogorum principem partim vi, partim fraude hoc opidum eripuiſſe Schecsha-Selimo, cuius progenitores ante annos quadringentos Indis eripuerant.

Laet. de Imp. magn. Mogoris.

Surate emporium frequens.

6. Poſt 14. milliaria horaria in eundem ſinum in lat gr. 21. 40. influit fluuius Tapte alijs Tynde, qui à Barampore deſcendit, & alluit Surate emporium, quod ab Anglis, & Belgis frequentatur. Opidum licet modicum plurimas tamen eaſque pulchras mercatorum ædes complectitur, ei adjacet arx ampla, muro cincta, & plurimis bellicis machinis inſtructa, quarum quædam inuſitatæ ſunt molis. Extra arcem Telonium eſt, vbi portorium ſoluitur, cui forum rerum venalium adiacet. Iuxta opidum viſitur ſtagnum è viuo ſaxo eductum habens angulos ſupra centum, cuius ſingula latera patent 28. vlnas cum ſuis gradibus item ſaxeis. Opus ſiue mole ſpectes, ſiue ſtructuræ elegantiam, vere dignum admiratione. In circumpoſita regione texitur plurimum telæ Goſſypinæ. Paulo infra oſtium fluminis iacet inſula, quæ pluuiis menſibus tota fluctibus tegitur, ad latus huius Septentrionale ſtatio eſt, vbi naues grandiores onera ſua exponunt & recipiunt. Eam diſtare volunt ab Æquatore 21. gradibus cum 10. ſcrupulis. Ab hac ad Suratten, fluuij alueus nauium quæ 50. dolia capiunt patiens eſt, fluuium aſcendentibus occurrit ad dextram arx de qua diximus, ad ſiniſtram ripam, paulo infra opidum Bramport metropolis prouinciæ Chandis, quondam regia Decanenſium regum, & à Mogorum Imperatore ipſis erepta, amplum eſt regnum, & populis frequens, quod fluuius Tabeth ſiue Tapte, vt dixi, diuidit, in ſinum

Stagnum admirandæ ſtructuræ.

Bramport regia Decanenſium regnũ Candis prouincia.

Tabet fl.

ſinum Cambaiæ exiens. Cum hoc regno iungit fines Parthalſpha mediocris Princeps, & magno Mogori tributarius, hæc maxime Auſtralis dominiorum illius pars eſt. *Parthalſpha.*

CAPVT XII.

Cherſoneſi Indicæ ora Occidenti obuerſa.

1. IN hac eadem ora Cambaiæ in lat. grad. 20. primum quod occurrit iuris Luſitani, Damanum eſt, magni olim nominis opidum, quod vltra centum minora opida pariter & pagos ſuo habebat ſubiecta dominio, præter firmi operis arcem, quam Turci excitarant, qui modis omnibus Luſitanos arcebant litore, & commerciis. Soſa dux Luſitanus vitato portu, nocte intempeſta, in aſperum litus non ſine periculo repente cum ſuis deſcendit, ſcalas ad muros apponit, portas raptim occupat, atrociter dimicat, Turcos ad vnum omnes occidit. E Luſitanis 10. deſiderati non amplius, grauiter icti plures, arx triduo diruta, & ſolo, vix vt veſtigium extaret, æquata eſt. Prætor Conſtantinus Ducis Braganciæ filius, vrbem Luſitano regi acquiſiuit anno 1559. Eodemque die Mahometicum fanum rite prius expiatum vero numini addixit, atque eius curam commiſit Conſaluo Sylueriæ noſtræ ſocietatis ſacerdoti, qui ſumma totius exercitus voluptate diuinam victimam eodem die in eo immolauit, quod ei ſoli facere licuit, cum præter eum, ſacerdos repertus eſſet nullus, qui ad eam horam ieiunus perſeueraſſet. Vrbs ampla eſt, mari proxima, & ad ripam fluminis, atque arce firmiſſima iterum munita. *Damanum.* *De Iarric. tom.*

2. Infra Damanum leucas horarias ferme 14. decimo nono circiter gradu ab Æquatore eſt Baſainum vrbs, quæ habebat arcem idoneo loco ſitam in ditione Regis Cambaiæ, qui totam oram ab inſula Diu ad hoc vſque opidum poſſidebat, tantæque erat potentiæ, vt ſub illud tempus, quo Luſitani in has oras appulerunt, haberet in procinctu centum mille equites & quingenta millia peditum, & in arce Bazaina numeraret 40. tormenta bellica, quando prætor Nonius eam ſolo æquauit, tandemque coëgit Badurium Cambaiæ regem pacem inire cum Ioanne Luſitaniæ Rege, ipſique concedere Bazainum & vicinas inſulas, quo in numero Salſetanæ Bazainæ ſunt, quæ diſtant 70. leucas ab vrbe Goa; & partem inſuper continentis. Regio feraciſſima eſt, cælum ſaluberrimum, puteales aquæ dulciſſimæ, vrbs elegans, & *Buſainum.* *Cambaiæ regis potentia.* *Bazainæ inſulæ.* *Maffeius.*

Digitized by Google

ædium pulchritudine & mole ac deſcriptione templorum, quæ ſubterranea ferme ſunt, ac fornicata, intercolumniis, ſacelliſque decora, eodem ſaxo, opereque conſtructis. Portum autem habet optimum, & abundat lignis ad naues fabricandas. Ibidem Rex Luſitanus anno 1540. primum quidem ſedem, deinde anno 1560. Collegium Societati noſtræ attribuit annuo cum prouentu, tum ad perducendos ad Chriſtum Ethnicos & Saracenos, tum ad Luſitanos in inſtitutis patriis Chriſtianiſque ritibus continendos mire accommodato ex quibus miri fructus Chriſto gratiſſimi extiterunt.

Hiſtor. Soc l. 8. n. 131.

Du Iarric. l. 2. c. 16.

Salſetana inſula. 3. Eſt porro Salſeta Bazaini inſula non tam magnitudine quam feracitate nobilis, diſtans leucis 4. ab vrbe Bazain. In ea
Tana. eſt Tanaa, vrbs olim, quod vel hac tempeſtate veſtigia monſtrant, ingens, atque magnifica, nunc mediocre opidum, quod longe ſupra priſcam felicitatem Conſaluius noſter euexit, multis incolarum in municipium cæli conſcriptis: Ibidem templo in honorem Dei Matris & contubernio inſtruendæ Chriſtianorum ſoboli ædificato anno 1551. in quo pueri nobiles & præclaræ indolis à noſtris hominibus ſelecti enutriuntur & inſtituuntur, vt poſtea Chriſtianis, & moribus & doctrinis informati poſſint fieri ſacerdotes, & ſuis adeſſe.

Sunt etiam ibidem alia duo municipia Chriſtiana. Vnum Sanctiſſimæ Trinitati ſacrum in feraciſſima valle, ſtagnis tribus irrigua, in quá noſtri quingentos circiter colonos euocarunt, qui & agros colunt induſtrie & pacifice viuunt Chriſtianorum rituum, & præceptorum tenaciſſimi. In eo ipſo loco, in quo antiquitus fabuloſam neſcio quam Trinitatem per totam Indiam longe celeberrimam colebant Brachmanes.

Bandora. Alteri nomen Bandora in quo numerantur incolarum circiter quatuor millia, qui omnes ſunt Chriſto addicti, & à noſtris Patribus diligenti cura inſtructi.

Montes Bazaini. 4. Ab vrbe Bazain denominantur montes Bazaini, qui ipſi ſunt ad Orientem, licet magnam partem ſint ditionis Re-
Viſapora regia Decan. gis Decan, cuius Regia in vrbe Viſapora, quæ remouetur à Goa itinere dierum 5. ſita ad fluuium, qui è regione Goæ abit in mare, quanquam vrbs præcipua illius principatus ſit Bi-
Bider. der, quam ſequitur in ordine Decan, vnde toti nomen re-
Manora arx munita ratione ſitus. gioni. In continenti poſſident Luſitani arcem Manora ſitam in Aſſerim rupe confragoſa quæ circumpoſitis montibus ſupereminet, & in quam nullus eſt, qui aſcendat niſi pedibus nudis, vel fune in altum educatur, ad eius tamen radices opi-

dum

Digitized by Google

Maff. l. 4. dum eſt ſeptingentarum circiter familiarum. Chiaulum celebre eſt pannorum ſericorum & aromatum emporium duas introrſus recedens leucas à mari ad ripam fluuij eiuſdem nominis, in quo æſtuarium capax & patiens omnis generis nauium, ſitum in patienti campo in lat. gr. 19. Luſitanis etiam ſubiectum. Dabulum eiuſdem oræ Decanæ opidum eſt, eodemque ferme quo Chiaulum ſitu, duas etiam à mari recedens leucas, magnifico impoſitum flumini, aſſiduo concurſu negotiatorum celebre, quod eius regio abundet Zinzibere. **Chiaulum ſerici & aromatum emporium.** **Dabulum.** **Zinziber.**

CAPVT XIII.

Goa Imperij Luſitanici in India Metropolis.

1. IN gradu 16. borealis latitudinis, mare cogitur in fretum, ſeu Euripum, quem vocant Ticuarinum, in quem decidens fluuius fecit inſulam Goam, & ipſi proximas puſillas duas alias Ciorano & Dinare quibus proxima Salſetana in continenti plaga, 66. pagos complexa vti vocabulum ipſum Salſetarum lingua gentis ſonat. Incolæ vocantur Canarini qui anno 1651. literas dederunt ad ſummum Pontificem Innocentium, quibus eum enixe rogant, vt in Sanctorum Catalogum referat Rudolphum Aquauiuam noſtræ Societatis, quem maiores eorum martyrio affecerunt, dum ipſis fidem Chriſti annuntiaret. **Ticuarius. Euripus. Goa. Cionaro. Dinare. Salſetana continens. Canarini.**

Goæ igitur inſulæ & vrbis commune nomen ambitus inſulæ millia paſſuum circiter viginti tria continet, vrbs, priuſquam eam obtinuiſſent Luſitani, erat cincta muris, munita turribus, tormentis permultis, atque variis inſtructa, erant ædes amplæ; cæli temperies regionis amænitas, & portus ſecuritas multos mercatores inuitabat, vt libenter in ea collocarent domicilia: emporium erat valde frequens, & vigebant in ea armorum ſtudia propter milites, quos Sabainus alij Sabaium vocant, princeps ſtipendijs fouebat. Licet autem inſula eſſet ampla, arboribus fructiferis veſtita, pecora innumera nutriret, variaque alimenta profunderet & perennes haberet aquas nemini tamen licebat in inſulam ingredi, priuſquam in aditu nomen ſuum & Patris & Patriæ ſcripturæ magiſtris in quinque locis, in quibus in inſulam facilior erat tranſmiſſio, conſtitutis exponeret qui etiam hominis colorem & ſtaturam, & ſigna literis conſignabant. *Oroſius l. 7 de rebus Emanuelis.* **Goanæ inſulæ felicitas.**

2. Cum autem ab euerſo Dabulo Sabaius præcipuus Decaniorum Tyrannus, qua in regione Goa vrbs eſt (qui com-

Digitized by Google

miſſum ſibi à Rege ſuo imperium per ſcelus, fraudemque poſſidebat, & cum hoſtibus Luſitani nominis conſociauerat arma ſua) prorſus implacabili in Luſitanos ira concepta, naues ædificaret, magnis præmijs veteranos vndique milites contraheret, ingentem omnis generis numerum machinarum cōpararet, magnus Albuquercius audita eius morte & Idalicani eius filij abſentia, illico Goam properat, Bardeſio caſtello in continenti, alteroque in ipſa inſula dicto Cangio felici euentu captis, cæſo ac fugato præſidio, eum ciues patentibus portis cataphracto equo inſidentem præuio crucis vexillo admiſerunt. Verum ab adueniente Idalcane cum ingenti exercitu vrbe pulſus, eam iterum anno proxime ſequenti 7 Kal. Decembris occupauit, In qua obſidione multa contigerunt memoratu digniſſima, primum quod interfectis hoſtium millibus ſeptem, è Luſitanis non amplius quadraginta deſiderati ſunt. Deinde quod dum ipſe Dux Albuquercius flumen traijcit, & videt ſibi proximum, vt globo tormenti pereat, poſtquam D. Virgini Gualdalupinæ ſe commiſit ex animo, mox alius globus tormento à 40. paſſib. excuſſus ipſi pectus percuſſit & innoxie lapſus eſt ad pedes. Tertium eſt quod in domus cuiuſdam parietinis æneum è cruce pendentis Chriſti ſimulacrum repertum eſt, euidenti plane argumento, in ijs olim regionibus, & Chriſtianam fidem & vſum imaginum viguiſſe. Signum deinde purgatum, & ad Emmanuelem eſt tranſmiſſum. Facta eſt poſtea vrbs totius Indiæ Metropolis, Archiepiſcopi & proregis Indiæ ſedes, & imprimis viſenda ab eo, qui totius Orientis opes vno quaſi intuitu vult contemplari. Portus ampliſſimus eſt, & munitur propugnaculo ſuper collem ad latus eius extructo. Verum à menſe Maio ad vſq; Septembrem in Oceano Indico ſæuiſſimi turbines, ac fœdiſſimæ exiſtunt procellæ, quarum impetu fauces Goani portus, aggeſtis arenæ cumulis per eos dies ita obſtruuntur, vix vt minoribus nauigijs & magno cum labore tranſitus pateat.

Maffeius variis in locis maximeque l. 4.

Goam occupat Albuquercius.

Simulacrũ Chriſti crucifixi repertum in parietinis Goæ.

Incommoda Goani portus.

Onor.

3. Ab Goana inſula 20. mill. diſtat Onor inclytum quondam emporium priuſquam inde Goam auocaretur mercatura. Vrbs ſita eſt in gradu 14. ager vicinus præſtantiſſimi piperis copia celebratur. Onori proxima eſt Pedrura, ſedes Regis de Seitta Panaiche, in cuius agro legitur pene omne Piper, quod in Europam transfertur, abundat præterea multa orizia. Iam ab anno 1645. noſtri Patres permiſſu Regis in eas ſe partes immiſerunt, in quas nemo, quod ſciamus, Chriſti fidem annunciauerat in eam diem, gens ſimplex docilis

Ex relat. miſſionis Canariæ a. 1651.

vna

Digitized by Google

vna vxore contenta, Brachmanis deſtituta. Idola iam ſua plerique flammis addixiſſent, niſi Dæmon Brachmanis ſpecie ipſis apparens eos terruiſſet propterea. Sequitur deinde Barcelor 15. milliaribus ab Onor, 13. gr. ab Æquatore diſtans piperis & orizæ copia diues eſt. Mangalor hinc remouetur 9. mill. ſub 12. gradu cum dimidio vrbs conſtituta, oræ Narſinganæ opulentum emporium, arcem habet emporio coniunctam, quam vi & armis pridem Luſitani expugnarunt, & ex ea 60. maiora tormenta auexerunt.

Barcelor. Mangalor inſ. Narſingana ora.

Maff.l.1. 4. Cananor 15. milliaribus diſtat à Mangalor, & 12. gr. cum 30. min. ab Æquatore, vrbs prædita eſt portu capaci & tuto, Oryza importata vtuntur incolæ, verum abundant carne, Piſce, Pomis, Pipere, Cardamomo, Gingibere, Tamarindis, Cinnamo, & Mirabolanis, ad eaſque digerendas merces, tellus plurimis conciſa eſt æſtuariis & fluminibus. Hic Veſpertiliones ſunt multi dentibus & roſtro Vulpinis, Milui magnitudine, præcipuo in honore menſarum. Stagna paſſim etiam occurrunt grandibus plena Lacertis, qui horrendo hiatu in hominem furenter inuadunt.

Cananoris. Piper. Cardamomum. Gingiber. Tamarindis Ginnamū. Mirabolani. Veſpertiliones Milui magnitudinis. Lacerti, qui homines vocant.

CAPVT XIV.

Zamorinus Calecutij Rex, & Malabarum Imperator.

1. SEquitur poſt 8. milliaria ſub 11. gr. ab Æquatore Calecutum olim totius oræ, & Malabarici regni caput, emporiumque rei gemmariæ, aromatum, & medicamentorum omnium frequentiſſimum, priuſquam incenderetur ab Albuquercio. Eius Rex in primis Indiæ clarus erat ac potens, quantumuis enim eius ditio vix pateret leucas 25. ſecundum litus & 50. intra centinentem; propter emporij tamen celebritatem cæteri eius tractus Reges principem, ac ſuperiorem agnoſcebant, & patrio ſermone Zamorinum, id eſt Imperatorem appellabant, cum autem aliqualis ab initio interceſſiſſet inter Malabares, & Luſitanos amicitia, odioſæ primum controuerſiæ inter negotiandum exortæ, partis vtriuſque animi ſuſpicionibus ſunt irritati, dein vltro, citroque factæ iniuriæ, poſtremo inſtigantibus è conſuetudine Saracenis bellum exarſit, quod per centum annos varia geſtum ſorte, donec Prætore Capralio, Calecutanæ ditionis pars magna capta eſt vi, & facibus ſubiectis; agri vaſtati, palmeta ſucciſa, naues, quæ in mari litoreo conſiſtebant flammis abſumptæ, & poſtquam in fugam conuerſi ſunt Malabaricæ

Calecutum emporium rei gemmariæ, aromatum, & medicamentorum. A Luſitanis vaſtatum.

Digitized by Google

oræ proceres tandem præualuerunt Luſitani, iuncti fœdere cum Rege Cochini,deſertoque Calecutij portu propter bella, omnis eſt pene negotiatio partim Goam traducta, partim Cochinum, quibus in locis vſque ad Hollandorum aduentum hæſit piperis, aromatum & ditiſſimarum totius Orientis negotiationum communis apotheca. Eſſetq; nunc ipſi plane impoſſibile centum mille homines educere in aciem, ſicut olim in Luſitanos eduxit.

CAPVT XV.

De Malabarum moribus & inſtitutis.

1. ORa Malabarica incipit paulo poſt inſulam Goam, & patet ſecundum litus ad Cori promontorium per leucas centum quadraginta quinque,quarum primæ 45. ſunt dictionis Regis Biſnagaris, ſeu Narſingæ qui in Occidentali ora Malabarica vrbes habet Onor, & Batticala, multaque in Orientali ora huic oppoſita.Sequuntur poſtea ſuo ordine regna Cananor, Calicut, Cochin, Porca, Colan, & Trauancor. *De Iarric. l. 1. c. 2.*

Caimales. 2. In his partibus quatuor ſunt ordines hominum: ſcilicet Dynaſtæ, ac Satrapæ, quos vulgo Caimales vocant; ſacrorum antiſtites & procuratores antiquitus dicti Brachmanæ: Rei bellicæ ſtudioſi è nobilitate duntaxat: quartum obtinent locum opifices & agricolæ. Reliquum vulgus inſtitorum eſt, qui magna ex parte ſunt Arabes, Perſæ, Ægyptij, hæreſi Mahometana & Iudaica infecti, qui precioſis mercibus, admirabili ſolertia, & peritia permutandis, ad amplas opes, pecuniaſque perueniunt. Plerique Malabaricæ terræ Reges, & Dynaſtæ ſunt è Brachmanarum ordine ac diſciplina, quod apud omnes præcipuo in honore Brachmanæ ſint, pateatque ea ſecta latiſſime, quod eorum ſcitis omnia publica & priuata ſacra ſubiecta ſint, & magno ſuo quæſtu, prodigia, ſortes, & auguria interpretentur. Sed non vnum eſt Brachmanarum genus, quippe alij coniugium ineunt, viuuntque in hominum frequentia, alij cælibem agunt vitam, quos hodie proprio vocabulo Iogues appellant, Gymnoſophiſtas olim Græci dixere,iique partim longiſſime peregrinantur ſtipem emendicantes, & victus, veſtitúſque aſperitate, nacti exiſtimationem ac fidem, credulas hominum mentes portentoſis mendaciis, variiſque ſuperſtitionibus, in fraudem impellunt: partim in ſolitudinibus auiis, & ſubterraneis ſpecubus duriſſimo vitæ genere, inedia, vigilia, nuditate,

Maff. l. 1. Brachmanæ nobiles. Inſtitores. *Maff. l. 15.* Brachmanç. Varia eorũ genera.

tate, frigoris æſtuſque patientia, ſemet ipſi diſcrutiant, abſtinentque ab omni corporis voluptate, ad certum annorum ſpacium, quo exacto in Abdutos magna cum gloria referuntur, iique tamquam humano faſtigio celſiores nullis iam tenentur legibus, & in omni flagitiorum genere volutantur. Abduti.

3. Eſt etiam ſuis Iogubus rector maximus, qui vectigalia perampla diſpenſat, vocatiſque ad ſe certis temporibus, impoſtores varias in regiones ad prædicanda impiæ vanitatis deliramenta dimittit. Religio Brachmanarum.

Parabrammam neſcio quem Deorum antiquiſſimum colunt, & ex eo filios tres, quorum in gratiam terna fila gerunt ex collo ſuſpenſa. Brutis etiam cæleſtes habent honores, Sane fanum eſt Simio dicatum, cuius duntaxat pecori in victimarum vſum cuſtodiendo porticus miram in longitudinem excurrit columnarum ſeptingentarum è marmore. Elephantis etiam religionem numinis tribuunt, bobus autem eo maiorem quod hominum vita functornm animos in eam maxime belluam immigrare opinantur. Parabramma Deorun antiquiſſimus. Simius ab Indis cultus

4 Naires autem, penes quos totius rei militaris eſt cura, vt ſeptimum circiter ætatis annum attigere, teneri corpuſculi neruis diu multumque diſtentis, laxatiſque compagibus adhibita frequenti vnctione ſeſamini olei ad agilitatem pene incredibilem perducuntur, itaque velut exoſſes artus omnem in partem arbitratu ſuo contorquent, ſaltus retrorſum æque atque in aduerſum longiſſimos edunt, & in lucta varios nexus implicant & explicant. Armis autem à pueritia ad vltimam vſque ætatem ſumma cura exercentur; maioribus, minoribuſque tormentis igneiſque miſſilibus admodum ſcienter vtuntur, iamque Indici ſclopi ſeu ferreæ fiſtulæ, & ſulphureus puluis longo interuallo Luſitanicis antecellunt. Nudi, pube tantum velata prælium ineunt, plurimum ipſis eſt præſidij in fuga, momento euaneſcunt, mox ab tergo ſe oſtendunt, parique celeritate ſequuntur, & abeunt, & haud incertiore ictu auerſi, quam aduerſi iacula dirigunt, facta autem teſtudine ita ſub ſcuto ſe totos condunt, vt locus ad plagam nullus omnino pateat. Naires quã agiles, & exercitati in bello.

5. Longe miſerrima conditio eſt Agricolarum, & opificum, ſiquidem præter quotidianas operas, quibus ægre ſe ſe, familiaſque ſuſtentant, quod initio quiſque ſortitus eſt vitæ genus, in eo ad mortem vſque perſiſtere cogitur, atque adeo abiecti ſunt, vt ſuperiorum ordinum homines ne rectis quidem oculis audeant intueri, quod ſi Nairem propius acceſſerint, male illico multantur. Latomi vero, fabri, & id Plebeiorum ſors miſerrima.

Digitized by Google

genus opifices adeo nullo in precio numeroque ſunt, vt pro ſeruis, mancipiiſque ducantur, cuiuſuis iniuriæ vexationique propoſiti.

Hæredes ſororum filij.

Promiſcua ſunt inter ſingulos ordines coniugia, vagique ferarum more concubitus, incerto omnes patre naſcuntur & ad ſororum filios, vt minimè dubiæ cognationis hæreditas peruenit.

Ædificia qualis.

6. Ædificia, Deorum templis exceptis & regiis ædibus & quibuſdam precioſarum mercium apothecis, lignea, & modice ab humo extantia palmarum foliis conteguntur, nec vlli omnino præterquam Dynaſtis ſumptuoſius habitare conceſſum. Suburbana tamen viſuntur plurima cum hortis apprime cultis, quæ ferme incolunt optimates, ne vrbanæ plebis conſuetudine polluantur, ea partim vallum & agger vndique muniunt, partim inflexi enatarum ibidem arborum rami, paſſim interiectis, implexiſque mira denſitate viridibus rubis ac ſentibus ad introitum aſpectumque & ignem arcendum, tantis præterea recurrentium in ſe viarum anfractibus, vt inſtar labyrinthi cœcos errores, & ambages imperitis locorum obiiciant.

CAPVT XVI.

De vrbibus, & regnis, Cranganor, Tanor, Cochin, Coulan, & Trauancor.

[Cr]anganor. 1. DEcem millia à Calecutio & 10. gradu cum dimidio ab Æquatore eſt Cranganor, vbi cultores Chriſti è vetuſtiſſima illorum ſtirpe, quos beatus quondam Apoſtolus Thomas ad ſacram religionem à Bracmanarum fabulis traduxit. Quando in has partes venerunt Luſitani altaris myſteria adhuc religioſe venerabantur, eoque viatico, decedentes è vita, muniebant: Aduentus & Quadrageſimæ obſeruabant ieiunium, quotidianæ pſalmodiæ & ſacris inſiſtebant. *Maff. l.1.*

Hic Chriſtiani à D. Thoma ad fidem conuerſi.

Tanor.

Tanor maritimum Malabaricæ opidum eſt, vnde regnum eiuſdem nominis appellatum 80. ferme infra Goam ad Meridiem leucis, infraque Calecutum 15. medio pene ſpacio, Goam inter, & Commorini fines. Plana admodum regio Hibernis imbribus ita redundans, vt interdum cubiti altitudinem aqua ſuperet, nec tamen inſalubris. Pingue ſolum, orizæ ferax, atque palmarum, quanquam paruo, tenuique vtantur incolæ victu, cultu nullo, cum Æthiopum more vmbilico tenus nudi ambulent. Horum Rex magnæ apud finitimos auctoritatis *Orlandin. hiſt. ſoc. an. 1549.*

Digitized by Google

autoritatis & vt plurimum propenſi admodum in Luſitanos, imo Luſitanorum vectigales ſe profeſſi ſunt.

Maff. l. 2. 2. Cocini regnum à Calecuto leucas ferme 30. in meridiem diſtat, eiuſdem nominis regia vrbs ad oſtium Mangatis fluminis mari introrſum æſtuante ad formam peninſulæ cingitur. Ædificia, mores, inſtituta, ferme eadem quæ Calecutanis. Indicarum vero frugum & aromatum ac piperis præſertim ager longe fertilior. Vrbs ampliſſima, & Goæ pene æqualis tam ædium numero & ſplendore, quam incolarum frequentia. Cocinum. Aromatum & Piperis feracitas.

3. Colanum vrbs 24. leucas à Cocino in Meridiem ſita in primis totius Indiæ antiqua & opulenta cenſetur, ex ea Calecutum, & aliæ Malabarici ſoli, olim ductæ coloniæ; abundat mercibus, portus facilem præbet acceſſum, ac præterea multis familiis veterum Chriſtianorum incolitur. Amicitia ipſis iam ab anno 1503. cum Luſitanis inſtituta, domiciliumque proprium Luſitanorum commerciis attributum, imo etiam poſtea arx, hicque quotannis vna nauis Pipere oneratur. Colanum. Chriſtiani veteres. Piper.

4. Colano proximum eſt Trauancoris regnum & regio à Parauis promontorio Commorini ſeiuncta. Eius incolæ cum S. Xauerium euocaſſent, ipſeque principia Chriſtianæ doctrinæ eis tradidiſſet, cum alia ſuſpexerunt, tum vero maxime decem diuinæ legis præcepta mirati ſunt, quam illa æquitatis plena eſſent, quam vera, quam rectæ rationi conſentanea; tamque ingens fuit mortalium numerus vt Rege eorum ſibi conciliato, capitum amplius decem millia ſimul vno tempore baptizauerit: ipſeque Rex toto regno ſuo edixit vt magno patri omnes obtemperarent, haud ſecus quam ſibi. Trauancor Ad fidem conuertitur.

Turſelin. de vita Xauerij l. 2. c. 11. Anno reparatæ ſalutis 1544. quo in illud regnum peruenit S. Xauerius vici erant ad 30. maritimi, quos partim Ethnici piſcatores (Machaos vocant) partim Saraceni incolebant.

CAPVT XVII.

Mons Gatis, & Promontorium Commorini.

VRbs Cael pene ſita eſt in apice Commorini Promontorij, ex ea autem cum in Inſulam Zeilan vado tranſmittere nullius ſit laboris, hanc nonnulli putant fuiſſe olim à continenti auulſam. Eſt porro Cori ſeu Commorini Promontorium terminus, ſiue apex celebris, in quem deſinunt montes illi mirabiles dicti. Gatis qui à gradu 16. medij recta incedentes inter oram Malabaricam, & litus Piſcarium ad- Cael. Commorini Promot. Mons Gatis.

mirandum illud præſtant, quod in hanc diem Phyſicorum omnium torquet ingenia, nempe quod in eadem cæli plaga, paris ſolis acceſſu, receſſuque iiſdem anni menſibus ab ortu trans Gatis iuga in piſcario litore æſtus eſt, ac ſiccitas: ab occaſu cis Gatem hyems, & aſſiduæ pluuiæ; vt in tanta locorum propinquitate, quod ad rationem tempeſtatum attinet, iidem pene populi ſibi multo Antipodes videantur eſſe. Quam diuerſitatem, quæque de Æquinoctiali circulo ac torrida zona antiqui falſo opinati ſunt, ſi quis diligentius reputet profecto intelliget omnia quæ in cœlo, & quæ in terris fiunt, non ad neceſſitatem fati, vel ad fortunæ temeritatem, verum ad vnius omnipotentis Dei liberam voluntatem ac prouidentiam eſſe referenda.

Maff. hiſt. l. 1.

Tempeſtates omnino ſibi contrariæ.

CAPVT XVIII.

Maldinæ Inſulæ.

1. MAlabarico litori obiectæ ſunt Inſulæ, quæ ab earum præcipua Maldinæ dicuntur. Initium habent circa octauum gradum latitudinis borealis, & finem in quarto auſtralis, ſicque in longum 240. leucas obtinent, latæ 30. remotæ ab vrbe Cochino 150. à Luſitania vero 4500.

Ex Pirardo Lauallæo lib. quẽ ſcripſit Gallice de naufragio quod ſubiit ad has inſulas in quibus manſit quinquennium.

Attolenes.

Diſtinguntur in Prouincias 13. quas Attolones vocant indigenæ: harum vnaquæque ſeparatur à reliquis circumfuſo vndequaque ſcopulo, quo nullum opponere fortiorem murum ars potuiſſet. Sunt autem ſingularum huiuſmodi Prouinciarum naturales muri in orbem, ſeu potius in Ellipſim deſcripti ambitus 30. circiter leucarum, atque inuicem ita ſibi omnium extrema reſpondent ab auſtro in boream, vt ſe tamen nunquam attineant; exundant inter ſingulas, intercurſantes Euripi, laxiores alij, alij compreſſiores. In ipſo cuiuſque Attalonis meditullio inſulæ viſuntur multiplices, non ſua mole, quæ tenuiſſima eſt, ſed vna ſcopulorum, quibus ambiuntur, magnitudine, ſecuræ ſui & pelagi, cui irrito impetu fluctus altiores aliquando turribus in hæc ſaxea propugnacula deſpumant.

Inſ. 1200.

2. Aiunt indigenæ hos intra Attalones 1200. Inſulas contineri, idque eſſe ita confirmat titulus, quem ſibi Rex illorum adſciſcit, qui ſe Ibraimum Sultanum prouinciarum 13. & 1200. Inſularum regem nominat; quanquam vix ego crediderim, vt tam arctos intra limites tanta ſit inſularum multitudo, niſi forte exilia terræ tubera, qua paulatim maritima rapacitas

Digitized by Google

rapacitas excedit, tanto inſularum nomine plus quam par ſit exaggerent. Imo vero credibile eſt vnicam olim inſulam in vnoquoque Attollone fuiſſe. Sunt porro ſine incolis multæ, non tamen ſine herbis, & arboribus. Conflantur aliæ è ſterilibus duntaxat arenis, quas identidem maior Oceani acceſſus tegit. Multis rebus ad victum neceſſariis carent incolæ, ſed pro iis omnibus vna eſt palma; pleræque piſcibus abundant teſtaceis & auibus, quas Pingouins vocant, mole columbis pares, penniſque ex albo nigroque temperatis, totque id genus aues oua profundunt, vt ea quin incedendo proculces, vix poſſis. Excluduntur autem ſolo ardentium arenarum æſtu, nec inſipidus eorum guſtus eſt, etſi nullius vſus apud indigenas. Tranquillo vt plurimum fruuntur mari, cuius altitudo ſumma vix eſt orgiarum 20. ſumma vero depreſſio vix hominem medium tegit. Facilis eſſet pedeſtris ab alia inſula in aliam traiectus, niſi prohiberet imminens periculum à piſcibus Parmonibus dictis, qui homines integros abſorbent; nec non à præacutis ſaxis, quæ fundum aſperant & arbuſculis in coralij modum aliquantulum eminentibus albicantibus, intus vacuis, & exterius ſalebroſis: id arboris genus Aquiri vocant, ex eoque in fruſta diſſecto & adhibito ad illius elixationem humore quem eliciunt ex Cocco, ſuum etiam ſibi ſaccarum exprimunt.

Oua arenarum æſtu hic excluduntur.

Parmonides piſces qui hominem abſorbent.

Aquiri genus ſaccarij.

3. Hos inter Atollones non plura interualla ſunt quam 4. patientia maiorum nauium, cætera nauiculis tranſmittuntur. Quod autem æquatori ſubiicitur ad 20. ſe leucas explicat. Venti, & mare ſtatos habent motus ad ortum ſex menſium, totidémque ad occaſum qui tamen interdum & ad auſtrum, & ad boream paulum declinant. Maritimi ſimiliter impulſus & motus non ita fixi conſtant ſibi, vt non aliquando ſolitum aduentus ſui tempus occupent, adeoque ferantur rapide, vt nemo niſi aliquantulum deflectat ad latus, ab Atollone vno traiicere ad alium poſſit. Hiberno tempore cuius in Aprili initium eſt, partem occiduam afflant, cum per æſtatem imbres nulli in ortiua litora depluant. Scaturiunt in his aliquot inſulis dulces aquæ, aliæ aliis ſuauiores, eæque, quod mirum eſt, ſcaturiunt interdum prope litus maris, ſi modo egeſtâ vel ad 4. à mari paſſus humo effodiantur. De die, maximeque ſub horam Meridianam frigent, de nocte vero vehementius incaleſcunt, pro ardore diei, qui vehementiſſimus eſt, & noctium frigiditate quæ perpetuo madent rore herbarum arborumque altore. Multis in locis ſunt minuta Conchylia miro ſplendore & colorum varietate, quæ Saburræ

Venti ſtat ad ortum 6. menſibus & ad occaſum totidem.

Maritimi motus.

Hyemis initiũ Aprilis.

Aquæ dulces 4. pedes à litore.

Noctes ſunt calidæ.

Conchylia monetæ explẽt vicem.

loco in onerarias indita ad diuerſas regiones euecta, puta apud Gangaridas, & Sionios vilioris monetæ explent vicem, apud Heſperios Æthiopas cum rebus etiã carioribus permutantur. Repertæ ſunt in his locis Cartæ Hydrographicæ, in quibus è bolidis iactu expreſſa maris altitudo & accurate ſcopuli quiuis & cirtes obſeruatæ viſuntur.

Cartæ Hydrographię.

Sciunt omnes apprime rem maritimam, neque quiſquam eſt ita rerum omnium inops, cui ſua cimba non ſit, ſunt autem ditioribus plurimæ. Inter fluctus, duabus haſtis altiores tenent ſecurum iter, deflexa identidem oportune ab his aquarum montibus nauicula, ſeque è multis locis expediunt, quorum non modo traiectus, ſed & aſpectus ipſe nauarchis vel peritioribus terrorem incuteret. Adeo præterea ſunt in arte natatoria habiles vt, vel ipſos natando piſces aſſequantur & aquis eripiant.

In arte natatoria habiles.

Incolarum origo.

3. Hæ porro Inſulæ populis auctæ ſunt, partim è reliquiis frequentium naufragiorum, quæ nautæ tum ex India, tum ex Europa hæc in litora violento maris impetu delati, paſſi ſunt: partim exceptis ab inſula Zeilan pluribus colonis, atque idcirco quod à Male ad Boream mare ſit naufragiis infeſtius, factum eſt, vt Europæi vrbaniores aduenæ humaniorem his locorum ſpaciis, quam ſit in cæteris, cultum attulerint; Et vero ſubflauus eſt illis color, nonnullis etiam candidiſſimus, frequentior eſt mercatus, pluraque arte facta. Quin etiam videre eſt in iiſdem Inſulis quoſdam imprimis eruditos & præſertim Aſtronomiæ ſcientiſſimos: neque eruditio illa prohibet quo minus arma perite tractent, eoque peritius, quo magis ex ordine omnia fiunt, & optimis legibus, quarum tenaciſſimi ſunt. Qui prolixiores alunt capillos, denſiores, & magis atri coloris, ij præ cæteris formoſiores habentur; quamobrem iam à prima ætate ſingulis octo diebus detundentur. Fuſior eſt fœminis coma, fuſior item viris nobilibus militaribus, famuliſque Regiis, cæteris non ita, hanc viri ad infra capitis tempora circumligant, infra occipicium fœminæ: eandem omnes vniuerſim aſſidue colunt, effuſe inungunt, & ſuauiſſimus vnguentis vaporant. Hic porro nulli viſuntur, qui ſint criſpo capillitio.

Scientes Aſtronomiæ.

Mores.

Villoſum eſſe toto corpore decorum.

4. Ibidem gloriæ ducunt indigenæ quod toto corpore Villoſi ſint, indeque ſuæ fortitudinis commendationem petunt. Fœminæ vero quibus æque ac Gallicis, lenis eſt cutis, habent in deliciis forcipes, & confecta ex cupro ſpecula. Homines ab vmbilico ad ſummum caput nudo corpore & Abraſis per interualla quibuſdam ſtomachi partibus perinde

ſua

ſua pelle induti ac diſſecto in varia thorace videntur. Nullus eſt puellis niſi poſt quinquiennium veſtis vſus. Quidam importato lino ſericoque talares tunicas eleganti opere texunt.

Atollo qui primum inſularum apicem tenet, & velut anterius agmen, à Luſitanis dicitur Cabeca, & Maldiuanenſi idiomate Tilla Doumatis, quæ vox idem ſonat ac ſuperior apex. Eadem illius altitudo quæ Cochini, nempe 8. graduum. Cabeca.

5. Qui à primo proximus, Milla nuncupatur; qui tertius Padipolo; quartus Malos Madou, ad quem intercipitur canalis primus, ſeu fretum nauium ingentiorum capax: quintum appellant Ariatollon: ſextum Male Atollon. Hunc propter Atollonem duo ſe canales laxe diffundunt, quorum alteri nomen eſt Caridon, alteri magis Auſtrali Adden, & nonnullis Pouliſdon, quod item nomen eſt Atolloni vicino, qui ſeptem in latitudine leucas complectitur, & ad quem mare velut in ſepiam, ſeu atramentum nigreſcit; ita tamen, vt ſi inde in vas vitreum effundatur aqua, limpidiſſimum præ ſe colorem ferat, qualis eſſe purioribus aquis ſolet, mirum illud inſuper, quod & motum in ſe nullum admittat, & perinde efferueſcat in bullas ac ſi in olla quadam ingenti ſubiectis ignibus æſtuaret. A Male inſula, quæ præcipui nominis eſt, ſuam reliquę appellationem trahunt, quod enim additur Diues, nihil ſignificatur aliud, quam inſularum aliquot pene inter ſe coëuntium vnica congeries, quæ vt dignitatis, ita loci principatum tenet, ceteras inter inſulas media leucam media ſuo in ambitu continet; cumque præ reliquis feraciſſima ſit, inde eſt, quod eadem ſit frequentior populis & velut aliarum regia, & regni ſedes, vnde cognomen cæteris. Eſt nihilominus inſalubre illius cælum, quod oriri vitium creditur à malignis vaporibus quos è corruptela cadauerum radij ſolares exprimunt. Milla. Fretum nauium ingentiorum capax. Mare nigerrimum licet ſit aqua limpidiſſima. Vnde dictæ Maldinæ. Regia.

Vrbs hic nulla mœnibus cingitur, ſed hoc ad munimentum ſatis, quod hæ omnes inſulæ vtrimque nobilium ædibus quæ lapidibus conſtant, cingantur. Denique Atollo 7. Poliſdou dicitur 8. Moluque, 9. Millandou, 10. Callomandou, 11. Adou Matis, 12. Sonadou, 13. Addou.

Orland. hiſt Soc. l. vndec. 6. Et ſi vero Mahumetanam ſectam omnes profiteantur; eorum tamen Rex à ſuis regno pulſus cum ſe Cocinum receppiſſet, Chriſtianæ legis admiratione captus, ab impio Mahomete ad Chriſti ſigna ſe transtulit circa annum Chriſti 1551. annos natus 20. à Luſitano prætore Societati noſtræ in diſciplinam traditus. Rex fidem Chriſti amplexus.

Digitized by Google

CAPVT XIX.

Maldiuarum palmæ.

1. MAldiuas inſulas alioqui non admodum felices genus quoddam palmarum plurimum nobilitat, non tantum quia proceritate & pulchritudine excellunt, verum quia totæ ſunt in vſu. Prima Dos in fructu ipſo, Tengam, Narlemve Indi, Cocum ſeu nucem Indicam Luſitani dixerunt, humani ferme capitis magnitudine, duplici operimento: quorum exterius in ſummo leue, ſtupea intus denſitate, Cairum vocant, netur, ac texitur, Cannabis & Sparti modo, cum alios in vſus tum præcipue in vitilium nexus & anchoralia: neque materia vlla ad nauticos funes, & maris impetus obſequentior. Namque vt ſalſuginem amat ea planta, Cairum quoque ex ea prognatum, & marinis aquis immerſum identidem reuireſcit & anchoris illigatum, fluitantes in ſalo naues egregie continet, non tam ab innata duritie vel operis firmitate, quam viriditate ipſa & lentitia quadam ad inſtar Corij, vt ſe ſe vel in altum elato nauigio miram in tenuitatem extendat, vel reſidente rurſus in craſſitudinem contrahat, quod ſecus in noſtris euenit rudentibus. *Maffi l. 7. hiſt. Indiarum.*

Cocus ex quo fiunt. — Funes. — Anchorarij funes.

2. Interior calix, rufo colore, & globoſa rotunditate prædurus addito auro vel argento, in pocula figuratur ipſa vero pomi caro, amygdalæ in modum, pinguedine quadam & grato ſapore lacteſcens non per ſe tantum in cibo grata eſt ac ſalubris; verum etiam vbi viſum fuerit, exauſto lacte, paulatim in oleum eliquatur, totus autem racemus, dum ex eo tener adhuc emicat fructus, nodo conſtrictus, ac leuiter inciſus in abdita oris anguſti vaſcula optimum inſtillat ſuccum, ex quo variis artibus, coctionibuſque mel, ſeu ſaccarum vinum, acetumque perficitur. Iam folia cum & librariis pro Papyro ſint, & loco tegularum impoſita domibus arceant imbres, tum etiam in veſtes, formam facili ſimul ac ſpiſſo contextu nectuntur. Denique vna eademque arbor omnia prorſus ad rem nauticam inſtrumenta, ac materiem præbet; quippe truncum & ramos in Malum, Aſſamenta, Clauoſque; Comam in Vela; Cairum in funes omnium optimos, filaque ad laterum ſuturas, poſtremo Cocum ipſum quæque ex eo conficiuntur in onera, ita non ſine miraculo quodam omnibus plane rebus ex ſemet apta & inſtructa nauigat palma.

Pocula. — Lac. — Caro. — Oleum. — Mel. — Saccarum. — Vinum. — Acetum. — Papyrus. — Tegulæ. — Veſtes. — Mali. — Aſſamenta. — Claui. — Vela. — Suturæ laterum.

CAPVT

CAPVT XX.

Inſula Zeilan, olim Taprobana.

1. INſula Zeilan, quam veterem eſſe Taprobanam Ioannes Barrius multis argumentis affirmat, obiacet ex parte promontorio Commorini, & ex parte oræ piſcariæ. Oualis maxime figuræ eſt 240. circiter leucarum ambitus, leucas in longitudinem 78. patens, in latitudinem 44. à promontorio prædicto vadoſo freto, quaſi auulſa. Sit licet Zonæ torridæ ſubiecta, cælo tamen vtitur ſuaui & temperato. Abundat copia fluminum aquarumque perennium, ea eſt ſoli vbertas, tam varia pecorum armenta, vt in ea plus eſſe Paradiſi terreſtris, quam in alia quacunque orbis regione quibuſdam videatur, qui propterea contendunt fuiſſe hic primorum parentum ſedem. Quin etiam addunt ſacellum in ea, in quo ſepulcra duo oſtenduntur, Adami vnum, Euæ alterum, quaſi è Paradiſo nunquam fuiſſent eiecti, quod ſacris codicibus manifeſte aduerſatur. Situs. Amplitudo. Vbertas. Paradiſus. De Adamo, & Eua fabula.

2. Elephantos gignit Bellicoſos imprimis dociles, quos licet aliquando non ita proceros, aliarum tamen gentium Elephanti veluti colunt & reuerentur, ipſiſque primas deferunt, vbicunque eos habent obuios. Plurimas fert Gemmas, exquiſitos vniones, præcipua claritate Saphyros, Chryſolitos, Pſeudopalos, ac Pyropos, Palmas eximiæ bonitatis, Piper, Cardamomum, maximeque Cinnama ea quæ per totam Europam, imo & Indias diſtrahitur paſſim Succreſcit in Syluis arbor Lauro ſimilis, quæ & baccas profert ſimiles, à vertice ad truncum incolæ findunt corticem, qui ſolis ardore ſenſim à trunco ſecretus in orbiculares bacillos conuolutus in terram decidit. Poſt tres annos idem repetitur moxque perit. Elephanti omniũ præſtantiſſimi. Gemmæ. Vniones. Saphyri. Chryſoliti. Pſeudopali. Pyropi. Palmæ. Piper. Cardamomum. Cinnama quomodo creſcant.

3. Ad hæc vel imprimis iucundo ſpectaculo Syluoſi montes ad effigiem theatralem inflexi, vaſtam planiciem oblungo circuitu in caueæ formam includunt, quorum vnus in arduam & ſubrectam altitudinem pene ſeptem leucarum exurgit, habetque in ſummo æquatam agri planiciem, ex cuius medio bicubitale ſaxum eminens ad inſtar menſæ, veſtigium demonſtrat impreſſum inclyti ſanctitate viri, quem ex Indiæ regno Deli quondam in ea loca veniſſe tradunt, vt gentem ſuperſtitionibus deditam fabuloſis, ad vnius Dei cultum religionemque traduceret.

4. Ergo tantæ venerationis eſt locus, vt à leucis amplius

Digitized by Google

Sepulcrum omniũ quæ ſunt in orbe gratiſſimi ſitus. mille, omnium ordinum peregrini ac præſertim Iogues, illuc pietatis cauſa contendant, ingenti labore: Siquidem præter cæteras itineris difficultates in eius etiam montis cacumen non niſi per adactos clauos, ferreaſque catenas aſcenſus eſt.

Candaris Æthiopum reginæ Eunuchus. Taprobanæ Apoſtolus. Commercium. Haud abſimile vero coli hic Eunuchum Candaces Æthiopum Reginæ, qui vt ſcribit Dorotheus, in Arabia felice, totaque Erythra, & in Taprobana Chriſti Euangelium promulgauit. Porro inſula vniuerſa nouem in Satrapias, vel regna diuiditur, eſtque ad omne commercium vel frequentia portuum vel ipſa loci regione imprimis accommodata.

Cruces miraculoſæ. 5. Circa annum Chriſti 1545. cum Luſitanorum exhortatione filius præcipui Dynaſtæ huius inſulæ Chriſto dediſſet nomen, à barbaro Rege cum aliis 700. necatus eſt, viſæque poſt eam internecionem cruces duæ, altera in cælo ignea, altera in hiatu terræ, vbi patrata cædes erat, quarum hanc cum barbarorum perfidia ſæpe ingeſta humo conaretur opprimere, ſemper tamen emicuit. *Orland. in hiſt. Soc. l. 5.*

Narrat Diodorus Siculus aues quaſdam in Taprobana fuiſſe ſicures, quæ pueros in aëra leuarent, incolumeſque parentibus reſtituerent. Hinc autem legatos Romam Miſſos amicitiæ ineundæ cauſa narrant Plinius & Solinus; aliteſque habuiſſe regendi curſus magiſtros in mari, quando Septentriones non conſpiciebantur. Aues quæ curſum dirigunt in mari. *Plin. l. 6. c. 22.*

6. Ceilanæ inſulæ adiacent minores aliquot, inter quas memoratur Trichinamalo, cuius Dynaſta circa annum Chriſti 1551. cum viris 40. è ſua familia dedit nomen Chriſto. Trichinamalo. *Maff. l. 15.*

Manar. Iaſanapatan. Eſt præterea inſula Manar exiguo freto ſeparata à Septentrionali promontorio Ceilan inſulæ, ditionis Iaſanapatanij Ceilanæ terræ tyranni, qui ſuperiori ſæculo idolis ſuis ad amentiam addictus cum audiuiſſet plurimos piaculari tinctos vnda, immiſſa in nouellum Chriſti gregem militum manu, miſerabiles edidit ſtrages ſexcentis pro Chriſti nomine interfectis Patino in Pago, qui tum in India perobſcurus nunc incolarum Martyrio nobilis, pagus Martyrum, appellatur. Martyrum pagus. *Orland. l. 4. hiſt. Soc.*

CAPVT

Digitized by Google

LIBER SEPTIMVS.

Sinus Gangeticus, ſiue Bengalæ.

CAPVT I.

Ora Piſcaria.

1. AMpliſſimus eſt ſinus qui inter celeberrima totius maris Indici Promontoria Commorinum, & Sincapuram continetur, quorum illud ſitum in 8. gradu Boreali, hoc ſub ipſo pene Æquatore, paulo infra Malacham, receditque in Boream ad 22. gradum, ſub quo Ganges in eum ſe euoluit è regione regni & vrbis Bengalæ, à quibus & ſinus Gangeticus, & ſinus Bengalæ nominatur. Vnum eſt quod nauigantibus in hoc ſinu plurimum incommodat, quod qui ſe in hunc ſinum fluuij effundunt non raro ſecum Crocodillos deuehunt, & immanes lacertos appetentes humanæ carnis præter cæteras belluas, quas gentiles nautæ variis incantationibus faſcinant, & longius plerumq; arcent à nauibus. Addit Dionyſius maximos cetos huius maris nutritios.

Promontoria Commorinum, & Sincapuræ. Crocodilli. Lacerti. Maximi Ceti.

2. Poſt prætergreſſum Commorini Promontorium illico ſentis cœli varietatem, quam ſuperius deſcripſi; nam ſi æſtas erat & calor intenſus cis Promontorium, trans illud idem ſæuire hyemem & frigora illico deprehendis & miraris.

Tunc autem incurritur varias in Prouincias, è quibus olim regnum antiquum Biſnagar conflatum erat, priuſquam ſui Regis interitu factum eſſet, vt miſere laceraretur, cuius veluti ſegmenta præfecti quidam à reliquo corpore diuulſa ſummo iure nunc poſſident, maximeque Naiquus de Madure qui Parauis imperat, & Piſcarium litus integrum poſſidet. Parauæ ſunt populi ad Commorini Promontorium imbelles ac mites, piſcatui Margaritarum præcipue dediti, inde Piſcacarium 50. ferme leucarum ſpacio, litus appellant; Idque ab ipſo Promontorio initium ducens, meridiem ſpectat primo, tum in Septentriones reflexum ad vſque Ramanancoris vada & Manarem inſulam, fronte in Orientem ſolem obuerſa protenditur, indeque ad caput Negapatan ſitum præciſe in gradu 10. quo toto ſpacio duæ tantum vrbes Tutacurin &

Biſnagar regnum. Madure. Parauæ. Piſcaria ora. Ramanancor. Manar inſ. Negapatan.

Digitized by Google

Orland. in hiſt. Soc. l. 15. n. 86. annis triduo ante ferias Apoſtolicæ mortis inter ſacrum Miſſæ rubeſcit, cum ipſum candidum natura ſua ſit, ſanguineoque velut rore, quandiu diuina res agitur, ſtillat, qua peracta redit ad naturam ſuam & quem exuerat candorem repetit. Inde tanta loci vel apud Ethnicos veneratio. Reperta demum & candidiſſima ſanctiſſimi Apoſtoli oſſa, & appoſita lanceæ cuſpis & viatorei baculi fruſtum: quæ primo Cocinum, poſteaque Goam Conſtantino Brigantio Prorege tranſlata comperio. *Maff. l. 1.* Et Martyrium. Oſſa & miracula.

2. Incolæ adhuc plerique omnes Chriſtiani in quandam rempublicam coaluerunt, quæ nullum quidem pendit tributum Regi Luſitano, ſed Naiquo Bengalæ Imperatoris Vaſſalli, cum quo inire pacem coacti ſunt à Luſitanis minus quam par erat adiuti: vt plurimum tamen mercatum exercent cum Luſitanis, qui per ſinum Bengalenſem diſcurrunt. Ipſis hoc ſæculo multa ſunt importata detrimenta à Batauis, qui in proximo & celebri emporio Paleacate munitionem excitarunt annuente rege Biſnagar & Narſingæ, qui per 200. & amplius leucas in his partibus dominatur, qui hoc ipſis ea lege permiſerat, vt præſidiariorum militum media pars eſſet Indorum. Verum Hollandi expulſis poſtmodum indigenis ſoli illius ſunt potiti, & Guldriam appellarunt. Ab anno autem 1617. inito fœdere cum Anglis, communibus impenſis eam tuentur, ipſique Naici Luſitanorum viribus adiuti poſt obſidionem quatuor annorum inde ſunt coacti recedere. Meliaporis reſpub. Paleacate Batauorum munitio. Guldria munitio.

3. Quam porro fuerit amplum Narſingæ, ſeu Biſnagæ Imperium hinc patet, quod priuſquam Sabaio Pater Idalcani, & aliqui Naiqui oræ piſcariæ ſe ſe ab eius obedientia ſubduxiſſent, poſſideret in occiduo litore quidquid erat ab vrbe Goa ad caput Commorini, & in Orientali ea quæ per 200. leucas ab eodem promontorio ad regnum orixæ excurrebant. Et vero moturus aduerſum Idalcanum, duxit exercitum, in quo numerauit peditũ 700. millia, equitum 40. millia, & elephanti militares 700. Ipſeq; in hanc diem, in gradus ſui honoraria deſignatione appellat ſe Imperatorem trium Imperatorum, Deum Regum, & venatorem elephantum. Eius Imperij regio gratiſſima eſt, variis torrentibus & fluuiis interciſa, qui labuntur per crebras, & frequentes valles tectas, in quibus etiam innumeræ arbores ingenui ſtipitis: omnis generis incolæ grati ſunt aſpectus, ſubalbicantis coloris, nec minus grata partium, & corporis totius proportio, & habitudo inter ſe, pronique ad cultum Dei. Eius vrbs regia Narſingæ, ſeu Biſnagæ quam potẽs Imperium. Eius tituli inſolentes. Incolæ ſubalbicantes.

Digitized by Google

Chandegri Regia.

Chandegri magnificis ſplendet palatiis, maximeque Imperiali, in quo multorum Principum & innumeræ nobilitatis maxime ſolennis conuentus, qui officioſa aulici moris veneratione eum proſequitur. Aduentantes noſtræ Societatis Patres anno 1598. excipiens benigno vultu ipſis dixit non minus ſibi gratum eorum aduentum, quam ſit ortus ſolis ampliſſimæ huic rerum vniuerſitati, domumque ipſis cum Eccleſia & reditibus annuis habitandam in vrbe regia conceſſit, & poteſtatem fecit prædicandi Euangelij vbiuis locorum.

CAPVT III.

Regnum Golcondæ.

Mulſipatan. — *Ioannes Laet. de Mogoris Imperio.*

1. MVlſipatan præcipuus eſt portus regni Golcondæ, ſitus in gradu 16. 30. m. Verſus arctum exiguum eſt opidum, ſed incolis frequens, nullis mœnibus cinctum, nec ædificiis pulchrũ, in quo omnes ſcaturigines ſalſæ, famoſum tamen, ex quo ab annis aliquot & Bataui, & Angli illud frequentarunt, & è piſcatorum nido emporium fecerunt. Annum in tres tempeſtates diuidunt. Menſibus Martio Aprili, Maio, & Iunio quibus flat ab Æquinoctiali occaſu fauonius, ita ſe calor intendit, vt etiam domi nemo ſit qui ferrum attrectare prius audeat, quam illud aquis temperauerit; nec infrequenter accidit, vt aliqui æſtu præfocentur. Menſibus Auguſto, Septembri, & Octobri imbres ſunt continui & interdum nimbi tanta violentia incumbunt, vt ædificia à fundamentis diruant. Hiberna tempeſtas à Nouembri menſe ad Februarium ſuccedit, eſtque tunc æſtus tolerabilis. Cælum autem ſalubre, agrorum vbertas tanta, vt eorum quæ poſſit quis appetere; deſit nihil. Octo Gallinæ, decem aſſibus, ouis vno tantumdem conſtat, ſus viginti: multis locis bis, alibi ter orizam terra producit. Eſt & triticum & alia farris genera Europæis ignota.

Anni tempeſtates & venti.

Æſtus violentia.

Agrorum vbertas. Animantum domeſticorum vile preciũ.

Golconda Metropolis.

2. Regnum hoc nomen accepit à principis regia Golconda, Mahumetanis & Perſis Hidrabant, ea diſtat à Muſilipatano portu 28. leucis, eius regionis, ſiue itinere dierum decem. Ciuitas & aëris amœnitate & agri fœcunditate nulli totius Orientis ciuitati inferior. Rex hic palatium habet, ambitu vaſtum, quippe quod 12. miliaria Anglica capiat, mœnibus vndique cinctum, ædificiæ omnia è ſaxo; quorum præcipua multo auro ſplendent.

Arx eius quam vaſta.

3. Opulentia

Digitized by Google

3. Opulentia principis ea eſt, vt Elephantorum copia, gemmarum, atque opum abundantia cum Mogorum Imperatore certet, quantumuis regnorum amplitudine ab eo ſuperetur. Religione Mahumetanus eſt, à Perſis originem repetens, quorum & ſectam ſequitur. Gentile illius nomen Cotubsha, quod à prædeceſſoribus acceptum ſeruat: Mogoris quidem Imperio haud eſt ſubditus, maieſtatem tamen illius annuis donis veneratur. Dicitur habere pro annuo reditu 20. Lackes, ſeu milliones Pagodum, ſeu Coronatorum Gallicorum; ſolus quippe eſt Dominus omnium agrorum, eoſque ſubditis magno pretio locat.

Opulentia certat cum Mogole. Religione Mahumetanus. Reditus annui.

4. Ad limites regni & in meditullio illius numerantur 66. minuta caſtella, quorum ſingula ſuos habent præfectos, quos vocant Naykes, & ea ferme editis rupibus impoſita, per quæ vnus plerumque tantum trames eſt, & quidem ſatis anguſtus, neque quiſquam ſine expreſſo principis mandato in hæc caſtella admittitur, eiuſmodi rupes vocant Conda. Horum caſtellorum vnum quod Condapoly appellant iuxta opidum eiuſdem nominis, complectitur ſex caſtella, quæ alia aliis ſunt editiora, continentque ſingula ſua ſtagna, & lucos arborum cum ſylueſtrium tum frugiferarum & arua ſerendæ oryzæ idonea, & 12. mille præſidiarios. Porro inter illud caſtellum & alterum, quod Condauera vocatur, interuallo 25 milliariorum Anglicorum, certis interuallis diſpoſitæ ſunt turres excubitoriæ, ex quibus per faces ardentes ſibi inuicem breuiſſimo tempore obnunciant, quid rerum in prouincia geratur.

Naykes. Arx inexpugnabilis.

5. In hoc regno ſuperioribus annis caſu inuentæ ſunt opulentiſſimæ fodinæ adamantum, ad radices vaſti montis haud procul à fluuio Chriſtena, in agro imprimis fertili & aperto, 108. milliaribus Anglicanis à portu Muſclipatuam: Rex eas locabat pretio annuo trecentorũ millium Pagodum ea conditione vt adamantes omnes pondus decem Caratiorum excedentes in ærarium ſuum inferrentur. Verum anno 1622. foſſoribus à Rege interdictum, ne vltra ſcrutarentur, ne quantitate vileſcerent, cum prius in ea inſudarent pluſquam 30. millia operarum, machinarum quippe pene ignari ſunt.

Fodina adamantũ opulentiſſima. Chriſtena fluu.

6. Aluntur hic certæ quædam Capræ, quæ 3. interdum ferunt lapides Bezaares, quæ ſi hinc educantur, nullos ferunt. Abundat etiam regio ferro & Chalybe, nam auri, argenti, & æris metallis caret: Goſſipini panni ſunt omnis generis tincti & picti, in qua arte inter cæteros Indos excellunt, & ex

Bezaares. Chalybs.

Digitized by Google

Rubeus color eximius. Anil. planta Chay perfectiſſimum colorem rubeum Anil exprimunt. Fabricant etiam hic naues ſexcentorum & amplius doliorum capaces, ex optima materie, quibus nauigant Moham ad mare Rubrum menſe Ianuario, & redeunt Septembri, vel Octobri.

CAPVT IV.

Orixa.

1. ORixa quondam fuit regnum, antequam à Potanenſi, & mox à Mogore ſub iugum mitteretur. Indigenæ ingenio ſunt ſubtili, ſed prauo, quippe mares omnes furtis & latrociniis, fœminæ impudicitia & libidine infames ſunt, religione omnes Mahumetani. Orixam permeat fluuius Chaberis, quem alij vocant Guengan & aliqui cum Gange confuderunt. Fons eius in monte Gatis, plurimos amnes dextra læuaque admittit, & in lat. gr. 22. in Occidentale oſtium Gangis exoneratur, vnde cum non minus ſanctæ habeantur eius aquæ, quam ipſius Gangis, nemini licet abſque tributo faciem in eo abluere. *Latt. in regno Bengala.* Mahumetani. Chaberis fl. Gatis.

Rigat Daultabad arcem munitiſſimam, quæ diſtat ſex Coſis à Kerki Decanenſium regia nullis mœnibus cincta. Rigat & Prouincias Pale, Chandis, Berar, & Philapatan portum à Luſitanis aliquando frequentatum. Kerki Decanenſium regia. Philapatan.

CAPVT V.

Ganges Fl.

1. HVnc alij incertis fontibus, alij in Hemodo monte Scythico naſci dixerunt. Pater Andrada noſtræ Societatis ſacerdos, qui multos annos poſuit in conuertendo regno Tibet ad fidem Chriſti, in literis inde datis anno Chriſti 1624. ait in eo regno Gangis fontem repertum, ſed plerumque gelu & niuibus tectum, qui etiam frequenter ſibi viam excauat per niues altiſſimas. Deiectus per ſcopuloſa & abrupta, vbi primum molles planities contingit, hoſpitatur in lacu Hardwaier, ſic dicto ab vrbe eiuſdem nominis, quæ Metropolis eſt Prouinciæ Sibæ in regno Mogoris, Indeque fluit lenis. Admiſſis autem poſtea 19. fluuiis præcipuis, qui in eum corriuant, omnium fluuiorum, qui antiqui erant noti in tribus continentibus orbis, fit maximus: namque dixerunt *Plin. l 6. c. 18. Euſtat. in Dionyſ.* Origo. Sibæ.

antiqui

Strabo lib. 15. p. 702. Vide Pl. l. 6. c. 18. Melam l. 3. Solinum. Curtium.

antiqui, quando anguſtiſſime fluit, patere octo, aut decem millia paſſuum, vbi latius ſtadia 100. altitudinem vero ipſius vbi vadoſiſſimus eſt, menſuram centum pedum excedere. Gemmarum, & auri plenum eſſe dixit Plinius, anguillas in eo repertas trecentorum pedum, nec non ſiluros roſtro Delphini & cauda magnitudine 15. cubitorum: Vermes item 60. cubitorum cæruleos, quorum tantæ vires, vt Elephantos ad potum venientes mordicus comprehenſa manu eorum abſtraxerint.

Latitudo Gangis & altitudo.

Vermes 60. cub. Elephanto fortiores.

2. Salubres eius aquæ & religionem poſſidere ab incolis exiſtimantur, vnde multi vel vt morbos depellant, vel vt animos ſcelere pollutos expient, illis frequenter ſe abluunt. Certiſſimum eſt Gangis aquam leuiſſimam eſſe & ſaluberrimam cenſeri, vnde & Imperator Mogor quocunque loco agat, hanc in phyalis ſibi afferri curat & hanc potat ſolam. Exterorum hic interdum numerabis ad 50. millia. Virorum autem principum ſepulcralibus vrnis plena ſunt litora & commune eſt omnium pene gentium ſepulcretum. Alij mortis proximi obteſtantur cognatos vt exuuias & cineres ſuos in profluentem abiiciant. Memorant annales Reginam Cochini non rogaſſe ſolum, verum etiam obſecraſſe regem filium anno 1594. vt propriis manibus ſuos ipſe in Gangem proiiceret cineres, quod & religioſe præſtitit. Tum enimuero & corpus & animam omnibus expiari ſordibus, & recta ferri in cœlum, maiorum verbis conſtans eſt, & mandata traditio; ſicut & eorum qui moriuntur vtroque pede tangentes Gangem.

Gangis aqua religioné poſſidet.

Sepulcralibus vrnis plenæ Gangis ripæ.

3. Varia, & multiplicia ſibi frequenter aperuit oſtia. Namque Strabo illi vnicum tribuit, Ptolemæus quinque, Mela ſeptem: nunc 4. ingentibus alueis in mare euoluitur, præcipui & illuſtriores qui literæ Delta figuram cum Oceano formant ab emporiis Satigan, & Catigam denominati abeunt in mare circa gradum 22 latit. Borealis, complectunturque ſuis brachiis inſulas circiter 35.

Oſtia Gangis.

Delta Gangeticum. Catigam.

4. Incredibile autem videtur hoc flumen illud fuiſſe quod Moyſes Geon appellauit, & inter ea recenſuit quæ ex Paradiſo egrediebantur; cum enim in eum finem ea 4. propriis nominibus appellauerit flumina, & certis circunſtantiis deſignauerit, vt aperiret quis fuerit Paradiſi locus, ne quis de eo ambigat, dicatque fluuium, qui egrediebatur de Paradiſo inde diuiſum in 4. flumina ſiue capita, quorum duo ſine controuerſia ſunt Tygris & Euphrates, certe ſatis docet alios duos non multum abfuiſſe à Tygride & Euphrate, ad hanc

An Paradiſi flumen.

Digitized by Google

ergo Moyſis Topographiam quid pertinet meminiſſe Gangis cuius fontes à fontibus Euphratis remouentur verſus Orientem pluſquam 4. mille milliariis apud Ptolemæum. Præterea licet dicatur Paradiſus ad Orientem Iudeæ ſitus: nuſquam tamen in ſacris codicibus reperias locum qui ſit vltra ſinum Perſicum dici ad Orientem Iudeæ, ſed tantum ea loca, quæ ſita ſunt citra ſinum Perſicum, qualia ſunt quæ in Armenia, Arabia, & Meſopotamia; vide quæ ſuperius de ea re diſſeruimus.

CAPVT VI.

Prouinciæ, & vrbes Gangi appoſitæ, ac primum, de Regno Tibet.

In Regno Tibet.

Imago primi ſæculi. fol. 223. Pater Andrada in lit. 1624.

1. REgni Tibet difficillimi ſunt aditus. Traiicienda enim ſunt quædam in Tauro monte iuga, vbi non raro viatores peſtilens aër, ſicut Auernus volucres, necat. Calcanda etiam totis menſibus nix & glacies, vbi ſentiendi vis & oculorum vſus deficiunt, & interdum defoſſis in niue ſpecubus hyemandum. Nuſquam in tota Aſia in hanc diem reperta ſunt talia frigorum prodigia. Gangem, cuius fons hic repertus, non modo glacies ſtringit ſed etiam ſine gelu nix frequenter tegit: hic etiam montium cacumina, (quæ non niſi nix ſunt) ventus deturbat: tantas moles abſumere impotens ganges excauat ſibi viam, & ſub niueis fornicibus ingens amnis deuoluitur; qui tranſeunt dum ſtare in montibus putant, in ponte ſunt. Ex noſtris patribus, qui ex Indiæ caloribus in hæc ſe frigora contulerunt periiſſent millies, niſi ſumma charitate flagraſſent.

Frigorum prodigia.

Pontes niuis ſupra Gangem.

Ex literis annuis 1634 & 37

Potentis regnum.

2. Tibet itaque Regnum, ſeu Potens, hoc enim vtroque nomine appellatur, ampliſſimum eſt, plurimaque alia magnæ Tartariæ regna complectitur, puta regna Coqué, Ladac, Moriul, Rudoc, & Vtſama. Primum quod occurrit venientibus ex Imperio magni Mogoris eſt Coqué, cuius vrbs regia Caparangne appellatur. Incolæ horum regnorum ſunt omnes vnius moris & locutionis: omnium animis ingeneratum à natura vitij odium, & Mahumetanæ legis, nec ſe gentiles profitentur: mirum quantum moribus, & inſtitutis differant ab iis: quos nouimus in hanc diem, plures in toto regno ſunt Eccleſiaſtici, quos appellant Lamas, quorum licet ſint 10. vel 12. differentiæ, fidem tamen eandem omnes profitentur, licet ceremoniis inter ſe, & ritibus quibuſdam differant.

Coqué reg. Caparangne Metropolis.

Mores à vitiis & Mahumetanis alieni.

Digitized by Google

ferant: horum enim aliqui vxores ducunt, alij vitam cælibem, plures vt ſocij ſub vno præpoſito degunt in monaſterio, alij ſolitarie, omnes ex coacta ſtipe viuunt, quantumuis eorum aliqui ſint copioſi, & locupletes. Vitæ conditio & præcipua exercitatio eſt plurimum temporis ponere in lectione cuiuſdam libri quem habent, exiſtimantes, ſe non minus proficere in virtutibus ex eius lectione quam ſi orationi operam darent continuam; & vero hanc lectionem dicunt orationem, ſibique perſuadent tunc Deum ipſis noxarum gratiam facere & culpas remittere. Genus veſtis eſt talaris tunica ex panno laneo, abſque manicis, vnde & ipſis nuda ſunt brachia, zona lanea ad pedes ſimiliter promiſſa, ſicut & pallium, cui attexitur capitium, vel pro eminentioribus inter ipſos mytra ſuperius clauſa. Color totius veſtis rubeus, aut flauus. Primis congreſſibus & Rex, & plerique omnes, niſi inconſtantia timeretur, poterant ad Chriſti fidem adduci. Præcipuæ huius regni merces ſunt Crocus. Lectio orationi comparata. Crocus.

CAPVT VII.

Prouinciæ magni Mogoris, quas Ganges perluit.

1. A Montibus Emodis & Niuoſis Tibetani regni collibus egreſſus Ganges Magni Mogoris Prouincias ſubit, & primo quidem Kakares latiſſimam, & montanam à Tartaria montibus Dalanguer diuiſam, in qua præcipua memorantur opida Dankaler & Purhola. Hinc deiectus per ſcopuloſas & abruptas rupes, quas ſuperſtitioſum vulgus vaccini capitis figuram habere imaginatur, & quia hoc animal ſupra cætera gentes hæ maximi faciunt, ideo quotidie amnis illius vndis corpora ſua abluunt. Mox vbi primum Ganges molles planicies Regionis Sibæ eiuſque Metropolim Hardware rigauit, illico hoſpitatur in lacu eiuſdem nominis in lat. gr. 38. 30 min. vnde lenius fluere incipiens poſtea iterum exaſperatur propter alios montes ſibi obuios & fluuium Kanda, quem circa gradum 36 excipit ab Oriente, poſtquam rigauit Prouinciam Pitan & Metropolim eius cognominem in lat. pene 37. hinc perlabitur ampliſſimam regionem Bakar cuius præcipua vrbs Bikaneer ſita in lat. 32. 30. ad amnem qui qui abit in Occidentalem ripam Gangis: hanc excipit in eadem ripa in lat. 30. Sabal; ſiue Sambel. Prouinciæ & Metropoli nomen idem. Kakares. Siba. Pitan. Bakar. Sambel.

2. Circa 29 gradum latitudinis Borealis ab Oriente Gan-

Digitized by Google

Perſelis. ges admittit fluuium Perſelim, cuius fons in montibus Pro-
Gor. uinciæ Gor, cuius & primariam vrbem Gor in lat. gr. 32. 30. ſitam in finibus Imperij Magorici rigat, augetur alio amne qui ab ortu rigat Kanduanam Prouinciam eiuſque Metro-
Kanduana. polim Kerahkatenck. in lat. 35. 15. mox abit in vberrimam
Patna. Prouinciam Patnam ſic dictam à ſua Metropoli 33 45. deni-
Ieſnal. que miſcetur Gangi in lat. 29. 15. in Prouincia Ieſnal quæ fines ſuos iungit à Borea cum Patnam, ab Auſtro cum Benga-
Rapagor. la, eius vero Metropolis Rapagor ſita in lat. 29. duobus pene gradibus maioris circuli remota ab ortiua ripa Gangis.

CAPVT VIII.

Delli, & Agra Prouinciæ ad fluuium Iemini ſitæ.

1. AD opidum Helobass in lat. 28. Ganges excepit flu-
Iemini Fl. Delli Metra. uium Iemini aliis Semenam, cuius origo in Prouincia Delli, cuius & Metropolim Delli, ſitam in lat. 30 gr. alluit. Vrbs eſt antiquiſſima, ſuperiorum Indiæ Regum quondam aula; duas in hanc diem Coſas in longitudinem patet, valido muro cincta, ſed perantiquo, & qui multis locis rui-
Inqua Indiæ reges coronati. nam minatur, ſicut & plurima intra muros ædificia. Ne faſtum erat olim coronari alibi quam in hoc opido Reges In-
Potanenſium Regũ ſepulcra. diæ, extantque adhuc tam intra, quam extra vrbem Potanenſium regum monumenta circiter 20. admodum magnifica.

Ab hoc opido ad Regum Potanenſium domum venationibus comparatam duæ ſunt Coſæ; ea à Sultano Beruſa potentiſſimo Indorũ Monarcha ſtructa dicitur, vbi inter alia antiquitatis monumenta obeliſcus viſitur altiſſimus, Græcis
Obeliſcus ab Alexandro poſitus. literis inſcriptus ab Alexandro magno, vt opinantur, hic collocatus. Eſt porro Potana vaſtum opidum Agræ Prouinciæ
Potana. cum munita arce, in qua regij theſauri cuſtodiuntur: vtrum
RegumPotanenſium origo. Reges Potanenſes ab ea nomen habuerint, aut potius ij reges huic nomen dederint, incertum. Conſtans videtur eos è montanis inter Candahar & Kabul digreſſos in Indiam ſe effudiſſe, & ſuperato Raſe Petory Dellenſi rege aliquandiu rerum in India potitos, donec Mogores illos viciſſim Imperio exuerunt.

2. Idem fluuius perlabitur Prouinciam Agra aliis Purrop & Purbeth appellatam: maxima eſt, & fere in medio Imperij ſita inter Agram & Lahoram, quæ duæ ſunt hodie ciuitates huius Imperij facile principes, gradus maioris circuli ſex

cum

Digitized by Google

cum minutis 15. regio omnis æqua cum via regia vtrinque arboribus tecta ad inſtar amœni ambulacri. *Via regia inter Agrā & Lahorā.*

Vrbs Agra diſtat ab Æquatore verſus Arctum gradus 28. 45. ante Regis Achabaris tempora tantum pagus fuit, nunc populoſa ciuitas ad modum creſcentis Lunæ falcata, patens 4000. paſſus ſecundum ripam fluuij Iemini, plateæ vix capiunt populum: magnifica, & plurima habet palatia peramœni proſpectus. Eſt & arx totius Orientis & maxima & pulcherrima cincta è quadratis lapidibus rubris, & duplici vallo: interius vero eſt Regis Palatium, & Prætorium, aliaque ædificia incredibili magnificentia ſtructa, proſpectus in omnem partem eſt gratiſſimus maxime ad ripam fluminis, vbi ſtructura eſt operis cancellati cum feneſtris aureis, è quibus Imperator certamen elephantorum ſolet proſpicere. *Agra.* *Arx totius Orientis maxima.* *Elephantorum certamen.*

3. Paulo infra hos cancellos viſitur Prætorium quod Guſſul-Can appellatur, quadrata forma ex lapide alabaſtrite ſtructum, & aureis laminis ſuperbum in modum obductum; ſedem Imperij anno 1566. Rex Achabar hic primum dicitur poſuiſſe. Vrbs ipſa neque vallo, neque muro cincta eſt, ſed tantum profunda foſſa. Non hic repetam quæ de ærario huius regiæ dixi lib. 2. c. 4. huius operis, ſed prætermittere non poſſum duo feſta, quæ in aula huius Imperatoris quotannis magna pompa celebrantur. *Prætorium* *Ærarium Regis.*

CAPVT IX.

Duo Feſta quæ celebrantur quotannis ſumma Pompa in aula Imperatoris Mogoris.

1. NAtalem ſuum celebrat Princeps hoc modo. Poſt quam in palatio bona pars diei feſtis iocis conſumpta eſt, Princeps cum nobiliſſimo comitatu vadit ad matris ſuæ palatium (ſi ſuperſtes ſit) magnateſque pro ſua conditione & opibus ſinguli, parenti illius ſplendidiſſima munera offerunt. Dein in aulam reuerſus & ſympoſio abſoluto Imperator omnes ducit in ſpatioſum & amœnum hortum in cuius medio fixum tentorium, in quo lances pendent aureæ ad oram variis gemmis diſtinctæ, catenis aureis, & ſerico firmatæ. In ambitu nobiles precioſis ſtragulis inſident. Imperator inclinat ſe in vnam lancium decuſſatis cruribus conſidens: tum in alteram lancem ingeruntur aliquot ſacci pleni argento, ponduſque obſeruatum, quando hic adfuit Roërus Regis Angliæ legatus, fuit mille libræ Sterlingenſes *Natalis dies regis.* *Cultus ſummus parenti exhibitus.* *Hortus ſpecioſiſſimi.* *Appenſio Regis.*

Digitized by Google

hoc eſt decem mille libræ Franciçæ. Secundo iterum repletur auro, & gemmis. Tertio pannis auro intertextis ſericis, goſſypinis, aromatibus, & aliis mercibus: Poſtrema farina, butyro & aliis generibus farris, quæ poſtea ſeruantur in vſum pauperum & ab ipſo principe toto ſequenti anno veſperi fere in ipſos benigne admodum conferuntur. Rex ita appenſus aſcendit thronum ſuum, & è patinis ſpargit inter magnates & nobiles, nuces amygdalas alioſque fructus ex argento ſubtiliter factos.

Eleëmoſyna.

Nouiluniū anni noui. 2. Aliud feſtum celebratum ipſo Nouilunio poſt ingreſſum noui anni, quem hic inchoant à Martio. In medio areæ ante principis Durbar erigitur thronus quatuor pedes ſupra ſolum, qui vndique concluditur pretioſiſſimis aulæis, ſimilibuſque Conopæis, ſolumque ſternitur pretioſis ſtragulis Perſicis. Intra hoc ſeptum admittuntur magnates, præcipui aulæ miniſtri, alio ſepto ſub throno concluduntur. Rex inſidet puluinaribus, multis vnionibus, & opulentiſſimis gemmis ornatus, reliquam areæ occupant tentoria aliorum magnatum, qui inter ſe certant opulentia & ſedens oblatas à ſingulis ſtrenas accipit, ſimilique modo diebus conſequentibus à populo excipit: ipſe vero ſub finem feſti aulicis, & magnatibus bene meritis dona elargitur modica, & penſiones, & dignitates nonnullis auget.

Strena regi dantur.

CAPVT X.

Alia ad fluuium Iemini ſita, vbi quædam de ſepulcro Adæ.

Secandra. 1. IN aduerſa fluuij ripa vrbs Secandra pene duas Coſas in longum occupat, plendidis palatiis, & amœniſſimis viridariis ornata, pluribus mercatoribus, quod ſit nauium facilior appulſus, habitata.

Fettipore. In eadem Prouincia ſita eſt Fettipore diſtans ab vrbe Agra 12. Coſas. Achabar cogitans hic regiam ſtatuere, muro eam cinxerat qui adhuc ſupereſt. Patet in directum 3000. paſſus abſque ſuburbiis, quæ fuerunt ampliſſima, ſed nunc penitus collapſa. Intra portam, quæ reſpicit Septentriones, ampliſſimum eſt forum ad mille paſſus extenſum, lapidibus ſtratum, ex vtroque latere ſeptum ædificiis, ad finem cuius eſt regia multis, & elegantibus ſtructuris adornata, & ſupra illam ſplendidiſſima totius Orientis Meſquita, ad quam 25. circiter gradibus aſcenditur. Ædificarat etiam hic ſtagnum celebre; verum cum reliquæ ſcaturigines & riui eſſent ſalſi, aquarum

Meſquita totius Orientis ſplendidiſſima. Aquarum neceſſitas.

Digitized by Google

aquam penuria Regem compulit mutare ſolum, ſicque intra annos 50. vrbs, & nata, & pene extincta eſt. Non longe à Fettipore obeliſcus erutus centum cubitos altus qui dum ad vrbem regiam magno molimine trahitur, operarum incuria ruptus eſt. Obeliſcus 100. cubitos altus.

2. In amnem Iemini influit fluuius Camberen, qui medius eſt inter Agram Prouinciam & Gualere, ſiue Gualiar, amplus eſt, trans eum iter anguſtum eſt & difficile inter montes. Pertinet ad Dulporen caſtellum munitiſſimum & ampliſſimum lata foſſa & quadruplici muro cinctum, difficiliſque acceſſus. 18. Coſis diſtat ab vrbe regia Agra. His ſuccedit Naruar cuius Metropolis Gehud. Ad angulum, vbi Iemini in Gangem confluit ſita Halabaſſen vrbs, cuius fundamenta iecit Achabar Imperator, & in qua ſupra 20. millia operarum pluribus annis exercuit, nec tamen perfecit; Cincta eſt triplici muro quorum extimus qui altiſſimus, è quadratis rubris ſaxis ſtructus eſt. In interiori area cernitur columna 50. cubitos è ſolo extans & longe plures, vt creditur, deſcendens. Alexandri opus creditur. Camberen fluu. Dulpore caſtellum munitiſſimum. Naruar. Halabaſſen. Columna 50. cubitos extans & pluribus depreſſa.

3. Præterea magnificentiſſimum hic viſitur palatium regis, ſub quo in ſubterraneo antro monumenta, vt Indi vane credunt, Babæ Adam, & Mamæ Hauah, & primæ illorum proſapiæ. Perſuadent enim ſibi primum hominem aut hic creatum, aut ſaltem diu egiſſe, ſeque illius religionem ſequi profitentur. Ad hæc monumenta ex omnibus Indiæ Prouinciis occurrunt, & antequam propius accedant corpora in Gange abluunt, & comam, barbamque radunt, quo facto ſe ab omnibus peccatis mundari opinantur. Sepulcrum Adæ. Religio Gangis. Peccatorũ remiſſio.

Ab hoc opido Menſibus Octobri, & Nouembri, ſoluto gelu cymbis deſcendunt Bengalam verſus, quæ nauigatio admodum periculoſa eſt.

Quatuor Coſis ſub hoc opido ad dextram læuamque ripam ſunt duæ munitæ arces Harrayle & Huſſoe à Potanenſibus ſeu Parthis olim conditæ. Harrayle.

CAPVT XI.

Bengalæ Regnum.

Curtius. Laet in deſcript. India. Du Iarric. l. 2.

1. OMnem circa Gangis oſtia Regionem incolebant populi ab eo olim dicti Gangaridæ, quos ſolos magnus Alexander, Aſiæ potitus Imperio non oppugnauit. Gangeticam regionem dixit Dionyſius, eamque ad fines

Taprobanæ protrahit: ſuperiorem eius partem Gangis oſtio proximam nunc occupat regnum Bengalæ, quod Pattanæ, hoc eſt Parthi diu obtinuerunt: Donec Mogores ſuperioribus annis Imperio illud adiunxerunt: Verum cum ipſi primariæ notæ Dominos clientares 12. præfeciſſent, hi ab eius fide Imperioque poſtea deficientes, pleno iure illud adminiſtrant licet non dicantur Reges, ſed Bojones quorum tres gentiles, alij vero nouem Saraceni ſunt, & Luſitanorum qui Bandelli dicuntur coloniæ aliquot. Ampliſſimum eſt, quippe quod centum & viginti leucas ſecundum oram maris, & haud pauciores intra continentem in lat. pateat. Eius incolas longæuos non immerito appellat Dionyſius. Sane ſub aduentũ Luſitanorum repertus ſenex natus, vt ferebatur annos 335. neque mendacij ſuſpicio ſuberat, quod & ſeniores qui tum erant hoc ſe idem de eo aiebant à maioribus accepiſſe, & ipſe filium habebat nonagenarium. Huic aliquoties deciderant dentes, aliis continuo ſubnaſcentibus, & barba vbi prorſus incanuiſſet in atrum denuo colorem, idque paulatim ſemetipſa vertebat. Tota regio gaudet cælo admodum ſalubri, abundat oryſa, tritico, ſaccharo, gingibere, pipere oblongo, goſſypio, ſerico, malis aureis, aliiſque fructibus, galinis miræ magnitudinis, equis, vaccis, omni genere pecorum, eſtque omnium rerum, quæ ad vſus humanos ſunt neceſſariæ, vberrima; verum ſunt indigenæ ingenio prauo.

Maff. l. 11. hiſt. Ind.

Senex 335. ann.

2. Regiæ hic fuerunt variæ Dengalæ quidem Gouro, Parthorum Potama. Fuit autem Gouro ſita ad Orientalem ripam Gangis in lat. 26. 15. ciuitas præclara, & opulenta. Ab ea non multum remouetur Potana vaſtum opidum, de quo ſuperius.

CAPVT XII.

Quales in Regno Bengala Rhinocerotes, & Tigres.

Rhinocerotis deſcriptio, & pugna cum elephanto.

Solin. c. 63 Diodor. Surius. Elian l. 17

1. PEne vbicunque ſunt Elephanti, ibidem & Rhinocerotes reperiuntur, nullibi tamen frequentiores quam in regno Bengalæ, vbi patria lingua Abadæ appellantur; terribilis autem eſt fera, colore buxi, ſuillo capite, bouina cauda, pedibus ceruinis, prædura cute ſic corrugata ſuperne, vt laminas & bracteas referat, cætera Elephanto ſimilis, in naribus autem cornu vnicum, & repandum, quod ſubinde attritum cautibus in mucronem excitat, eoque aduerſus Elephantos

Digitized by Google

phantos prælíatur, par ipſis prope longitudine, breuior cruribus, naturali telo ſuo aluum petit, quam ſolam intelligit ictibus ſuis peruiam. Pugna eorum eſt de paſtionibus pro iiſque tuendis multi dicuntur mori. At ſi aluum non præoccuparit, ſed inter hunc conatum ab Elephanto præueniatur, illius proboſſide apprehenſus, dentibus ceu ſecuribus conſcinditur, & tametſi eius pellis ea exiſtat firmitate, vt ægre iaculo penetrari poſſit, tamen tam violentus eſt Elephanti impetus, vt eam traiiciat hicque eſt fortaſſis à pellis duritia nomen mutuatus, Græci enim ῥῖνα naſum, & ῥινὸν, pelle appellant. Nullum animal ferocius eo, nec quod valentius in arena depugnet. Ante ludos Cn. Pompeij Romana ſpectacula Rhinocerotem neſciebant: anno autem 1515. Emanuele Portugaliæ rege ſpectaculum edente Vlyſſipone, Elephantem poſt longum certamen poſtrauit Rhinoceros. Incitatiſſimo fertur curſu ac perſequentibus pernicitate pedum ſe eripit. Cornu, dentes, ſanguis, pedum vngulæ, & quidquid in toto corpore, præcipuam aduerſus venena quælibet virtutem habere creduntur.

2. De Tigride placet hic hiſtoriam referre non illepidam ſub finem ſæculi proxime ſuperioris: In litore Bengalico ſtantem in anchoris nauem cuſtodiebat Æthiops per foros nauis ambulans. Hunc intuitur è mari Crocodilus è litore Tigris, vterque ſuam prædam dum oculis deſignat Tigris animaduertens Crocodilum nauis marginem iam apprehendiſſe manu, magno conamine ſaltu dum cupit Crocodilum præuertere, exiliens niſu quam exiſtimabat validiori, prætergreſſus Æthiopem cadens excipitur rictu Hiantis oris Crocodili, qui præſentem prædam licet non quæſitam ſed oblatam præferens inceptæ, ea contentus deſiliit in mare, ſicque è morte proxima quæ ipſi ab immanniſſimis belluis imminebat liberum ſe vidit Æthiops. Tigris & crocodili certamen de Æthiope.

CAPVT XIII.

Lacus Chiamay, & varia regionis Gangeticæ Dynaſtiæ.

1. AD Boream in lat. gr. 32. in montana regione Meuat lacus eſt inter celeberrimos Aſiæ adnumerandus longus circiter leucas 60. latus 25. naſcuntur ex eo ingentes fluuij ſex, Caor, Coſmin, Aua, Caipumo, Menam, & Menon, qui plurimas Prouincias & regna fœcundant, ſtatis incrementis, ad inſtar Nili per leucas plures 20. exundantes,

Hyemsmēſe Martio incipiens. ſub Hyemis initium qui hic incipit menſe Martio. Horum duo primi in Orientale oſtium Gangis euoluuntur. Caor quidem ad opidum Bander in lat. 24. emenſus plures quam 180. leucas horarias à lacu, quo ſpacio luſtrat regionem Meuar, Caor Fl. cuius Metropolis Narnol, & Dynaſtias Caor, & Comotay à præcipuis vrbibus ſic appellatas; moxque augetur amne, qui ex montibus, & vrbe Sirote deſcendit, quibus in locis virilitas aufertur omnibus qui pene per totum Orientem diſtrahuntur Eunuchis.

Eunuchi pene omnes in Oriente orti ex regione Sirote.

2. Secundus Coſmin à quibuſdam dictus, vrbem rigat Tipora in lat. gr. 25. 40. & poſt emenſas à lacu 172. leucas infra vrbes Chatigan & Bengala abit in ſinum ampliſſimum qui Gangeticus, qui Chatigan, qui Bengala apud autores promiſcue nuncupatur. Ad Chatigan vt plurimum confluunt omnes merces quæ in regnum Bengala vel importantur, vel exportantur, diſtat ab æquatore Verſus arctum gr. 23. ſita vrbs eſt & portus in regno Mogos quod vnum eſt ex 12. regnis Bengalæ quodque pertinet ad regem Aracan, qui munitionem hic obtinet, & regem pro voluntate conſtituit, noſtræque Societati in ea permiſit Templum, & reditus annuos conſtituit iam ab an. Chr. 1601. Dianga vrbs eſt in portu Chatigan ſita eo loci ad quem Indicæ naues iacta anchora firmantur; vnde Luſitani in ea degunt non pauci.

Chatigan emporium.

Dianga.

3. In ſiniſtra eiuſdem fluuij, ſeu potius ſinus ripa eſt Bengala, à qua Orientalis Gangis ſinus Golfo de Bengala nominatur, vrbs inter præclariſſimas totius Indiæ adnumeranda.

E regione ſinus Chatigan ſex circiter leucis à Continenti in lat. 22. 15. ſita eſt Sundina inſula ſic munita à natura loci, vt abſque voluntate incolarum nullus in eam pateat aditus; eam frequentant quotannis naues plures 200. propter Salem, quem omnia pene regna Bengalæ hinc petunt, vnde maximus exiſtit prouentus. Eam Luſitani occuparunt anno 602. duce Dominico Carualho, qui eam à vero domino obtinuerat dono, qui & eam generoſe tutus eſt contra claſſem 250. nauium regis Aracan.

Sundina inſ.

Salis copia.

Ab ea parum remouetur celebris alia inſula, qua vnus Regum Bengalæ appellatur de Sitipur. Bacala regnum eſt Bengalenſi proximum in lat. gr. 22. cuius etiam rex poteſtatem fecit Patribus noſtris prædicandi verbum Dei. Iam ab an. 1599. eſt in ora eiuſdem nominis inſula, in qua Luſitani munitionem ædificarunt. Hinc igitur ad regnum Chandecan gratiſſima via per fluuios & canales quos vocant Ganges, quorum ripæ conſitæ denſiſſimis arboribus, in quibus frequentes

Sitipur.

Bacala.

Chatigan.

quentes vuæ apum & plures Simiæ; videre & eſt in ſpecioſiſſimis pratis plurima ceruorum, boum armenta, alibi cannas, è quibus ſacrarum educitur alibi vaſta æquora, in quibus magna vis oryzæ. Sunt & in ſyluis rhinocerotes haud pauci. Regni Aracan vrbs primaria Aracan ſita eſt in gr. 20. poteſt in magnitudine conferri cum Vliſſipona. Aduentantes noſtræ Societatis Sacerdotes Rex excepit in naui magnifica inſtructa omni ſupellectile regia, ipſis omnia permiſit in regno ſuo ſub annũ 1601. & ipſis reditus annuos aſſignauit, & voluit eos in ſuis vrbibus Catigan & Arachan commorari; eodemque anno in vrbe Arachan templum primum fuit ædificatum.

Simiæ.
Rhinocerotes.
Aracan.

CAPVT XIV.

Regnum Pegu & regnum Aua.

1. STirpem ducunt incolæ harum regionum ab Iudæis exulibus, qui ab Salomone damnati ad Offinaras aurifodinas ea loca primi tenuerunt. Fertiliſſimus eſt ager, & exſpatiantibus late campis, alendo pecori bonus, & affluens omni varietate rerum, quippe alueo nauigabili, & flexuoſo diſcurſu piſcoſi amnes intermeant, maxime qui ex Ciamaio lacu, qui à quibuſdam fluuius Aua, ab aliis fluuius Pega à duobus regnis, & eorum primariis vrbibus quas rigat, denominatur. Hic poſt decurſum centum & quinquaginta leucarum ſpacium, ad inſtar Nili ſtatis incrementis per 30. circiter leucas exundans præpingui limo rigat arua felicia, & in lat. gr. 19. abit in mare è regione inſulæ Sirian. Fuit porro Aua regnum opulentiſſimum Brachmanorum, priuſquam illud rex Pega ſub iugum mitteret. Metropolis Aua ſita eſt in læua ripa circa 28 gr. lat. Borealis. Sunt in ea frequentes mercatores rei Gemmariæ præſertim Pyroporum, qui in montibus proximis paſſim reperiuntur. Hinc exportatur Moſchus odoratiſſimus, qui ex ſanguine certorum animalium colligitur; hinc educuntur plures elephanti & equi generoſi, ipſumque ſolum omnibus abundat rebus ad victum neceſſariis.

Origo ex Iudæis.
Aua Brachmanorũ regnum.
Gemmarij artifices.
Pyropum copia.
Moſchus maxime odoratus.

2. Nec minus eſt fertilis ager Peguenſis regni, quod ſuperiori proximum eſt: ſed præterea accedunt ad opulentiam crebra introrſum æſtuaria, facili commercio gentium exterarum & mira cuilibet importandi, exportandique copia, & facultas. Cæterum ſub finem ſuperioris ſæculi ignara Dei, & in omnem libidinem, ſceluſque proiecta cum gens eſſet, ac miſerandi opinionum erroribus inuoluta, Rex Bra-

Pega regnum.

ma, qui occupatis regnis 12. ſuo proximis, & poſſidebat quæcunque ab oſtio Gangis Malacam vſque patent, aggreſſurus Regem Siami cum duxiſſet exercitum, in quo numerabantur militum decem centena millia, quantumuis ſubditorum decimum quemque tantum euocaſſet ad bellum intra paucos annos res illi tam male ſucceſſit vt florentiſſimum regnum factum ſit vaſta ſolitudo, in qua difficile erat reperire vel vnum hominem, eius autem filius in eas eſt redactus anguſtias vt ipſi in tanto regno arx Machao eſſet ſuper, in qua cum ſeptem millibus hominum fame preſſus, tandem coactus eſt ſe dedere menſe Decembris anno 1599. regibus Daracan, & Tangu, pauloque poſt cum & ipſi & 13. eius filiis fuiſſet præciſum caput iuſſu regis Tangu agnati ſui, periit florentiſſimum regnum, & regi quidem Aracan ceſſit Elephas albus, qui & ſuo & Principum Orientis iudicio vna res erat omnium quæ poſſidebat maioris & precij, & exiſtimationis. Ceſſit & pars regni Pegu præter ſtatuas 5. ex auro, & gemmis, & tres milliones argenti aliorumque metallorum & 3200. tormenta bellica. Rex vero Tangu etiam regni partem, & ex arce Machao tantum auri, & gemmarum in ſuum traduxit regnum, quantum octingentis Elephantis, totidem equis potuit efferre, tuncque ex circumpoſitis principibus, qui ſua iniuſte amiſerant, repetierunt. Aiunt vero in eas redactum anguſtias prædictum regem Peguanum, vt viros principes 40. quorum ipſi erat ſuſpecta fides in ſyluam coniectos immiſſis ignibus combuſſerit, & patruum ſuum Regem Aua ſingulari certamine interemerit. *Du Iarric. l. 2. c. 23.*

Elephas albus.

Pegu.

3. Ipſa vrbs Pegu, ex qua tota regio denominatur ſita eſt in 30. gr. lat. Borealis ad flumen ſuperius memoratum à nobis, quod certis menſibus exundans in agros circumpoſitos, mollitos & oblimatos ſemente facta oryzæ feraciſſimos reddit. Magna diu fuit toto pene Oriente huius vrbis gloria, cum propter munitiones, tum propter opum, & diuitiarum exiſtimationem. Et vero ſub annum 1596. quo Rex Siamus arcem vrbemque obſidione cinxit; eam protegebant 150. hominum millia, eratque ſic inſtructum vrbis armamentarium, vt aliena tormenta mille cuiuſque generis numerarentur in eo, inter quæ 150. reperiebantur decora gentis Luſitanæ teſſera; tantoque erat agri vbertas, vt hinc in exteras nationes 100. naues poſſent quotannis educi abſque vllo neceſſariæ annonæ vel famis periculo. Itinere circiter vnius diei ab ea flumen ſimiliter appoſita fuit arx Machao, in qua aſſeruabantur regij illi theſauri, qui ceſſerunt in prædam

regibus

regibus Arachan, & Tangu, vt ſuperius dixi.

4. Ad promontorium Negrais anno 1604. octo Luſitanorum naues, in quibus homines 80. nec plures nobilem victoriam de claſſe regis Aracan quæ nauibus conſtabat 540. retulit: leucis 5. aut 6. infra eam arcem fluuius euoluitur in ſinum, vbi præcipuus totius regni portus, appellatus Sirian à nobili inſula, quæ & Peguano & Martabano emporiis prætenditur. Hanc autem cum rex Aracan dono dediſſet Philippo de Brito Luſitano, eam arce ſic firmauit, vt nulla vi eam potuerit idem rex euertere. Quamuis 1200. nauibus & ingenti exercitu eam terra marique cinxiſſet, cumque anno 1608. repentino igne fuiſſet in cineres redacta, tamen mox fuit ab eodem longe oportuniori ſitu, & meliori muro iterum ædificata, priuſquam idem rex potuiſſet exercitum in eam rem cogere.

Naualis victoria celebris.

Sirian obſeſſa.

CAPVT XV.

Regna Martabanum, Tanaſſeri, Queda, & Pera.

Du Iarric. l. 6. c. 31.

1. IN confinio Peguini regni è regione inſulæ Sirian in lat. Boreali gr. 16. Martabanum eſt, celeberrimum emporium, vrbs & regnum: Portus & tutus & commodus omni tempeſtate ſiue æſtiua, ſiue algida, quippe in eum patet ingreſſus omni temporis conditione, quod Syrtibus & arenarum cumulis non obducatur, ſicut contingit in pleriſque omnibus Indiarum portubus maritimis, ſed prælti ſemper eſt fundi; plurimas naues capit, in tuto à ventis collocat, & protegit aduentantes ex omnibus Indiarum emporiis. Leuis auræ flatus, & iucundiore habitu ſic omnes recreat, & reficit, vt in his partibus ignoretur quid ſit Heterocrania, omniſve alius capitis dolor. Omni menſe fit ſatio. Hinc educuntur quotannis onuſtæ frumento obriza, & oleo 30. naues pro vrbibus Cochino & Malaca. Nulli fructus eorum quos nouit Europa hic deſiderantur. Ipſæ ſyluæ conſtant arboribus quæ omnes pene ſunt felices, & frugiferæ. In agris vix vlla eſt herba ſiue ſylueſtris, ſiue humanæ ſationis, quæ non ſit vel olitoria, vel facultatis Medicæ, vel grati ſaporis ſtilatitia. Non infrequentia habet Pineta, & Palmeta, abundat & Teca arbore incorrupta, alta orgiis 15. aut 20. poſſuntque in eo regno ædificari ſingulis annis, maximi modij naues 20. Sunt montes, qui ſolido, & puro conſtant ferro. Sunt crebræ in eodem aurei, argentei, & plumbei metallici gene-

Portus eximij conditiones.

Heterocrania, nec alius capitis dolor ſentitur.

Regio feliciſſima.

Montes ferrei.

Digitized by Google

tantum vno gradu cum medio ab æquatore. Hâc ſiquidem, ſicut nunc ex vrbe Malaca, in Sinarum regionem, Iaponiamque, hâc ad Molucas, Bandam, Iauam, hac ad nobiles alias inſulas curſus erat. Rebelles eiectos, cum ſua protectione fouiſſet Rex Siam, breui ex vrbe Sincapula, omnis eſt Malacam traducta mercatura, & aduentantes ex Perſide, & Guzaretta Mahumeto addicti mercatores hic admiſſi ſua peſte omnem hanc oram infecerunt.

At cum ex portoriis ſummas ſibi opes, qui ipſis præerat, comparauiſſet, à Siamenſi defecit, & partim armis, quibus fortiter Siamenſi obſtitit, partim muneribus, quibus illius Conſiliarios, vt regem à bello deterrent, ſibi conſiliauit, ſuam tutus eſt libertatem ad annum ſalutis 1508. quo Signeria huc appulſus, ingentique perfidia multis affectus iniuriis *Oſor. l. 6.* à Mamudio rege, quibuſdam etiam Luſitanis interfectis, poſtea magnus Albuquercius eam duobus acerrimis prælijs expugnauit. A Luſitanis occupata.

Maff. l. 5. 2. Tunc vrbs ad maritimas commoditates, litore plano in long. vnius ferme leucæ porrigebatur: hanc ſecabat amnis ex interiori continente defluens, in quem plus, minuſve, pro variis Lunæ momentis exæſtuat mare: idemque ponte iunctus egregio, vtramque partem opidi peruiam faciebat: tecta Indico more foliis & frondibus arcebant pluuias: neque tum vrbem vlli aut muri, aut foſſæ cingebant: populus ipſe bellica laude inſignis, ſuaque latera more ſpartano pro mænibus & propugnaculis gloriabatur eſſe. Ibi quanta vis opum fuerit, vel ex eo coniici poteſt, quòd præter ea, quæ à mercatoribus inter tumultum auecta, vel à militibus per fraudem ſuppreſſa ex quinta duntaxat eius, quæ apparuit prædæ, parte, aureorum nummum ducenta millia in regiam fiſcum redacta dicantur. Loco opportuno arx tunc ædificata, impoſitumque vrbi pariter & arci fidele præſidium. Etſi vero hæc vrbs vix leucæ quartam partem nunc obtineat, & nequaquam priſtinæ magnitudini ſit par, nobile tamen eſt emporium, vbi aromatum & odoram omnis generis, auri, & argenti, & pretioſorum lapillorum vis magna affluit. Imbres ibi ferme quotidiani, quibus & nimij ſolis temperantur ardores, & perpetua tellus viriditate veſtitur: gens moribus & vitæ cultu ad humanitatem propenſa, lingua etiam ſuauis exiſtimatur. Quam opulenta. Arce munita.

3. Eſt hic arbor, Syngadi incolæ appellant, Luſitani triſtem, digna omnino nomine gratioſiori, alta, & patula: fructûs cordis figuram referens, amaritudinis, & acerbitatis Arbor triſtis.

habet nonnihil: decumbente, ſole cum nullus in ea flos appareat, poſt mediam horam, tota emicat in flores candidos, quorum rubei, & flaui calyces; qui inter omnes hactenus notos, perquam ſuauiter fragrant, modo eos vel leuiſſimo attactu violet nemo. Qui ex iis calore exprimitur ſudor, prodeſt oculis, & corde male affectis, ſole vero Oriente illico defloreſcit: id porro cum recurrat anni totius ſingulis diebus, mirum quantum ea æſtimetur arbor à Luſitanis, qui in domeſtica area ſolent in multam noctem ſermones producere & iucundus de ſuis rebus agere. Ab Auguſto ad vltimum Octobrem, ſtati perflant venti, quos Indi vocant Mançons: à Nouembri ad Aprilem Boreas & à menſe Maio vſque Auguſtum Auſter.

CAPVT XVII.

Quædam memoratu digna, quæ Albuquercio contigerunt in Malacenſi expeditione.

1. IN Malacenſi expeditione cum multa contigerunt Alfonſo Albuquercio Indiarum Proregi memoratu digna, tum hæc potiſſimum: Primum quod Maurus quidam multis plagis acceptis corruens, nec mori potuit, nec ſtillam vllam ſanguinis emittere, donec ſpoliato corpore, detractiſque è brachio armilla aurea, quam gerebat, in qua erat os quoddam ſiue lapis, vno impetu ſanguinis riuis per omnes partes latiſſime effluentibus expirauit. In Siami regno eruitur ille lapis ex animantibus quas Cabriſias vocant.

Barrius aſſ. dec. 2. l. 6. & l. 4. Oſor l. 7. Maff. l. 5. Marian. l 30. c 4.

Lapis Cabriſius ſiſtit ſanguinem è vulneribus.

Alterum, quod cum ingentem nauem pene expugnaſſet Albuquercius ingenti repente flamma ab hoſtibus in ea excitata, abſcedere coactus eſt, more iis populis vſitato, eiuſmodi inanes flammas ad terrorem incutiendum excitare cuiuſdam vt olei ex aliquo fonte in regno Pedir Somatræ emergentis.

Flammæ inanes & ad terrorem.

Tertium in pugna Malacenſi experti ſunt plures Luſitani teterrimum ſcilicet virus certi veneni, ex ſpina cuiuſdam piſcis confecti, quo ſagittas ſuas Mauri inficere conſueuerant, quo vulnerati in rabiem & propriæ carnis lacerationem agebantur, quod cum ſit omnibus antidotis inſanabile facili negotio curatur morſu folij cuiuſdam herbæ ibi naſcentis. Ita quibus in locis producuntur noxia hominibus, iiſdem remedia ſuppeditat.

Venenum præſentiſſimum & eius remedium.

Quartum Malaca Goam repetens idem prætor, naufragium

gium omniumque ſpoliorum ſubmerſionem vix ſaluus ipſe euadens, paſſus eſt.

CAPVT XVIII.

Regna Ior, Paon, Patane, & Ligor.

1. TRiginta prope leucis ab vrbe Malaca eſt regnum Ior in extrema Cherſoneſo & Promontorio Sincapura ſito in regione, quæ plurimum fuit à Luſitanis vaſtata anno 1606. Quod Rex ipſius hominum 60. millia duxiſſet ad obſidionem Malacenſem; in eius regia, quando eam occuparunt Luſitani, dicuntur reperta tormenta ænea maiora mille quingenta. Fretum Sincapuranum anguſtiis celebre eſt propter Piratas qui Sinicas onerarias nec non Luſitanas in Indiam à Sinis renauigantes præſtolantur. Adnauigato Promontorio Sincapura, littus in orientem ſolem obuerſum, longo tractu procurrit in Septentriones, ei non pauca in mari obiacent vadoſa loca. Subeſt vero tertio gradui regnum ab vrbe Paon nuncupatum quod & pretioſis abundat lignis d'Aquila, & Calamba, nucibus myriſticis, Adamantibus, nec non lapide Porc contra venena plurimum efficaci & qui Bezoardis præfertur.

Sicapuræ promont. & fretum.

Paon reg. Calamba. Porc lapis ſanguinem ſiſtit.

2. Regnis Patane, & Ligor Rex idem. Subeſt vrbs Patane gradui ſeptimo, Ligor 9. abundant omnibus pene frugibus & fructibus, quibus Europa, tantaque eſt copia animantium, vt vix poſſit credi: bina quippe oua hic quot diebus ponunt Gallinæ. Maxime vero hinc efferuntur aurum, piper, multaque alia aromata. Quæ hic defuncto marito imperabat Regina anno 1602. nunquam ad ambulationem procedebat, quin eam honoris cauſa 4000 nobiles comitarentur, & præterea 150. Elephantes.

Gallinæ bina oua. Aurum. Piper.

Qui feros hic venantur Elephantos, cicuri inſidentes, ſyluam ingrediuntur: ſi quem habent obuium, inuitant ad pugnam, eique cicurem committunt, ac dum ſe ſe mordicus comprehenſos, alter alterum totis viribus conatur euertere, & in terram proſternere, qui ferro parat inſidias, poſteriorum pedum alterum valido fune apprehenſum fortiter ligat, certamen dirimit, & quocunque vult deducit, vel interimit, vt eius potiatur ebore, quod diuendit poſtea mercatoribus Chinenſibus, qui in eo regno frequentes maxima tractant negotia.

Elephantorum venatio.

Digitized by Google

CAPVT XIX.

Regnum Siamenſe.

1. INter Sinarum, & Peguenſium regna altiſſimis montibus Oceano & flumine Menan definitur, quod nunc deſcribimus Siamenſe regnum: In ſua habet clientela pene omnia aureæ Cherſoneſi regna, ex quo rex Siamus ſuperiori ſæculo regem Peguenſem, cuius erat vaſſallus, pluribus prælijs attriuit. Eduxit aliquando in aciem equitum 20. peditum, 250. millia, & Elephantos 3000. In vniuerſa regione eſt viriditas perpetuo herbeſcens ex qua exiſtit mira & amœnitas, & fertilitas, cum propter frequentiſſimos imbres, tum propter alluuionem celeberrimi fluuij, quem vocant Menan, hoc eſt matrem aquarum qui ex lacu Chiamay ſuam repetens originem poſt decurſa regna, Aua, Pegu, & Siam euoluitur in Oceanum circa lat. gr. 13. Aiunt, qui de hoc regno ſcripſere, ferarum & pecorum omnis generis eſſe pleniſſimum; eſſe Abades, Rhinocerotes, Reimanos, hoc eſt Tigres, præter cæteros inhumani, & Mariches, quibus facies mulieris, & cauda Scorpij.

Eius potentia.

Menan fl. Mater aquarum.

Abades. Rhinocerotes. Mariches, quibus facies fœminæ cauda Scorpij.

2. Elephantorum vero tantam eſſe multitudinem, vt ex iis res alat plures quam duodecim mille. Qui eos hic inſectantur inter denſiſſimas ſyluarum arbores complanant aream, quam craſſiorum ſtipitum longuriis fortiter reuinctorum triplici ordine vallant, in quam pauci nec lati ſunt aditus, quam ſubire compellunt ingenti clamore & ſtrepitu: concluſos autem fame, fuſtibus, minis, nec non blanditiis domant intra paucos dies. Auri præterea magna eſt copia, ſicut & ſtanni, quod Malacam, indeque in alias Indiarum partes exportatur. Belzui, ſeu Zubaniabi arboris pretioſæ duo hic naſcuntur genera, quarum alterum niſi imponatur igni, odorem non exhalat, alterum vero odoratiſſimum eſt, ex eoque ſtorax conficitur. Incolæ vaſta ſunt mole, alboque colore præditi: mercaturæ ſtudent plurimi. Omnes, Saracenis, quibus illic non licet geſtare arma, infenſiſſimi: lingua vtuntur Peguenſi. Regem ſibi vtplurimum deligunt ex regis genere oriundum, præſertim ſororis regis demortui filium, aut nepotem; quod ſi videatur minus aptus ad regni gubernacula, communi ſuffragio creant, quem aptiſſimum fore ſibi perſuadent, eumque colunt ſumma obſeruantia. Ingenio & conſilio valent, & ſciunt apprime ſecreta tacere, linguam

Aurum, ſtannum.

Albi Siamenſes.

Digitized by Google

linguam frenare, videnturque homines bene admodum morati, & ciuiles, ſi libidinem excipias ad quam cum viri tum fœminæ & natura & arte quam maxime ſunt proiecti, illas prætermitto ne ipſum atramentum rubore ſuffundatur.

3. Portus ex præcipuis vnus dicitur Tanaçarij, ſitus in lat. gr. 6. min. 30. caput olim regni cognominis, nunc ditionis Siami regni. Rex vt plurimum degit in vrbe Odia, ſiue Vdia, quæ, & populoſiſſima eſt, & ex quâ poſſunt educi hominum qui ſint apti ad bellum 50. millia. Sita eſt iuxta fluuium Menan circa nonum gradum latit. Borealis in æſtuario eo pene modo quo Venetiæ, dicunturque in eo numerari pluſquam 200000. ſiue nauium, ſiue cimbarum, licetque omnibus ad illud appellere Hiſpanis, Anglis, Hollandis. Odia. Nauium 200000.

Primus qui è noſtra Societate in eas ſe partes contulit fuit P. Balthazar de Sequeira vir magnæ virtutis, & prudentiæ, quem ann. 1606. rex benigne excepit, nec voluit dimittere priuſquam alij ex eadem Societate illuc aduenissent. Templa habent antiqua magnificæ architecturæ ad quæ Talapoij (hoc appellantur nomine eorum Sacerdotes) conueniunt media nocte, & luna noua, rerum omnium quæ ſpectant ad naturam, Dei maxime ignari.

CAPVT XX.

Mecon Rex fluuiorum; Regna Camboiæ, Laïs, & Champæ.

1. Regno Siamenſi proxima eſt regio Camboia, quam mediam interfluit nobiliſſimus ille rex fluuiorum Mecon, cuius fontes ſunt in China: 15. augetur fluuiis celebribus, exundat, pingui limo agros fœcundat, maximumque terrarum ſpacium emenſus mari appropinquans lacum 60. leucas diffuſum efficit, poſteaque abit in mare tam multis oſtiis, vt hactenus eorum numerum nobis aperuerit nemo, inter maximos orbis fluuios ſane adnumerandus. Aliis præterea fluminibus non paucis proſcinditur hæc regio, per quæ nauibus, quas Lanchartas appellant, quoquouerſus mercandi atque prædandi gratia vagantur incolæ. Regio Camboiæ eſt feraciſſima oryzæ optimæ, olei, piſcium, equorum, elephantorum, aliorumque pecorum. Auri habet nonnihil, plurimum eboris, ligni alois, calambæ, & cryſtalli maxime pellucidi. Mecon rex fluu. Camboiæ feracitas.

2. Camboiæ vrbs regni caput ſita eſt ad ripam fluuij Mecon in lat. gr. 10. illius incolæ ſunt bellicoſi, & ſimiles pene Camboia vrbs.

Siamenſibus à Rege & Mandarinis more Chinenſium reguntur. Fœminæ iam ex antiquo in defuncti mariti rogum ſe dant præcipites.

Plures Iapones huc ſe receperunt ex quo in Iaponia ſæuit perſecutio in Chriſtianos, & è noſtra Societate aliqui vt ipſis adſint, & eos conſolentur.

Raueca. Eſt & vrbs celebris Rauecca dicta circa 14. lat. gr. ſita, ad quam aduerſo flumine peruenitur leucis 80. diſtans à mari.

3. Per hunc eundem fluuiorum regem, ſed nonniſi poſt iter menſium octo peruenitur ad regnum Laïs, quippe adeo rapidus eſt, & rupibus ſic aliquando impeditus, vt oporteat nauiculas transferre in ſuperiorem aluei locum, in quo & plurimum temporis, & multum laboris impenditur. Incolæ coloris ſunt nonnihil fuſci, veſte Siamenſibus ſimiles. Promiſſum habent capillitium cincipitis quod poſtea colligunt circa vtramque aurem, quas ornant monilibus, & gemmis, occiput vero raſum.

Laïs regnũ.

Capilli gēmis ornati.

Vt eos fide Chriſti colluſtraret, primus è noſtra Societate miſſus P. Ioannes Bonelli, qui in via functus eſt vita, cui in eodem opere ſucceſſit P. Ioannes Maria Leria. Habitant eorum plerique ad ripas Meconis vel Lacuum, in quos effunditur, vel in nauibus, quæ per flumen diſcurrunt. Proximi ſunt & Tartaris, & Chinenſibus, quibus eſt color albus. Abundant auro, nec pauci inter eos egregij aurifices. Circa annum 1578. è regno Laïs circiter 200. millia cum perueniſſent Camboiam omnes cum ipſo rege ſunt internecione deleti.

Campa, regn.

4. Camboiam ſequitur Champa regnum latiſſimum, in quo plurimum naſcitur oryzæ, nec non ligni aloës, calambæ, & aquilæ, interdum etiam ex vno eodemque trunco. Hic autem aues haud abſimiles hirundinibus, quæ menſibus quibus ad amorem incitantur ſuos componunt nidos ex ſpuma maris, nec non ex ea ſpuma, quæ tunc ipſis è roſtro diffluit, qui poſtea nidi in puluerem comminuti in ſummo ſunt pretio maxime apud Chinas, quod & ſtomacho, & cerebro ſint perquam vtiles, ſi puluis ille potui admiſceatur: imo nullus eſt magnatibus gratus cibus niſi huiuſmodi puluere condiatur.

Hirundinũ nidi odorati.

Rex eſt opulentus, equitatu pollens, cui continuum cum rege Cochinchinæ bellum.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXI.

Cochinchina.

1. DEſinentem regionem Champa in gr. 11. Borealis lat. excipit ad gradum vſque 17. regnum incolis dictum Auan; Iaponibus cori, hoc eſt Occidentalis regio reſpectu Iaponiæ: Luſitanis vero Cochinchina, ſiue Cochinum Chinæ propter ſimilitudinis affinitatem, quæ ipſi cum Cochino Malabarico intercedit. In litore patet per leucas centum, celeberrima, & maximæ ſecuritatis, introrſum recedunt æſtuaria. Auan. Amplitudo.

In prouincia Caccian laudantur duo, quatuor non amplius leucas ab inuicem remota: vni nomen Peluciambello, alteri Turon per quæ euoluitur in mare fluuius, quem naues innumeræ è China, Iaponia, & Philippinis ſubeunt propter celebres nundinas quæ ad menſes quatuor ſingulis annis hic celebrantur. Iapones & Chinæ permiſſu regis in extremo promontorio inſulæ quæ huic fluuio prætenditur, vrbem Farfo ab aliquot annis condiderunt. Omne autem emendi vendendique commercium, & ratio, permutationibus abſoluitur. Latitudo regionis vix excedit 24. mille paſſus Geometricos propter altiſſimos montes Kemi, è quorum verticibus non raro decidunt fruſta annoſarum arborum quæ vocant Calamba, quæ quo vetuſtiores ſunt & coctiores, eo pluris æſtimantur ab inſtitoribus, qui libram huiuſcemodi ligni interdum 400. nummis aureis emunt. Et vero tanta eſt eius fragrantia, vt etiam quinque pedes defoſſi in terram, ſuauis odor ſentiatur. Idem lignum ſi non ſit plurium annorum, vocant aquilam, nec tanti eſt pretij: fertiliſſimus eſt ager omnium frugum, quas ter in anno largiter effundit propter limum, & aquas cuiuſdam lacus, qui certa anni tempeſtate exundans miram glebis imprimit vbertatem, quo tempore licet quaqua verſum vela facere. Peluciambello. Turon. Nundinæ celebres. Farfo. Montes, Kemi. Calamba vetus arbor magni pretij. Qualis eius fragrantia.

2. Nullibi in tota Zona torrida; temporum habitus, & conditio melius diſtinguitur. Enimuero menſibus Decembris, Ianuarij, & Februarij ab arcto perflant aquilones, qui ſenſibiliter probant etiam in Zona torrida eſſe algidum tempus Hyemis, & quidem acris. Martio, Aprili, & Maio florent omnia, moxque ſuccedit æſtuantis ſolis tempeſtas, poteſtque Autumnus dici perpetuus cum nulla ſit anni tempeſtas fructibus vidua. Nullibi ſunt piſces gratioſioris ſaporis: tanta Tempeſtates anni optime diſtinctæ.

vero eſt ſerici copia, vt neminem hic videas aliis indutum veſtibus quam ſericis. Reperitur hic arbor procera, & craſſa, cui nomen Them, qui in terra corrumpitur quidem, at in aquis nunquam.

Them arbor incorrupta.

Verum omnem ſuperat admirationem, quod de elephantibus huius regionis Vrbano VIII. ſummo Pontifici fuit renunciatum. Aiebant enim qui id ſe vidiſſe profitebantur, primo diametrum veſtigij ſeu plantæ eſſe pedis vnius cum dimidio. Vtrimque dentem ad pedes 14. produci. Dorſo ipſorum imponi lecticam in qua viri ſex in vnoquoque latere ſedent commode, & duo in parte poſtica, præter Nairum, qui in anteriori ſedens belluam regit, cuius nutus ſic obſeruat, vt ad datum ſignum, primum tollat pedem, mox eum ad primam iuncturam inflectat, deinde complicet coxam & ad ipſum os lateris, & his quaſi gradibus conſcendentem quempiam, exceptum molliter ſua proboſſide quaſi manu ſubleuat, & locat in cathedra, quæ inſerta eſt lecticæ. Addebat, poſteaquam Nairus elephanti ſignificauit qua ipſi eſſet via incedendum nuſquam aberrare ab ea: ſi de ſpinis à quibus ſibi præcaueret ſermonem feciſſet, attento vultu & demiſſo ad ſingulos paſſus, ſibi prouidere, fluuios tranare, leucas 12. vna die decurrere, & quoſdam ita validos vt tormentum bellicum quatuor mille librarum educant è terra; alios vero ita dociles vt linguas quatuor omnino diuerſas percipiant, & intelligant.

Elephanti miræ induſtriæ.

CAPVT XXII.

De Regno Tunquin.

1. PAtet in quadrum per leucas circiter 100. à grad. 17. ad gr. prope 23. inter Cochinchinam & Chinam. Oceanum & regnum Laïs à quo prædaltis montibus ſeparatur, ipſi nomen ab vrbe regia Tunquin, quod lingua Chinarum regiam occiduam ſonat. Regio eſt plana & ob frequentiam inſignium fluuiorum omnibus abundat bonis. Incolæ ſunt indolis bonæ, fidei ſpectatæ, & proceri corpore. Quilibet ſuum habet nauigium, quo vtitur quaſi proprio domicilio quando ſuis temporibus amnes exundant. Hic princeps nouem regnis imperat, ipſique tres Reges pendunt tributum, videlicet Rex Laïs, Rex Cochinchinæ, & Rex de Bau: Ipſe vero Rex ſine tributi, ſiue honorarij nomine quotannis ad Chinarum Regem tres mittit ſtatuas ex auro ponderis ſex mille

Ex relat. a. 1626.

Tunquin vrbs.

Nauigiorũ frequentia.

Tributum.

mille aureorum, treſque ex argento. Regni reditus annui æſtimantur duobus millionibus. Regi vero ſubſunt Mandarini ſexcenti, quorum ſingulis oppida aliquot concedit ea lege, vt certum equitum numerum tranſmittant, quoties ad bellum euocat. Mandarini.

2. Habet præterea triremes vt minimum termille. Quarum pene omnium ſunt Puppes inauratæ, quæ remis aguntur 26. aut 30. lentius aut celerius pro vario pulſu tympanorum, & voluntate imperantis. P. Iulianus Baldinotus qui primus è noſtra Societate in eas partes ſe contulit anno 1626. & conuenit Regem, eum reperit inſidentem Elephanto proceræ ſtaturæ qui milites præuertebat curſu, & enſes, lanceaſque quas ipſis abſtulerat proboſſide conuerſa ad regem ſingulari cum gratia offerebat, addit pater etiam equos item præſtantes, atque inſidentibus arma porrigentes vidiſſe. Equorum mira dexteritas.

Sita eſt vrbs Tunquin ad ripam fluuij ſub gradu 21. diſtans à mari leucis 18. Regis palatium conſtat aſſeribus pulchre elaboratis, & tegulis tegitur. Plebeiorum caſæ, cannis craſſioribus, & teguntur paleis. Pomœrium eſt leucarum fere ſex, intra quod continetur ciuium innumera multitudo, qui non aliam potant aquam quàm fluminis, ſit licet turbidior, quippe intra vrbem fons nullus; bis vero in anno extra margines exundans fluuius per dies aliquot vrbis partem tegit. Exundatio fluuiorum.

CAPVT XXIII.

Ampliſſimum imperium Ta-min, vulgo China dictum. Nomen & amplitudo Regni.

1. IN more poſitum eſt in hoc ampliſſimo regno ab omni hominum memoria, vt quoties imperandi ius ex vna familia deuoluitur in aliam, ipſum quoque regnum nouo inſigniatur nomine. Hinc ex quo familia Ciu rerum potitur Ta-min hoc eſt magnæ claritatis regnum nouimus in hanc diem ſemper ab indigenis appellatum. Externarum gentium alij vocant illud Hippophagorum regionē, quod in ea omnes carne equina veſcuntur, perinde atque nos bubula. Marcus Venetus, hodieque adhuc Saraceni, qui ſunt ipſi ab occaſu, Tartarique quandiu eam poſſederunt Cataiam dixerunt: Iapones Than: Tartari Han: Plurimi Seres, quod in ea omnes induantur Serico; nullibi gentium maior ſit vis Serici: huius operis artificium iam apud ipſos vigeat à bis mille ſexcentis triginta ſex annis ante Chriſtum, vt eorum annales Hippophagorū regio. Serici maior copia nullibi.

Digitized by Google

tradunt: nullaſque merces alias libentius euehant externi omnes, ſerico, quod poſtea per omnia Orientis emporia aliis mercibus commutant, vel in Occidentem deuehunt. Cocinenſes, & Siamenſes Chinam vocant, & ab iis nomen iidem Luſitani, & Europæi omnes vſurparunt.

P. Trigautius l. 1. c. 2. Chriſtianæ expeditionis apud Chinas.

2. Situm huius regni aſſignat P. Trigautius inter gradus 112. & 132. ab inſulis Fortunatis, & gradus 19. & 42. ab æquatore, hoc eſt 20. gradus longitudinis in parallelo 19. illi tribuit ab occaſu in ortum & 23 gr. lat. à Meridie in Boream, quæ ſi reuocemus ad leucas horarias, quarum 20. competunt vni gradui maioris circuli, inueniemus Chinam patere à Meridie in Boream per leucas horarias 460. ab occaſu vero in ortum non obtinere 400. leucas, cum nemo ignoret vnum gradum decimi noni paralleli minorem eſſe vt minimum vna leuca horaria vno gradu maioris circuli, in gradu vero 42. minorem leucis 5. Ex quibus non video quomodo Pater Trigautius concludit nullum eſſe iam in orbe terrarum regnum vel olim fuiſſe, quod fuerit, quantum ad amplitudinem ſpectat, cum Sinarum imperio comparandum. Multo minus quomodo dicat P. Aluarez Semedo eſſe toti Europæ æquale. Enimuero quis ignorat Imperium Romanum ab occaſu in ortum olim recta linea patuiſſe per leucas horarias 1200. ab Vliſſipona ad Babylonem, & à Meridie in Boream per leucas 600. videlicet inter parall. 222. qui tranſit per cataractam Nili, & per parallelum 52. 30. qui per Lugdunum Batauorum, ſeu medium oſtium Rheni. Ex quibus concludo ſimiliter Imperium Turcorum, quod obtinet nunc quæcunque fuerunt olim Imperij Orientis, quod ſeparabatur ab Occidentali Romanorum Imperio, Meridiano 45. quod ducitur per Syrtim maiorem, Epidaurum, & per Mœſiam, & cui multa ſunt adiungenda quæ ſunt in litore Africano, quæ erant Imperij Occidentis, multaque in Arabiis, quæ nunquam obtinuerunt Romani. Concludo, inquam, Imperium Turcicum tantæ eſſe amplitudinis vt in Terraqueo globo, quadratum obtineat, cuius area in omnem partem per leucas horarias 600. excurrat. Nec multum Chinenſi minus imperium Mogoris, ſi, vt referunt recentiores Mappæ, excurrit à Parallelo 22. ſeu à regno Decan ad 40. parallelum ſub quo regnum Cabul & à 105. meridiano ad 130. qui intercipiuntur inter oſtia fluuiorum Indi & Gangis.

P. Semedo in ſuis vniu. regni China ſtatim initio.

Trigautius eodem libro & capite.

3. Volunt alij ſaltem Chinæ imperium ſuperare alia omnia regna incolarum numero: refert enim idem Trigautius noſter anno Domini 1579. cenſita in eo Imperio adultorum

capita

capita à quibus vectigal regi ſingulatim penditur, quinquaginta octo milliones quingenta quinquaginta millia, octingenta & vnum, quantumuis in eo cenſu non fuiſſent numeratæ mulieres, nec pueri, nec adoleſcentes, nec eunuchi, nec milites, nec propinqui regis, nec magiſtratus, litteratique, qui tamen quantam conſtituant multitudinem hinc licet coniicere, quod militum, qui ſtipendio regio aluntur & perpetuo ſunt in armis, numerentur ſupra decies centena millia. Verum memini libro 9. c 3. huius operis, me retuliſſe ex Nicephoro tempore Auguſti recenſitos in toto imperio ducentos ſexaginta milliones ter centum & ſexaginta millia perſonarum. Quæ ſi vera ſunt neque in hoc præſtabit Chinenſe regnum Romanorum maieſtati. Longe plures incolas in Romanorum Imperio quam in Chinenſi.

CAPVT XXIV.

Fines, ſoli, & fluuiorum fœcunditas; miraque omnium, quæ ad neceſſitatem, & voluptatem pertinent, abundantia.

1. CHinarum regio ab Oriente & meridie alluitur Oceano, quem Sericum, & Eoum priſci dixere: ab Occidente Indiam vlteriorem attingit; à Septentrione, qua Scythis contigua eſt, cingitur inſanæ ſubſtructionis muro ad 200 amplius leucas excurrente, quantum inter duos admirandæ altitudinis montes interuallum eſt. Extructæ etiam ſunt ibidem ad retundendos Scytharum impetus vrbes duæ munitiſſimæ cum præſidio ſelectiſſimorum eius regionis militum. Vna Canceum appellata, altera Soceu in duas partes diuiſa, quarum vnam Sinæ, quos hic Saraceni Cataios vocant, in altera Saraceni commorantur qui è regno Caſcar, & ſimilibus ab occaſu negotiationum cauſa conueniunt, quorum multi quod redire nolint iam vxoribus, & liberis illigati prope pro indigenis habentur. In ea Benedictus Goes noſtræ Societatis religioſus è regno Mogor peruenit longiſſimis itineribus anno Chriſti 1605. & ſuum diem obiit. Multo latius quondam imperaſſe gentem ad promontorium ſcilicet Tabin & mare Scythicum cum antiqui autores, tum annales ipſorum, haud obſcure teſtantur; ſed cum ſua ipſi mole fatigarentur, intra hoſce fines recepere ſe ſe, graui propoſito edicto, ne quis iniuſſu Magiſtratuum vltra murum pergeret. Sic ſponte Scythas, Tartaros, & Cataiam abdicantes. Quod autem dicunt Pomponius l. 3. c. 7. & Plin. l. 5. c. 17. finem litoris ſeptentrionalis Aſiæ fuiſſe promontorium Ta- China antiqua fines longe ampliores.

Digitized by Google

mo: Orientale vero Tabin, exiſtimo vtrobique legendum Tamin, hoc eſt Chinæ, quæ iam olim, ſicut & nunc Tamin dicebatur; non vero tantum ex quo familia Cin rerum potitur. Nūc regna ſeu prouincias vaſtæ magnitudinis numerat 15. cū ſua cuiuſque Metropoli, ad mare 6. reliquas in mediterraneis.

Vbertatis maximæ cauſa duplex.

2. Tellus cum perfruatur ſaluberrimo cœlo, & purioris auræ dulcedine frugum omnis generis fundit copiam, bifero, triferoque prouentu. Accedit ad eximiam ſoli fœcunditatem ſumma cultorum induſtria, cum enim & publico dedecore, & ſeueris legibus nemini ceſſare liceat, ruſtici omnes nullam agri partem incuria ſqualere patiuntur. In fluminibus nauigiorum incredibilis eſt copia, quippe in iis magna pars hominum cum coniugibus & liberis degunt, è quibus alij vecturam exercent, alij pro cauponibus & inſtitoribus res coquinarias exercent, & in perpetua ſtatione ſunt, nec ſolum in cibos, verum etiam ad cultum ac veſtitum hic reperias diſpoſita omnia, ſed ipſas etiam delicias, cuncta venalia, vnde & in ipſo itinere ac fluuiis vrbana commoda, & copiam non requiris. Sunt intra eas naues qui altilium & anatum præſertim ingentes alunt turmas, propterea quod ex ouis, non matris incubitu, ſed leui ex ignibus temperatis tepore excludunt. Noctu eas animantes infra ſepta nauium cohibent, mane vt diluxit in campos oryzæ feraces emittunt, vbi non paruo agricolarum compendio, noxias frugibus herbas, mira quadam auiditate depaſtæ, ſub noctem ad cymbali, vel tympani pulſum in ſuas quæque cohortes, ac receptacula redeunt.

Corui cicures qui piſcaturam exercent.

3. Præterea coruos habent prægrandes ac domeſticos, quorum colla nodo ita laxo conſtringunt, vt nequaquam interclusa reſpiratione cibos tamen tranſmittere, ac deglutire non valeant: ita è caueis dimiſſi, admirabili ſolertia ſeſe in aquas immergunt, piſciculos minutos ore conceptos, maiores autem roſtro apprehenſos, domum, vnde abierunt identidem referunt. Ora maritima pluribus introrſum æſtuariis ad omnium rerum copiam inuehendā, euehendamque facili patet acceſſu. Paſcua ſunt gregibus alendis vberrima, horti

Hortorum amœnitas.

ſunt egregie culti, in his videre eſt poma omnis generis, ſapidiſſimos melones, ſuauiſſima, & plena ſucco optima pruna, ficuſque, mala medica; citreaque variæ formæ, ac ſaporis, apprime generoſa. Ad hæc perſpicui fontes, & miro colorum decore, odorumque fragrantia flores, ac roſæ perennant, flumina veró quæ magnas quoque patiantur naues pinguibus aruis interfluunt.

Metalla

Digitized by Google

Maffeius hiſt. Ind. l. 6. Metalla auri, & argenti, & ferri probatiſſimi, & alia incolæ effodiunt. Margaritas, & præcipuæ nobilitatis vaſa. Fictilia quæ vulgo porcellana dicuntur, pretioſas pelles ad frigus arcendum, itemque Goſſipij, Lini, Lanæ, Serici, veſtemque omnis generis mittunt innumerabilem. Saccari & mellis, Rhabarbari, cafuræ, minij, glaſtique tingendis veſtibus expediti prouentus ingens: odoramentis cum aliis abundant, tum præcipue Moſco (cuius nullam apud Latinos, Græcoſve ſcriptores mentionem inuenio) è feris quibuſdam vulpecularum effigie, crebro verbere enectis, dein putrefactis. Denique nihil aliunde non ad victum modo, cultumque, ſed ne ad delicias quidem, & voluptates requirunt, ac proinde nulla ſub ſole gens eſt apud quam aliarum gentium opes æque conſiſtant, quippe vendentibus cuncta binis, nihil inuicem redimentibus, niſi forte in vſum tectorij cuiuſdam odorati, Piper ex India. Metalla. Porcellana vaſa. Saccarum. Rhabarbarum.

CAPVT XXV.

Ædificia publica, & priuata.

1. VRbes præcipuæ magnitudinis celebrant ferme 200. inferioris autem ordinis longe plurimas: porro caſtella & pagi, quorum nonnulli tribus familiarum millibus incoluntur, vicique paſſim ita multi ſeſe offerunt, vt ſumma iniri vix poſſit. Sunt autem egregio ſitu plerique, ſcatent aquis, procera circundati ſylua, ex qua turritæ prædiuitum aratorum eminent domus diſperſæ in æſtiuos maxime receſſus; nobilium villæ, opere imprimis eleganti, vel ad opacas amnium ripas, garrulos auium concentus & fugientis aquæ lene murmur excipiunt, vel è montium iugis verticibuſque ſubiectos vallium anfractus, & vaſta maris ac terrarum ſpacia longe, latéque deſpectant. Villæ.

Sed ipſarum præcipue vrbium pulchritudo mira, nauigabilibus impoſitæ fluuiis, admodum profunda, & lata foſſa mœnibuſque cinguntur quadrati ab imo lapidis, lateritiæ ad ſummum ſtructuræ: lateres autem ex eodem argillæ genere, quo porcellana vaſa confecti, & calce optima interliti, in eam duritiem & firmitatem breui tempore coaleſcunt, vt ferramentis poſtmodum labefactari vix poſſint. Craſſitudo mœnium quatuor, & alicubi ſex capit homines additis ad proſpectum pergulis, ac mœnianis & occultis ambulationibus quas præfecti oblectationis cauſa pererrent: Pomœ- Lateres porcellani. Vrbium mœnia.

Digitized by Google

rium intra, extraque libero ad circuitum ſpacio ſenis in ordinem equitibus patet: ad obliquos autem ictus, modico interuallo turres & propugnacula prominent artificioſis contecta faſtigiis, & podiis elegantibus adornata.

Eorum ſartatecta.

2. Ex iis mœnibus cum quædam ante 2000. annos conſtet extructa, nullam tamen in iis ruinam, aut ſinum aut labem aſpicias, adeo ſeuere acriterque ſarta tecta à regiis curatoribus exiguntur. Vrbis vero totius ea ferme conditio eſt: latiſſimæ viæ duæ ſe interſecantes perpetuo tractu, qui luſtrari oculis poſſit, præcipuas quatuor portas aperiunt præferratas ornatu magnifico aditu que ad aſpectum præclaro, ab hiſce rectis viis aliæ dein, aliæque tranſuerſæ priuata, & publica vicoſque diſtinguat, & ab vtroque latere viarum excurrunt porticus, quæ commeantem plebem, & fabrorum atque inſtitorum apothecas & tabernas à tempeſtatum iniuria vindicent.

3. Magiſtratibus celeberrimo loco ſtant ampla & operoſa prætoria cultiſſimis hortis, capacibus piſcinis, fontibuſque pellucidis, & variis aquarum deriuationibus ad omnem animi remiſſionem inſtructa; nec deſunt auiaria & ferarum ſepta & operis topiarij tonſiles ſyluæ lucique denſiſſimi, & diſtincta floribus prata, vt ſingulæ præfectorum domus oppidi propemodum inſtar obtineant. Priuatorum ædes circa maritimam oram humiles, Mediterraneis vero locis, multiplici contignatione tolluntur, vel pictura decoratæ vel opere albario candoris eximij: à primo ingreſſu panditur atrium armariis circumquaque diſpoſitis, in quibus inanium Deorum ſtatuæ collocantur: accedunt lacus pleni piſcium, ac penſiles horti materia ad ædificationes vtuntur mire leuigata, & certo lenocinij genere ad auri colorem ac ſplendorem adducta. Pari læuore tegulum eſt, calce ſpiſſatum, atque commiſſum ad pluuias arcendas, durantque ſæculis tecta talia, extremis imbricibus è marmorato pereleganter elaboratis, ad ſingulas vero ianuas viridi opacitate arbores ad lineam directæ conſurgunt, quarum gratiſſimo aſpectu quaſi pabulo quodam, oculorum acies quamlibet fatigata reficitur.

4. Per æſtatem ad reliqua remedia caloribus leniendis illud etiam accedit, quod ſubterraneos idoneo loco effodiunt ſpecus, vnde conceptam auram, intenſiorem, aut remiſſiorem, prout libuerit, per omnes ædium partes admirabili machinatione diſpenſant.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXVI.

Chinæ quales vultu & veſtitu.

1. PRout ad Septentrionem vel ad Meridiem vergunt, magis aut minus æneo ſunt colore, vel candido, ſimis naribus, exiguis admodum ocellis, rara barba, longis crinibus, quos accurate comptos, & in verticem coactos illaqueant, & oblongum ex argento clauum in laqueum inſerunt. Cælibes comam à fronte diſcriminant, mariti confundunt. Primarij, ac diuites, quique militiam exercent verſicolore ſerico, pauperes goſſipio tegunt corpora. Sagis vtuntur media ſui parte criſpis ac rugoſis, cæterum fuſa, & explicata lacinia, & laxis manicis: ipſum vero ſagum ab læua parte confibulant. Accedit talaris tunica, quam qui è regia ſunt ſtirpe vel ſuperiore aliquo magiſtratu funguntur, circa baltheum maxime, cæteri limbo tenus acu pingunt. Caput operiunt præcelſo & rotundo pileo è tenuiſſimis virgulis atro filo prætextis. Caligas induunt affabrefactas, & elegantes cothurnos, aut calceos bombycino obſtragulo perpolitos. Veſtimenta per hyemem pretioſis murium, Scythicorum pellibus, quas vulgo Martas vel Sabellinas vocamus, colore admodum ſuaui, & ventis impenetrabili denſitate ſuffulciunt. Iiſdem ſeparatim pellibus circumfouent colla. *Veſtitus hominum.*

2. Mulieres circa curam capitis multæ ſunt, crines diu pexos, concinnatoſque in ſummo circumligant vitta gemmis, auroque diſtincta: reliqui corporis ornatus minime laſciuus, præcipuam decoris ac formæ laudem in faſciis perquam arcte conſtringunt. Vnde vix vnquam prodeunt in publicum, niſi geſtatoria ſella. Capillum autem cum diligenter nutriant omnes, quod ea ſe tanquam anſa in cœlum aliquando ſublatum iri exiſtiment. Sacrificuli, qui in cœnobiticam alunt vitam, abradunt capita, quod ſine tali adiumento ſydera ſe conſcenſuros eſſe confidant. *Veſtitus mulierum.*

CAPVT XXVII.

Politia.

1. PIgritiam legibus plectunt vbique, nec cuiquam licet eſſe otioſo maxime per plateas: qui ſupplex ad ſtipem manum porrigat, ferme eſt nemo. Manci vel aliqua parte *Pauperibus quomodo prouidetur.*

Digitized by Google

corporis debiles, vel morbo impliciti grauiore, quam vt ſibi parare victum vllo modo poſſint, cognatis, affinibuſque alendi attribuuntur à Magiſtratu, ſin propinqui deſint, vel propter inopiam alendo non ſint, cauſa probe cognita, ne quid ſubſit fraudis, in regia valetudinaria deportantur. Luminibus capti, ſi premat egeſtas, piſtrino ac molæ; manci aut quoquo morbo mutili, dum ſuppetunt vires, aliis alij miniſteriis affiguntur: ſicque nullus inertiæ, & ignauiæ locus eſt. Nihil quod vlli vſui poſſit perire per incuriam ſinunt. Suarum quiſque mercium inſtitor deſcriptum indicem, & artis ſpecimen pro foribus habet propoſitum.

Res literaria quomodo exercetur.

2. Rei literariæ magna pars hominum vacat, qua ad honores & magiſtratus aditum ſibi patefaciunt. Rex Gymnaſia cum egregiis doctoribus, ferme oppidatim, ample & copioſe ſuſtentat. Adoleſcentes leguntur à præfectis: quos ceſſatores, vel tardos animaduertunt, obiurgant primum, dein plagis afficiunt, ad extremum ignominia notatos expellunt. Qui ingenij, doctrinæ & prudentiæ ſpecimen dederunt ſcriptionibus, qua ab iis tertio quoque anno exigunt regij cenſores, creantur magiſtratus, & dato in imis documento probati, ſpectatique gradatim ad ſummos conſcendunt, quo magis caſte rempublicam adminiſtrarunt, & tulerunt incorruptam in iudicando ſententiam. Iura, legeſque habent ante annos bis mille ſcripta, neque vnquam exinde mutata. Deprehenſum adulterium æque viri ac fœminæ capite luitur. Ad nuptias dotem non viro fœmina, ſed vir fœminæ defert. Iudices, & ordinum ductores è longinquis petuntur locis. Pretia rerum ne locus adulterio pateat, conciſi maxime argenti pondere metiuntur, atque in id ipſum forfices, & habilem trutinam ligneolæ incluſam thecæ in ſinum circunferunt. Habent & teruncios ex ære.

Adulteri capite luunt.

Pretia rerum qualia.

3. Rem militarem non tam audacia vel firmitate quam numero & machinis, & egregia imprimis diſciplina ſuſtentant: largum vnicuique militi ſtipendium optima fide perſoluitur, ſpectatæ virtuti certus ab imperatore honor: contra ignauiæ, perfidiæque ſupplicium. Qui ad militiam adſcripti non ſunt; iis arma priuatim nulla: quæ maxime res ab inteſtinis tumultibus otium præſtat. In ſingulis vrbibus firma ac certa ſunt præſidia, pro muris aguntur excubiæ quas identidem obit circitor, itemque validæ ſtationes ad portas, earum fores præter alia repagula, ſeraſque, impreſſo chartæ & commiſſuris agglutinato ſigno quotidie muniunt, nec niſi eodem à miniſtris inſpecto ac probe agnito aperire conceſ-

ſum

Digitized by Google

ſum eſt. Ad limites regni crebræ, & minutæ viſuntur arces, vbi ex aliqua parte increbuit belli rumor, confeſtim à cuſtodibus dato ſigno è vicinis caſtellis & oppidis concurſus ad munimenta fit: quoad ab Rege duces iuſto cum exercitu ſuperueniant. Ex Tartarorum reliquiis multi in hoc regno remanſerunt, qui poſt quartam generationem pro indigenis habiti ne à literariis quidem gradibus prohibentur. *Trigautius l. 3. & 9.*

4. His tot præfectis, iudicibus, & populis cum regio nomine ac poteſtate vnus præeſt, vir necis ac vitæ omnium Dominus: octo habet à conſiliis lectos viros, is ab Rege ſecundus dignitatis eſt gradus, ſummumque totius regni oraculum. Is niſi grauiſſimas ob cauſas fere nunquam excedit à regia. De omni ſtatu Prouinciarum & Præfectorum actis, certior aſſidue fit, veredariis ſeu curſoribus ita diſtributis, vt in ſingulos menſes ex qualibet prouincia literæ in regiam perferantur. Super hæc ſtatis ipſe temporibus idoneos viros ad cuncta eorum inſpicienda per omnes regni partes cum ampla poteſtate dimittit. Inde vbi tempus eſt clam inſpectator idem & Cenſor Rex mittit, qui tanquam vnus de populo circuit, præfectiſque ac prætoribus inter publicæ rei adminiſtrationem ac præſertim inter dicendum ius diſſimulanter aſſiſtit, vbi quæ voluit probe cognouit, demum adit conſilium, & prolato repente diplomate mira omnium veneratione ſummus totius conſilij iudex, & arbiter in ſolio collocatur. Inde prout exigit res, alios ornat laudibus, atque ad altiores extollit gradus, alios nulla cuiuſquam tergiuerſatione vel in ordinem cogit, vel etiam ſuppliciis grauioribus afficit. Sic omnes continentur in officio. *Summi magiſtratus.*

Demortuo Regi, è filiis maximus natu, ſin deſint liberi, (quod in tanta vxorum turba perrarum eſt) proximus è regia ſtirpe ſuccedit. Cæteri, ne quid eorum cauſa tumultus exiſtat, remotis inde palatiis ad inſtar oppidorum incredibili magnificentia regio cultu, apparatuque in libera cuſtodia detinentur, propoſita capitis pœna, ſi extra eos fines iniuſſi pedem extulerint. *Regi demortuo quis ſuccedat.*

5. Annum è lunaribus periodis 12. ita conficiunt, vt tertio quoque anno ad duodecim vnam addant. Principium à Martij menſis nouilunio auſpicantur. Eam diem publica hilaritate, & natalem quiſque ſuum priuata gratulatione concelebrant. *Annus qualis.*

Itinerum ſpacia hoc pacto diſtinguunt. Minimam omnium menſuram patrio nomine vocant Li. hoc interuallum continet quantum æqua planitie die puro ac ſereno vox hu- *Itinera.*

Digitized by Google

mana percurrit. Li decem vnum Pu explent, quod ferme reſpondet vni leucæ horariæ, ſiquidem Pu decem diei vnius iter efficiunt quod vulgo Ychan appellant.

In peregrinationibus vtuntur iumentis varij generis, ciſio, lectica, pilento, vehiculis, quæ iunctis equis trahuntur, vel ſi camporum æquora patiuntur velis: nec minus perite ac ſcienter aurigæ quam nautæ & gubernacula moderantur, & varia velorum inflexione prolato vel reducto pede ventos excipiunt.

CAPVT XXVIII.

Chriſtiana Religio in Chinam quando, & quomodo inuecta.

Primum à S. Thoma.

I. EVangelium accepiſſe olim ab Apoſtolo Thoma Chinas teſtatur diſertis verbis Breuiarium Chaldæum Archiepiſcopatus Malabaricæ Eccleſiæ, (vocatur Gaza, id eſt Theſaurus) in officio D. Thomæ Apoſtoli in ſecundo Nocturno: in ſecunda lectione, Cruces lapideæ in China inuentæ.

Iterum an. 631.

Lapis repertus anno 1625. in ciuitate Siganfû metropoli prouinciæ Xemſi in China expreſſis verbis principia omnia fidei Chriſtianæ continet, & illatam iterum in has partes anno Chriſti 631. ſub rege Taizum à ſanctiſſimo viro Olopuen ex Iudæa profecto. Sed ipſum ſimiliter teſtatur imago proceræ mulieris, puerulum in ſinu fouentis, qui ardentes hodieque lichnos olearios more noſtro ſuſpendunt, quantumuis cuiuſnam ea ſit effigies prorſus ignorent: adeo autem vel ipſa regionum longinquitate, vel diuturno cultorum deſiderio, in ea terra ſemen omne pietatis Chriſtianæ interierat, vt nec Apoſtoli Thomæ vlla iam ibi eſſet mentio. Quæ res Xauerium noſtræ Societatis decus eximium, non minus profundendi ſanguinis quam propagandæ religionis cupidum vt in eas ſe conferret partes prouocauit. Sed dum cogitat pugnas ad palmam euocatus eſt, priuſque ad præteritorum laborum præmium quam ad nouos labores peruenit. Mortem quam in China ſperabat, in eius ingreſſu reperit. Nuſquam honeſtius miles, quam ſub hoſtili vallo cadit. Sublato Xauerio tranſilit ad ſocios expeditionis cura. Aditum ſibi munera aperuerunt. Horarias è rotis machinas, ſpecula cryſtallina, vitra diuerſiſſimos aſpectu colores obiicientia Chinenſes nondum viderant: Ea & cætera eiuſmodi ex Matheſeos arcanis deprompta, quibus & ingenium & nouitas pretium

tium facit, dum cupide magiſtratus acciperent, vt fit in donis capti ſunt, & admiſſis quæ offerebantur, intromiſere eos, qui dederunt. Ita Michaël Ruggerius & Matthæus Riccius penetrarunt feliciter in regiam Pekinum anno 1601. 4. Ianuarij qui mox altius inſinuauere ſe in gratiam, populum officiis & comitate demulcere: præter virtutis documenta reconditæ eruditionis ſpecimen, nec maius præter Dei gratiam præſidium. Idem quippe Chinenſes quod olim Græci de exteris ſentiebant, barbaros, & ignaros eſſe, ſolos ſcientia præſtare. Vbi patuit error, cœperunt de ſitu orbis, de aſtrorum curſu, de acceſſu, receſſu, defectione Solis, & Lunæ, quæ ipſi non repererant, à noſtris diſcere: Simul opiniones, ſimul voluntates mutarunt: & vel admiratione doctrinæ, vel diſcendi cupiditate, non ingrediendi ſolum, ſed & commorandi copiam fecerunt. Tertio à P. M. Riccio an. 1601.

2. Mox & templa vero Deo condere licuit. Primum Sianquini (eſt ea prouinciæ Cantoniæ Metropolis) extructum pietate magis frequentantium quam ornatu ſuo ſpectabile. Cum id ciues prout amiciori, aut alieniori erant animo, varie ferrent; præfectus vrbis, vt auctoritate ſua, quam & fama ſapientiæ, & Republica bene geſta ingentem collegerat, tueretur, & augeret, hunc foribus titulum appoſuit; *Diuorum floris ædes:* flos ille potuit intelligi, qui de radice Ieſſe adſcendit. Noſtros porro quanti fieri vellet, altera quam in interiore aula, miſcendis deſtinata colloquiis, figendam curauit, inſcriptio teſtatur. Gens ab occaſu Sacro-ſancta. Supra modeſtiam erat titulus: admiſſus tamen, quia religionis intererat, eius præceptores honorari. Varias deinde viciſſitudines ſubiuerunt ſocij. Primum templum.

3. Modo non multitudini ſolum, & magiſtratibus vulgo accepta eſt noſtra Societas, ſed & rege tam beneuolo vſa eſt anno 1637. vt niſi hoc religioſis inſtitutis repugnare didiciſſet, præcipuas in noſtræ Societatis homines contuliſſet dignitates. Agrum qui victui, cultuique corporis neceſſaria ſuppeditet, attribuit. Vir erat recti, iuſtique tenax, & quibus alij, ne ad fidem tranſeant, maxime impediuntur, libidinibus non obnoxius. Vtinam quemadmodum falſos Deos non amplius colebat, ita verum, vt par erat, fuiſſet veneratus. Regis erga noſtros beneuolentia.

Annis proxime ſequentibus patefacto muro, Tartari florentiſſimum Imperium interfecto, etiam Rege pene funditus euerterunt. Donec qui ipſi Rex ſucceſſit Regina mater, Coniux, & infans baptizati cum pleriſque proceribus, & vrbibus aliquot primariis, opera Madarini, cui nomen Ange- Regiæ domus ad Chriſti fidem conuerſio.

Digitized by Google

lino, & Patris Andreæ Xauier Germani,templumque intra aulam nunc Chriſto ædificatur,vt nuper accepimus ex literis Goæ datis, quæ peruenerunt Vliſſiponam menſe Maio anni. 1650.

CAPVT XXIX.

Imperij Chinæ auſtrales prouinciæ.

1. QVæ prima occurrit è Regno Tunquin diſcedenti, Imperij Chinenſis prouincia appellatur quantum vulgo Canton: Vaſtæ amplitudinis eſt, largiter abundans frumenti & oryzæ, quæ bis & ſeritur, & legitur quouis anno, ſaccharo pariter, ferro, ære, & ſtanno. Populus induſtrius eſt, licet inuenta ab aliis felicius imitetur, quam ipſe inueniat, quod ſit potior manu quam ingenio. In litore non longe à Tropico ſinus eſt maris, in quo plures Inſulæ, quarum maxima dicitur Amacaënſis,ab exigua eius inſulæ peninſula, ad habitandum Luſitanis primum conceſſa. In ea idolum erat, quod hodieque viſitur, cui nomen Ama, inde locus Amacao appellatur; quaſi dicas ſinum Amæ. hic deinde ſcopulus habitari cœptus nō à Luſitanis ſolū,ſed etiam ab omni vicinarum gentium colluuie propter nobile commercium rerum omnium, quæ vel ab Europa, vel India, Molucisue inſulis nauibus Luſitanis vehebantur frequentatus. Quin etiam lucri cupiditas ipſos Chinas ad cohabitandum inuitauit, indeque annis labentibus vrbs paulatim extrui cœpta, non ſolum cum Chinis commercia, ſed etiam connubia Luſitani contraxere, atque ita vniuerſam peninſulam ædibus priuatis oppleuere vt è ſterili ſcopulo nobile in paucis emporium aſſurrexerit.

Canton prouincia.

Amacaenſis inſ. & vrbs.

2. In hunc ſinum euoluitur fluuius qui à ciuitate prouinciæ totius Metropoli Cantonenſis dicitur. Eius origo è monte Muilin toto regno celebri, quòd medius ſit & limes celeberrimarum regni prouinciarum Quantonis & Nanchini in vtramque celeberrima duo flumina immittat, & præterea tranſitus toto regno maxime frequens quo viatores, equis & ſella geſtatoria baiulorum humeris deportentur. Cætera iumentis, baiuliſque ad ſtuporem prope innumeris,tanto cum ordine, vt breuiſſimo tempore complurimi mortales cum ſarcinis in negotioſiſſimas has ciuitates tranſmittātur. Mons communis eſt vtrique prouinciæ, quarum diſcrimen ingens eſt porta inter prærupta ſaxorum extructa. Inuius olim erat, ſed

Mons Muilin.

ſed ars, & operæ peruium reddiderunt. Iter vniuerſum ſaxis ſtratum, & arboribus conſitum hoſpitiis ita frequens vt nocturnis æque ac diurnis horis commeare commode poſſis ac ſecure: neque enim militum excubiæ, & viatorum frequentia latrociniis locum relinquit, ſed neque imbres vſpiam iter claudunt torrentibus demerſum. In montis apice fons aquæ potabilis ſcaturit. Ibidem & fanum perelegans, & fano additum militare præſidium. Hinc in vtramque prouinciam liber eſt & longe gratiſſimus proſpectus. *Iter celeberrimum.*

3. Vrbs primaria huius prouinciæ dicitur pariter Canton, licet proprie appelletur Guamchenfu, ſita præciſe ſub gradu 23. latit. Borealis 105. paſſuum millibus remota verſus Occidentem ab vrbe Amacao ad ripam prædicti fluuij: nulla in toto regno ciuibus frequentior, nec in qua ſit emptionum, & venditionum maior vſus cum peregrinis, qui è ſex proximis regnis frequentes confluunt ad nundinas, nec non cum Luſitanis, qui mercaturam hic faciunt prædiuitem.

Cantonenſi prouinciæ circa 25. gradum ad eundem fluuium contermina eſt alia prouincia dicta Quam-ſi, quæ vix quidquam habet peculiare in quo differat à præcedenti: *Quam-ſi.* Eius Prorex reſidet in vrbe Canceu, poſtquam tranſmiſſum flumen aliud ſeſe Cantonenſi immiſcet, & eius auget magnitudinem, inde in locum deuenitur in quo frequentes ſcopuli toto fluuio ſparſi frequentia naufragia cauſant, quod aquarum vortices ita ſint rapidi, vt niſi habeas peritiſſimos Nauarchos, nauigia fluminis impetu rapta ad ſcopulos allidantur, is locus à torrentibus 18. Sciapathan nomen inuenit. *Canceu.*

4. Inter hanc prouinciam & litus maris eſt Fuchianana prouincia, alio nomine Chincheo dicta ad 26. gradum latit. Borealis extenſa, incultior quidem propter rigidiores quoſdam colles, in quibus reperitur aurum puriſſimum. Abundat tamen ſaccharo, & cannabe, quo texuntur omnes telæ, quod lino deſtituatur China; Papyro item omnis generis, quod iam ex antiquo vigeat in ea Ars Typographica, etiam multo ante quam in Europa illius eſſet vſus. Frequentes in eius litore ſunt nauales mercium ſubuectiones ad Bellam inſulam quæ ipſis pene in oculis eſt, indeque in Iaponiam & Manilam. Plurimi in ea ſunt Chriſtiani in decem Eccleſias tributi, quarum præcipuæ in metropoli Fucheu, & Cicumcheu. Huic ſuccedit alia verſus Boream prouincia Cequiana, Ver. Cakian ſecundum litus maris extenſa ad 30. gradum; innumeri in ea texuntur Serici panni, qui hinc ad *Chincheo.* *Abundat auro & ſaccharo.* *Lino caret China.* *Ars Typographica.* *Caxian.*

Cantonenſes nundinas vehuntur, nec aliud pene ex China Sericum extrahitur. Vrbs Scian hinum etſi Metropolis non eſt, inter primarias eius tamen numeratur, nobilis commercio, ſitu, ingeniis, & literarum turmis fortunata. Metropolis Hamcheu appellatur. In vtraque habemus templum celebre, & frequens. Fluuij plures ſunt & placidi, adeo vt ipſas vrbium plateas rigent. Inter gratiſſimos qui ſint toto in orbe lacus celebratur Sihu, cuius ambitus leucas ſex continet, vallatus ex omni parte palatiis magnificis, & collibus gratiſſima, arborum omnis generis viriditate conſpicuis. Aqua profluens eſt adeo pellucida vt ſe in ea omnes circumſpiciant; & adeo limpida vt minimas quæ ſunt in fundo arenas & lapillos diſtinguas. Sunt Chomata & aggeres plurimi è lapide ſtructi, quibus per medium diſtinguitur in gratiſſimas ambulationes, ſunt & nauigia iuſtæ molis ad relaxationem animi comparata, nec non ad celebranda conuiuia: res culinaria in vtroque extremo exercetur, aula ambulatoria & cœnatoria medium occupat, auro & picturis ex omni parte diſtincta, & ſuperior contignatio ductilibus velis cincta eſt pro iis qui videre cuncta, nec tamen optant videri.

Hamcheu.

Sihu lacus.

5. Vlterius pergendo verſus partes Boreales deuenitur ad Prouinciam Nanquinum, quæ Imperij Chinici flos eſt gratiſſimus. Pars eius Occidentalis gratior eſt Orientali, tam multi in ea Goſſipini texti lintearij numerantur, vt in ſola vrbe Xanuchi eſſe ducenta millia credantur. Hanc partem perlabitur nobiliſſimus fluuius Yamſu ſeu Yambukan dictus, quod filium maris ſonat, multis in locis ad duo triave milliaria eius latitudo excurrit, fons emicat in celebri monte Muilin, de quo ſuperius Huius verticem, ſeu portam, quæ in ſummo, & vbi tranſmitti aliquantiſper in Auſtrali diuerſorio Manghan tantiſper quieſcis, & ſubiectæ prouinciæ Nanquini frueris iucundiſſimo aſpectu. Mox reperitur fanum idolorum in quo nautæ & viatores ſolent diſcriminis feliciter enauigandi fortunam idolo commendare. Non vacat enim ea nauigatio periculo & procellis ſuis, mareque parentem ſuum imitatur. Hinc deuenitur in ciuitatem Chiengan nobilem & populoſam. Inde Nanquinum metropolim, quæ ſita eſt in gradu 32. cum 15. minutis. Vix extra metropolim nauigatur cum occurrit viatoribus lacus magnitudine ſua viſendus. In omnibus in orbem ripis quantum oculi poſſunt aſſequi, innumera ſunt oppida, villæ, vici, caſtella. Hinc in prouinciam Fuchien, & inde ad mare tranſitus eſt. Inter cætera oppida vrbs eſt cui nomen Mancan ad pedem montis

Nanquinum.

Yamſu fl. id eſt, filius maris.

Chienga.

Fuchien.

Mancan.

Digitized by Google

montis Liu appellati In eo monte varij ſunt Anachoretæ,qui ſinguli in ædicula ſua, corporis afflictationibus maxime inſudant. Ædiculas iſtas tot eſſe ferunt quot dies continentur in anno,& inter prodigia ferunt, ſereno vbique cœlo, hunc montem nubibus ſic tegi,vt è lacu nunquam poſſit conſpici. Anachoretæ in China.

CAPVT XXX.

Nanquinum altera vrbs Regia.

1. SEd priuſquam ex hac prouincia diſcedamus, eius vrbs primaria paulo fuſius eſt deſcribenda. Fuit olim Nanquinum multis ſæculis antiquorum regum ſedes plane percommoda, in medio regni ſita, ſi latitudinis tam habeatur ratio, nunc communi nomine Iatienſu appellatur, plurimi exiſtimant eam totius orbis & maximam & pulcherrimam, plena eſt maximis palatiis, fanis, turribus, pontibus Excellit cœli clementia, ſoli feracitate, ingeniorum bonitate, morum ſuauitate, ſermonis elegantia, & incolarum multitudine. Trium murorum circuitu cincta eſt. Primus eſt regij palatij ſane ſuperbiſſimi. Illud quoque triplici muro cingitur in arcis modum, & foſſis, quas aqua oppleuit in gyrum excauatis. Illud intra quinque circiter Italicorum miliariorum circuitum in orbem patet,ſi eius omnia cum omnium regum palatiis comparentur, nullũ eſt in orbe quod ipſum ſuperet. *Trigant. l. 3. c. 10.*

Alter murus cingit ipſum denuo palatium, & maximam, ac præcipuam vrbis partem; portis autem 12. interrumpitur, quas laminæ ferreæ armant,& bellica tormenta è regione intra vrbem conſtituta muniunt, hic murus alter 18. Italica milliaria ſuo ambitu complectitur. Tertius murus externus non eſt vbique continuus, eius autem circuitus talis eſt, vt ſubmiſſi in equis duo, alter hinc, illinc alter, non niſi ſub occaſum Solis conueniant. Cum vero figuræ ſit circularis, quæ omnium Iſoperimetrarum capaciſſima eſt, licet coniicere quanta ſit areæ huius vrbis vaſtitas; & licet intra muri huius ambitum magnæ ſint nemorum, hortorum, montium, & lacuum intercapedines, maxima tamen illius pars frequentiſſime habitatur. Præſidiarij milites ſolam vrbem ad quadraginta millia cuſtodiunt. Flumen Yamſu eam ab occaſu perluit, ſubitque pluribus canalibus, quibus nauigia etiam maiora in vrbem ingrediuntur. Extra tres illos muros ager ſuburbanus ita late patet ac frequenter habitatur, vt altera vrbs prægrandis poſſit appellari.

Digitized by Google

2. Ad vnum ciuitatis latus intra muros mons eſt ſublimis, in cuius ſummo area patet in latum contemplandis ſyderibus aptiſſima, in cuius ambitu ædes magnificæ à Mathematicis habitantur. Ea in area qualibet nocte oportet ex iis vnum excubare, & cæleſtia omnia Phænomena vel cometas, aut incenſos in ſuprema orbis regione ignes obſeruare, de quibus deinde Regem moneat, & quid vnaquæque res portendat exponat. *Ex Trigant. l. 4. c. 5.*

Mathematicis deputata domus.

Mathematicæ machinæ.

In area viſuntur opere fuſili machinæ Mathematicæ ſua vel magnitudine, vel elegantia viſendæ, quibus ſane ſimile quidpiam Europa tota nihil habet. Ea iam annos 250. imbres, niues, ac reliquam aëris inclementiam ita patiuntur, vt nihil omnino de priſtino ſplendore amiſerint. Prima ingens eſt globus ſuis meridianis gradatim, paralleliſque diſtinctus, tres viri vix ambitum amplectebantur: In immani cubo item ex ære ſuper axem ſuum inſidebat, in cubo porta erat exigua, ſed quæ intrando ſufficeret ad ipſum globum cum opus eſſet rotandum: In eius externa ſuperficie ſculptum omnino nihil, non ſtellæ, non regiones, vnde apparet aut nondum fuiſſe finitum, aut ſtudio ita relictum, vt globi cœleſtis ac terreni vicem obtineret.

Globus ingens.

Globus armillaris.

Altera machina erat Sphæra, cuius diameter erat vnius paſſus geometrici, horizontem habebat & polos, circulorum vicem ſubibant armillæ duplices, inter quas quod vacuum erat ſpacium ſphæræ circulos repræſentabat. Hæ omnes in 365. gradus & minuta pauca diuidebantur, in cuius medio terræ globulus nullus videbatur, ſed tubus quidam ad inſtar ſclopeti perforatus, quem quaquaverſum voluere & quolibet in gradu ac eleuatione ſtatuere erat facile, ad explorandas eo tubo, velut pinnulis ſolemus, ſtellas quaſlibet.

Gnomon.

Tertia machina erat Gnomon altior duplo ſuperioris machinæ diametro, ſtatuta in ingenti marmore ac prælongo ad Borealem plagam, tabula autem lapidea, canalem habebat in ambitu, vt aqua in eum canalem iniecta, exploraretur, eſſet ſaxum in plano, nec ne, & ſtylus, eo modo quo in horologiis ad perpendiculum collocatus, ſaxum autem, & ſtylus in ſuos gradus diſtribuebatur.

Aſtrolabia.

Quarta, & omnium maxima è tribus, quatuorve Aſtrolabiis ingentibus iuxta ſe poſitis, & ſingula geometricum paſſum in diametrum ferebantur, cum linea fiduciæ, & dioptra, ex iis vnum æquatorem in Meridiem inclinatum referebat, alterum quod cum ſuperiore crucem referebat, in Septentrionem & Auſtrum quaſi eſſet meridianus, tametſi in gyrum

gyrum voluebatur: alterum erectum ſtabat in Meridiem. Et hæc omnia gradus ita diſtributos habebant, vt in ſingulis ferreos modulos prominentes haberent, vt etiamque noctu manuum fide gradus ipſi ſine luce palparentur. Tota autem hæc Aſtrolabiorum machina in area quoque plana è marmore cum ſuis in gyrum canalibus ſtatuebatur. Exiſtimantur hæ machinæ conflatæ ab aliquo externo perito diſciplinarum noſtrarum tempore quo Tartari Sinis imperitabant. Cæterum qui tunc audiebant Mathematici, erant ſumme imperiti omnis Matheſeos, terram enim cenſebant quadratam; in eam diem inauditam Lunæ defectionem expoſita inter Solem & Lunam terra prouenire, & nouum tunc Solem vniuerſum terræ globum magnitudine ſuperare.

CAPVT XXXI.

Prouinciæ Boreales.

Aluarez. Semedo.

1. CHinæ Boreales, natura hebetiores aliquanto Auſtralibus, ſed militari virtute ſuperiores. Superius commemoratis adiacet Honam prouincia ad 35. gradum latitudinis Borealis ſita, benigna producendis fructibus totius orbis longe ſuauiſſimis, & copioſiſſimis, centum Armeniaca mala obtinebis pro vno quatrino cum medio. In ea degit vnus è filiis Regis Fouan, qui vltimus è regia parentis digreſſus eſt, nihil ipſi ad magnificentiam & autoritatem regiam deeſt præter libertatem. Metropolis prouinciæ appellatur Caiſum, in ea ab aliquot annis ædem diuino cultui dicatam habemus, quam plurimi frequentant Chriſtiani.

Honam. *Caiſum.*

Mox ad occaſum, & ad Septentrionis gradum 36. in planiciem vt plurimum porrecta ſeſe offert prouincia Xemſi, benigna paſcendis pecoribus fœcunditate, quorum lana deſecatur ter quouis anno, vere ſcilicet, æſtate, & autumno: è craſſiori texitur pannus, qui per totum regnum diſtrahitur, ſicut & è pilis caprarum cilicinæ veſtes raſæ plurimæ, & panni haud pauci, quibus veſtiuntur domorum parietes.

Xemſi.

2. Quod autem huius prouinciæ proprium eſt, & peculiare moſchos eſt gratiſſimi, & vere regij odoris, qui vmbilicus eſt animalis, quod exiguo ceruo perſimile eſt. Aurum præterea, & argentum, quorum plurima grana leguntur in fluminibus, neque enim permittit Rex vt aperiantur quæ ſunt in hac parte frequentes fodinæ. Rhabarbarum frequens quod hinc in Indiam, Perſidem & Europam exporta-

Moſchos vmbilicus exigui cerui. *Rhabarbarum.*

Digitized by Google

tur, ſicut & ſuffimenta varia. Denique in hac prouincia ſunt vrbes Cancheu, & Sucheu, quæ celeberrimæ ſunt huius Imperij portæ, quibus illud celeberrimæ illę cateruatim è regno Mogor & Tartaria aduentantes Carauanæ legationes regum Rumæ, Arabiæ, Cabul, Samarcandæ, & Turſan, qui Catayam vocant hanc Chinæ partem. Plura ſunt in his partibus reperta fidei Chriſtianæ antiqua monumenta, & Eccleſiam nunc in eius Metropoli obtinemus.

Portæ, ſeu aditus in Chinā quibus eam ſubeunt legati Occidentalium partium.

De ea re vide Trig. l. 4. c. 3. Vbi de Cataio ex profeſſo.

Xantum.

Xantum prouincia eſt inter Nanquinum & Pequinum media, inops propter frequentes locuſtas, quæ omnia aliquando corrodunt: Abundat tamen fructibus, maximeque piris gratiſſimi ſaporis, quæ per omnes regni prouincias diſtrahuntur.

Pechinum olim Cambalu.

3. Pechinum prouinciæ, & regni Metropolis, Xunthienfu proprio nomine eam appellant Chinæ, Tartari vero, qui Cataia, hoc eſt China potiebantur quando in eas ſe contulit partes Marcus Paulus Venetus, Cambalu vocabant, & nunc vocant. Sita eſt in extremo regno ad Boream, nec abeſt à nobilibus illis contra Tartaros muris niſi centum milliaribus. Ad auſtrum duobus muris cingitur altis, ac fortibus, quorum ea eſt latitudo, vt facile currentes equos 12 ſimul capere poſſit, nec alter ab altero impediatur. Conſtant illi ex opere lateritio, niſi quod in pede ſaxis ingentibus tota murorum moles inſiſtit mediis in mœnibus, pro lateribus terram iniiciunt, altitudine vero non parum ſuperant eos quibus Europæ vrbes aſſurgunt; In iis nocturnis horis à militum turmis non minus vigilatur, quam ſi omnia arderent bello. Regium palatium auguſtius eſt aliquanto Nanchinenſi, ſed anguſtius amœnitate & ſplendore compenſat. Vrbis vici Pechini perpauci lateribus aut ſilice ſtrati ſunt, hinc tempore hyemis lutum, æſtate puluis, vtrumque moleſtiſſimum, incedentes æque fatigat, vixque vllus eſt è quouis ordine, qui pedibus vel equo incedat ſine velo, & pileo ad pectus vſque pendente & faciem contegente, quod etſi oculis penetretur, non tamen à puluere.

Murorum latitudo.

Velati incedunt propter puluerem.

Vrbs abundat omnibus rebus, ſed fere importatis, quod ſterilior ſit Pechinenſis prouinciæ ager. Omnia vero deuehuntur nauigiis, quæ vocant Equos, quibus præſunt Eunuchi Regij, & grauibus pœnis mulctantur, niſi præſtituta die appellant. Ligna autem in focum cum maxime deſint, vtuntur bitumine effoſſo, lectos vero opere lateritio ita conſtruunt, vt ſecretis fiſtulis calorem admittant & communi hypocauſto, acrius enim hic longe eſt frigus, quam ſit alibi in eleuatione

Trigaut. l. 4. c. 2. & 3.

Hypocauſta mira.

tione graduum 40. Congelatos enim amnes abſque vllo periculo tranſmittunt currus onuſti.

4. Ad Occidentem Pechini ex parte ſub parall. 38. ſita eſt prouincia Quincij montibus aſperior, propterea que inops frumenti, orizæ, & maizij, verum tam læta vineis & paſſis vuis, vt toti regno ſufficiant, & vero hic tantum vini exprimimus, quantum ſatis eſt pro ſacrificiis Miſſæ quæ celebramus in toto regno. Vnum autem eſt in ea parte dignum memoria, ſcilicet quod ſicut puteos habemus, ex quibus aquam haurimus, ita illi ignitos ad vſus domeſticos, vbi enim terram vel leuiter aperuere, incidunt in ardentes ſulphuris venas, quæ tantum conferunt caloris, quantum ſatis eſt ad elixationem carnium. Quincij. Vinum. Putei ignis.

In vrbibus Chiamcheu, & Phucheu, Eccleſias habemus virtute, & nobilibus illuſtres.

Aluarez. Semedo. Vltima prouincia ad Boream ſita quibuſdam dicta Grinſem aliis Lealotum, commendatur propter radicem, cuius ea vis eſt, & efficacia, vt mirum in modum vigorem augeat iis qui validi ſunt, & ſani, ægros vero foueat & liberet ægritudine vt plurimum, pretium illius rependitur duplo pondere argenti: excurſionibus Tartarorum pene tota vaſtatur. Neque ipſorum impetus poteſt ſiſtere murus ille fama celebrior, quod in nongentas leucas excurrat in longum, quam vtilitate quod miſerandum in modum pleriſque in locis ſit nunc afflictus & proſtratus. Trigautius ducenta ipſi tantum tribuit milliaria. Grinſem. Lealoti radix vigorem auget plurimum.

CAPVT XXXII.

Populi trans murum Chinæ ſiti.

Ex Itinerario Benedicti Goes. 1. CHinam circumſtant regiones, locorum immanitate vaſtiſſimæ, ad Occidentem quidem Saraceni regni Cialis, ſic dicti ab vrbe quidem exigua, ſed bene munita quam non ita pridem moderabatur Regis Caſcar filius illegitimus. Ab ea vrbe itinere dierum viginti diſtat Pucian eiuſdem regni oppidū: hinc in Turphan munitum oppidum peruenitur. Inde in Aramuth: hinc in Camul munitum quoque locum, qui terminus eſt regni Cialis. E Camul autem diebus nouem ad Boreales regni Sinenſis muros deuenitur ad locum, qui Chiaicoun appellatur, vbi expectanda proregis eius prouinciæ ingrediendi facultas, qui ipſis tanquam exterorum principum legatis eam concedit. Quidquid au- Cialis. Caſcar. Camul. Chiaicoun.

Digitized by Google

tem Chialis inter ac Chinenſis regni terminos iacet, Tartarorum incurſionibus infame eſt; ideo negotiatores magno per hæc loca metu procedunt noctu. Hi Tartari neque frumento, neque oriza, aliove legumine veſcuntur, dicentes hoc iumentorum eſſe non hominum pabulum. Sola igitur carne veſci ſolent, nec ab equis, mulis, aut camelis abhorrent, & tamen fama eſt, eos diutiſſime viuere & fere annorum 100. excedere ſenectutem.

2. Saraceni populi Chinæ, quam vocant Cataiam, contermini, imbelles ſunt & à Chinis nullo negotio ſubiici poſſent, ſi de ſubiiciendis ſibi nationibus laborarent. Eſt præterea ampliſſimum regnum de Sopo, quod ex vna parte confine cum China, & ex alia cum Moſcouia, & vaſtam eam partem Aſiæ complectitur quam dicimus magnam Tartariam. Subditos ſibi dicitur habere reges plures centum, inter quos non cenſetur Rex Catayæ, quod non ſit regnum, ſed ampliſſima tantum vrbs Metropolis prouinciæ, quæ proxima eſt Sinæ, cuius Dominus eſt magnus Imperator de Sopo. A qua forte ipſa fuit China dicta Cataia, & quando China potiti ſunt Tartari, qui eam regiam Pequinum Cambalu tunc appellabant.

Sopo regnum.

Hæc ſcripta ex regno Tibet, quæ cum repugnent, iis quæ dixi proxime expectandum donec certius quid audiam.

CAPVT XXXIII.

De Regno Coria.

1. CORIA regnum Chinenſi vectigale, ſitum eſt in peninſula quæ dirimitur à China, Boſphoro 3. non amplius leucarum, 80. vero à Firando vrbe Iaponiæ. Patet in longum leucis 100. lata 60. Incolæ ſunt præualidi, & firmiores viribus quam Chinę. Lingua quantumuis diuerſa vtantur à Chinenſi, cum iis tamen venalium rerum habent commercia, eorum ſequuntur leges, & ſimili vtuntur veſte. Bombycino textrino nauant operam, & opus ſuum polite excolunt, Regio plana eſt, quæ vbertim profert oryzam, frumentum, pyra, ficus, caſtaneas, & plurimum mellis. Reperiuntur etiam auri, & argenti venæ. Equos habent valentes tam militares, quam iugarios, armenta Boum, Tigres aliaque animalia. Incolæ albi ſunt, valent ingenio, & nacti ſunt indolem recti ſua ſponte amantem. Regem habet, quem & amant, & reuerentur. Munitiones in eo paucæ, præterquam in finibus Iaponiæ, in quibus validiora ſunt caſtella quædam Fuſancay, Foquinangi, maximeq; regia vrbs Coray. Abundant tormentis bellicis, & nitriato puluere. Quibus in locis frigidior eſt aura. Vtuntur hipocauſtis & canalibus ſubterraneis, non ſecus quam Chinę Boreales, de quibus diximus.

Hipocauſta.

LIBER

Digitized by Google

LIBER OCTAVVS.

CAPVT I.

Eoum pelagus, & inſulæ in eo.

O quantum terræ! quantum cognoſcere cœli
Permiſſum eſt! quantum æquor reſeratur in vſus.

1. IN Oceano immenſo, qui inter Americam & Aſiam extenditur, orbem pene alterum ad 4. partes ante notas, quinto loco addendum, aperuit nobis ſeculum proxime elapſum. Enimuero hic tantus eſt inſularum numerus vt ex relatione nautarum 12700. duodecim mille & ſeptingentas dixerit M. Paulus Venetus, quarum ambitum cum totius Europæ magnitudine non verentur conferre, nouæque in dies aperiuntur, quæ cum latiſſimis noſtri orbis prouinciis non immerito poſſunt comparari. Eoum pelagus vocat Dionyſius locum, vbi primum radiat ſol hominibus, & orto ſole dies eluceſcit, ἠὼς enim ſæpe pro ortu accipitur.

Archipelagus.

Archipelagum vocant plerique, quod nullum in toto orbe ſit mare amplius eo, nullum ſit quod tam multis, & ſplendidis coronetur inſulis, & ex quibus maiores cum diuitiæ, tum deliciæ in reliquas orbis partes traducantur, nullum in quo nauig ndo maior nauticæ artis requiratur peritia : nam in vniuerſum poteſt dici quod propter inſulas, quas circumluit, ſæuum adeo, vaſtum, & vorticoſum eſt, vt totas non raro naues abſorbeat, & ſuper hæc præcipuus nautarum terror Ecnephias Typhon, ſuetus in ea vel maxime plaga furere, nauigiaque cum oneribus, & vectoribus in aſperum litus & ſaxa torquere. Felix habetur nauigatio ſi è tribus nauibus quæ dimittuntur in Iaponiam duæ redeant Vliſſiponam.

Euripi terribiles in Archipelago.

In pleriſque locis, niſi eligatur oportunitas temporis ad nauigandum, pene certum eſt naufragium. Imo occupat ventus marium quidquid eſt Malacam inter & Iaponiam frequens à menſe Maio ad Septembrem quo maxime anni tempore hæc maria nauigantur. In aliis locis puta quadringentis ferme leucis dum à Molucis iter inſtituitur ad Philippinas, in freto Calderio in lat. gr.7. ad Occidentem inſulæ Mindanao

Digitized by Google

Funes anchorarij 27. pollicum fracti.

in Philippinis ſic incitata eſt Euripi aqua, vt anchorarios rudentes craſſitudinis 27. paſſuum non reuellat modo, ſed etiam abrumpat, quamuis aqua propter æſtum vix tribus pedibus ſolito altior aſſurgat. In Iaponia ſimiliter in freto Scimenos equi inter regna Nangato & Amanguci ſic concitatus eſt Euripus vt accedente æſtu videantur naues prætervolare.

Qui ex Philippinis pergunt in nouam Hiſpaniam, aſcendunt ad quadrageſimum vſque parallelum latitudinis Borealis, breuique ad portum Californiæ appellunt. Ex infinitis illis inſulis præſtantiores tantum nominabimus, ampliores, ab hominibus frequentatas, bonum Portum habentes & nautis opportunas.

CAPVT II.

Regnum Ieſo.

1. VTrum inſula ſit, an pars Tartariæ prominens per 600. & plures leucas ab Occidente in Orientem ad fretum Aniam, aut certe ad regnum Quiuira ſub parallelo circiter 50. adhuc incertum, licet rudiorem huius agri topographiam tranſmiſerit ex his partibus Romam anno 1621. Pater Hieronymus de Angelis. Certum tamen ex eius epiſtola primum ampliſſimam eſſe regionem, quam vix licet menſibus quinque ab Occidente in Orientem decurrere.

Deinde ſeiunctam eſſe ab noua Hiſpania Oceano Orientali, ab Occidente vero à Tartaria, exiguo freto, ſed quod in hanc diem tranſmittere auſus ſit nemo, quod aquæ ſint in eo & velociſſimæ, & ſpumoſæ, tam in eius medio frequentes & craſſæ arundines, quæ cedentes aquis & cimbis facile incuruantur, vel ſubſidunt, ſed mox tanto cum impetu reſiliunt vt euerſionis ſit periculum euidens, quamuis tam exigue Iriumi, vt vocant, hoc eſt, freto Teſſoi prouincia huius regionis maxime occidua ſeiuncta ſit à continente Tartariæ, vt hinc liceat oculis diſcernere equos, aliaque armenta, quæ planicie compaſcua vtuntur. Quod mihi in memoriam reuocant ea, quæ de amne ſeu freto Piſida ſcripſi libro 1. c. 3. n. 3. huius operis, quæ poterit lector conſulere. Scribit præterea, nullum hic eſſe Tencadono ſeu Regem, imo nec regulos, quorum dicto ſint obſequentes incolæ, ſed quemque & domus ſuæ, & agri circumpoſiti eſſe dominum. Fluuios hic obſeruari nonnullos tam grandes, & altos, vt in iis interdum Balenæ intercipiantur.

Teſſoi fretum.

Digitized by Google

2. Incolæ præualidi ſunt, & firmis viribus, candidi magis quam Iapones, honeſta ſpecie, cum grata membrorum, & corporis inter ſe habitudine. Ciniput habent raſum, & promiſſam barbam vmbilico tenus: ex auriculæ, quæ ipſis eſt contractior, lobo pendet vel circulus argenteus, vel filum ſericum vnius palmæ. In vinum effuſi ſunt viri, nec minus aliquando potæ mulieres, nec tamen ex ebrietate rationis iacturam faciunt, forte quia abundanti oleo orizam qua veſcuntur, reſpergunt, tuncque apparent ſolito hilariores. Veſtes cum virorum tum mulierum ſericæ ſunt ſimiles Dalmaticis Diaconorum, frequentibus punctis ſericis denſatæ & crucibus roſiſque diſtinctæ: mulieres quo magis gratæ appareant labia pingunt cæruleo, & quinque aut ſex annulis eiuſdem coloris vtramque manum inficiunt. Veſtes ſericæ ſimiles Dalmaticis. Labia cæruleo picta.

Ipſis arma ſunt lanceæ, arcus & ſagittæ veneno infectæ & acinaces. Rixæ ſint licet inter eos frequentes & iurgiorum egregij architecti, vix tamen de ſuis controuerſiis decernunt armis, & cædes raræ. Præcipua vrbs Matſumai appellatur, ſita in litore Auſtrali ad gradum circiter 46. ad Boream Iaponiæ, frequens in ea mercatus piſcium, auium, olei, quæ permutant ſerico, oriza, & ſimilibus. Arma.

Nullam futuræ vitæ, aut diuinitatis habent notitiam; Solem tantum, Lunam, & quædam montium & maris numina, quæ ſibi arbitrantur vtilia, aliqua veneratione colunt, quantumuis nullum ipſis templum vel aram excitent. De his partibus meminerunt etiam Ludouicus Froius Indiæ Occidentalis par. 12. c. 37. fol. 135. & Angli quidam: verum cum verbo tantum aliqua dicant, quæ fuſius ſcripſi ex literis Patris de Angelis, ea repetere abſtineo. Inter regionem de Ieſo, & Saſſimam Iaponiæ inſulam, quædam ſunt inſulæ Liquinæ & Sechies à Luſitanis appellatæ inſigni fertilitate loci nobiles, quas vicinus Siſſimæ Rex victo eorum regulo partis maximis ſpoliis, ſuo ſubiecit dominio. Liquinæ inſulæ.

CAPVT III.

Iaponiæ inſulæ, earum nomen, numerus, ſitus.

1. IAponiæ, ſiue Iapaniæ nomine magnum numerum inſularum intelligimus, quas in extrema Aſia extremoque Oriente anno Chriſti 1539. Luſitani repererunt. Hæ inter ſe alicubi tam prope cohærent, vt cum earum vnâ proprie ſic dictâ, iunctæ videantur, licet intercurſu euriporum, & exi- Nomen. Euripi frequentes.

guorum fretorum à ſe inuicem diuidantur. Extenduntur omnes inter latitudinis Borealis gradum 30. ad trigeſimum ferme octauum in 200. ferme leucas exporrectæ, cui nequaquam reſpondet latitudo, quæ alibi decem, vbi latiſſima eſt, triginta leucas patet.

Perimetrum tamen ipſis aliqui tribuunt ſexcentarum leucarum. Prima, & maxima earum Niphon dicta, hoc eſt maxime Orientalis 40. Satrapias continet. Eam Chinæ appellant Iapan, alij Meacum ab vrbe præcipua regni Tenſæ, illi adnumeratæ ſex minores inſulæ ipſi proximæ Satrapias 53. omnino conſtituunt. Alteram Ximum appellant, hæc Satrapiis nouem cenſebatur, & nobiliſſimas habebat vrbes Vuſoquin & Funaium. Tertia dicitur Xicocum quæ Satrapias quatuor. Inſignis maxime Toſa vrbe regni cognominis, ita Satrapiæ in vniuerſum numeratæ 66. quarum reges iam ex antiquo colebant regem Tenſæ tanquam ſummum omnium dominum. Ab Oriente obuerſa eſt nouæ Hiſpaniæ 150. leucarum interuallo. Ab Occidente aſpicit Chinas varia pro litorum flexu, excurſuque diſtantia, ſiquidem à Promontorio, & vrbe Liampo qui Sinarum regnis ortiuus eſt limes, ad Iaponis inſulam Gotum, quæ prima inde nauigantibus, occurrit leucas numerat 60. Ab Amacao autem occiduo Sinarum emporio vbi Luſitani ferme negociantur ad Gotum leucarum 297. traiectus eſt. A Septentrione, terram Ieſo Cataium, Tartaros Moſcos, alioſque ignotæ feritatis populos. A Meridie vaſto mari interfuſo, inexploratas habet terras, è quibus caſu nautas olim quoſdam in Iaponiam delatos eſſe fama eſt, neque inde ſoluiſſe.

Niphon. Ximum. Vuſoquin. Funaium. Xicocus.

CAPVT IV.

Aëris temperies. Soli vbertas. Metalla. Arbor qua humore moritur, ſiccitate vireſcit, animantium genus omne.

1. CÆli, aëriſque ſalubris eſt temperies, quanquam frigori, & niuibus terra pluſculum obnoxia ſit, & humidior ob frequentes qui hic cadunt imbres, ſolum autem ſterilius, quia montibus, rupibuſque aſperatur. Septembri menſe oryzam (is cibus eſt communis omnium) quibuſdam etiam locis triticum metunt, neque ex eo panes more noſtro, ſed genus quoddam offæ, ſeu polentæ conficiunt. Aquæ bonæ, calidas etiam alicubi, medicos in vſus emicare cognitum eſt.

Ex Maffeio l. 12. Ex itinerario Guilielmi Saris Angli anni 1613.

Aquæ calidæ.

2. Editi

Digitized by Google

2. Editi præruptique montes cum alij paſſim, tum duo præcipua celebritate viſuntur, quorum alter incertæ appellationis aſſiduo flammas euomit, inque eius cacumine certis hominibus, poſtquam voti cauſa diu ſe macerauerunt ſplendida circumfuſus nube ſeſe Cacodæmon oſtendit. Eſt & alter, inquit Guillelmus Saris eques Anglus, apud Ozacam vrbem inter frequentes rupes cæteris eminentior, in cuius parte extrema, quæ & incurua apparet & pendula eſt, trabs ferrea, ex qua bilanx dependet quæ beneficio rotæ dentatæ protruditur, plurimi huc ſupplices accedunt vt fiant ex ea penduli, & peccatorum veniam, vt ſibi perſuadent, obtineant. Qui lancem ingreditur, vt neceſſe eſt, ima petit, altera lance contra ſurſum aſcendente, tum ille dum orditur admiſſa facinora explicare, ad quoduis delictum lanx cum illo aliquantulum aſcendit, donec enarratis omnibus ſceleribus lances in æquilibrio conſtitutæ pares fiant. Præeſt Goguius quidam, hoc eſt Cacodæmon, qui humana indutus ſpecie, perfunctum ex ordine confeſſione ſua abſoluit à delictis, confiteri nolentem euerſa ſtatera in ſubiectas rupes horrore plenas mittit in præceps. Mons dæmonis ardens ſeu Vulcanus. Alius vero dictus confeſſio.

3. E terræ, & montium viſceribus, incolæ varia effodiunt metalla, & longinquas nationes ea merce pelliciunt. Narrat Paulus Venetus, vt in variis Europæ locis plumbo teguntur baſilicæ, ſic regis Iaponiæ regiam ſuo æuo tectam auro fuiſſe.

Arbores vel ad amœnitatem vel ad fructum ferunt, quorum aliqui haud abſimiles noſtris, alij longe ſuauiores, & gratioſiores. Vnius, quæ palmam imitatur, ignoto nomine, admirabile prorſus eſt ingenium, ſiquidem vti perhibent, humorem quemlibet reformidat ſi forte maduerit, contrahit illico ſeſe, non ſecus ac membrana ouilla ignibus admota propius, & marceſcit: remedio eſt: auulſam radicitus in ſole ſiccare, & in vacuum ſcrobem ſcoriam ferri contuſam, vel ſitientem arenam infundere. Ibi poſtquam aruerit, rurſus depacta reuireſcit, ac priſtinum nitorem decoremque recipit. Rami quoque decidui, ſeu defracti ſi clauo ad truncum affigantur, veluti inſiti iterum coaleſcunt. Plurima vero variis locis Cedrus tantæ proceritatis & craſſitudinis vt inde fabri, baſilicarum columnas, & cuiuſlibet capacitatis onerariæ malos efficiant. Arbor quæ humore moritur, ſole vireſcit. Cedri mire proceri.

4. Ex animantium genere, oues, porcum, gallinam, anſerem, fœdaſque alias domi haudquaquam alunt Iaponij tum quod munditiarum apud eos ſumma ſit cura, tum quia Munditiarum ſumma cura.

Digitized by Google

Quæ alunt animantia.

nulla carne libenter veſcuntur alia quam ferina. Campos boum, & equorum militarium armenta: ſaltus,atque dumeta, lupi, cuniculi, apri, cerui, pererrant. E volatilibus, phaſiani, anates amnicæ, palumbes, turtures, coturnices, ac ſylueſtres gallinæ cernuntur. Cum piſcibus abundent incolæ, tum vero fluuiatili trutta & marina, cui honos plurimus. Butyrum neſciunt, oliuo carent, factitio vtuntur è cetis ad littus eiectis: Furfure item hordei vtuntur loco ſalis, quanquam naturali ſale non careant. Pineas tædas, ac faces, alicubi etiam paleas ad lumen adhibent.

Butyrum neſciunt.

Franc. Solier in hiſt. Iaponial. 1. c. 2.

CAPVT V.

Incolæ.

1. EST Iaponum non vt Indorum gens inculta, ſed ingenua, acuta, ſagax, vafra, docilis, acri præ aliis mortalibus memoria, diſciplinis expolita, in bella præceps, appetens laudis & gloriæ, procera ſtatura, & quæ decoro corporum habitu gloriatur. Lenta pleriſque viuacitas, firmæ vires, in ſexageſimum vſque annum militaris ætas extenditur. Maledicentiam, furtum, periurium, aleandi libidinem oderunt. In lucem editi, vel hyeme ſumma protinus lauandi ad flumina deferuntur. Ac vbere auulſi venatu exercentur & procul à matre ac nutrice locis habentur aſperis, quod ita ſentiant nulla re magis infringi animos, quam molli, ac blanda educatione, mortalitatis incommoda, famem, ſitim, æſtum, algorem, vigilias, laboreſque admirabili patientia tolerant. Barbam alunt modicam: in capillo varius eſt mos, volſella depilant, pueri ſinciput, plebei & ruſtici dimidium caput, viri nobiles totum ferme, paucis ad occipitium relictis capillis, quos attigiſſe quempiam contumeliæ loco vel maximè ducitur. Storeis culcitræ in modum tumentibus, nitidiſque pauimenta conſternunt, in iis & ſomnum ſubiecto ceruicibus lapide vel tigillo, & cibum capiunt genibus nixi, cruribus inſidentes. Cænationem intrant excalceati ne cataſtromata calcando coinquinent. Tenuiores ad mare preſertim victitant herbis, oryza, piſce. Diuites ornant ſplendide atque apparate conuiuium in ſingula fercula, ſine linteis, aut mappeis, mutatur ſua cuique conuiuæ menſa è cedro pinuve, palmi fere altitudine binum dodrantium quadro, nitidiſſima, lectiſſimis diſtincta coloribus, cibi conſerti in pyramidem conſtruuntur auro conſperſi, cupreſſinis ramulis

Virtutes ac vitia.

Ex Maff. lib. 12 hiſt. & Sacchinon hiſt. Soc. l. 2. n. 115. in Borgia.

Educatio qualis.

Somnus.

Cænatio.

ad

Digitized by Google

ad gratiam prominentibus, nonnunquam etiam roſtro, pedibuſque inauratis aues integræ nobilibus patinis inferuntur. Hoſpitem, & conuiuam hilare ac libenter accipiunt, conuiuandi, ac propinandi multas habent leges cum ritibus exquiſitis, quas ſinguli diligenter obſeruant. Paxillulis duobus inter edendum ita ſcienter vtuntur, vti neque excidat quicquam, nec digitorum terſu opus ſit. Vſum vitis ignorant, oryza exprimunt vinum, ſed ipſi quoque ante omnia delectantur hauſtibus aquæ pene feruentis inſperſo puluere Chia. Potus.

2. Sermo Iaponum vnus, & communis eſt omnium, ſed ita varius idem, & multiplex, vti plures haud immerito videantur eſſe, quippe vniuſcuiuſque notionis ac rei multa vocabula ſunt, quorum alia contemptus, alia honoris cauſa, alia apud Principes, alia apud plebem, alia denique veri, alia fœminæ vſurpant. Ad hæc aliter loquuntur ac ſcribunt, & in ipſa ſcriptione aliter epiſtolas, aliter volumina, libroſque conſcribunt, habent autem plurimos, tum ſoluta oratione, tum elegantiſſimo verſu conſcriptos: porro notis vtuntur eiuſmodi, quarum ſingulæ ſingulas, vel etiam plures dictiones Ægyptio, vel Sinenſi more continuant. Armis autem apprime dedita gens, ea ſunt præter ferream fiſtulam, arcumque & ſagittas, gladius incuruus, & pugio (queis ab 12 ætatis anno ſeſe præcingunt) tam egregia chalybis temperatura, vt ferrum noſtrum acie propemodum illæſa diffindat, accedit pilum auro, argentoque bracteatum, falce præfixum, haſtis item egregie vtuntur, quæ noſtras leuitate & longitudine ſuperant. Sermo. Scriptio. Arma.

Initium Iaponici anni petitur ex noua Luna, quæ in ſeptimum Februarij diem incidit, vel proxima ei fit. Annus.

CAPVT VI.

In elegantiis, & conſuetudinibus quam diſcrepent Iapones ab Europæis.

1. NObis dentium in candore, illis, quod mirere, in ipſa nigritie decor eſt, itaque atro quodam eos pigmento identidem inficiunt. Nigrities dentium.

Aquam nos gelidam, illi calefactam, æſtate pariter & hyeme potant.

Digitized by Google

Albus color in luctu.

E coloribus feſtum habent nigrum, & puniceum, albus in luctu eſt.

Equum nos ab læua, illis à dextera conſcendunt.

Inter ſalutandum nos caput, illi perleui crepidarum, vel ſandaliorum excuſſu pedes aperiunt.

Aduenienti amico nos adſurgimus, illi ſubſidunt.

Nobis gemmæ, illis ferrea vel fictilia vaſa in honore ſunt.

Nos dulcia, & bene cocta, illi ſalſa,& acria & cruda ægrotis apponunt, nos pullos & altilia, illi piſces, atque conchylia.

Pharmacis nos ferme olidis & amaris, illi perquam ſuauibus, & odoratis vtuntur.

Nos crebro ſanguinem, illi nunquam eliciunt.

Plurimi iam in Europa nobilitati diuitias, & vtilitatem honeſtati præferunt. Paupertas apud Iaponios nemini probro aut dedecori eſt. Patriciis vel egentibus ſuus manet honos haud minor quam diuitibus, & opulentis: nec diuitiæ tanti ſunt apud eos, vt nobiles, quamuis pauperes, vllis adduci conditionibus poſſint vt cum plebeiis, vel ditiſſimis connubia iungant.

CAPVT VII.

Religio Iaponum.

1. VEnerabantur olim Iapones Deos tantum ſuos, & quaſi domeſticos è regibus priſcis vel hominibus aliqua re memorandis in diuinitatem adſcriptos, neque enim eos alia ab his, quam vitæ huius emolumenta orabant, bonam ſcilicet valetudinem, liberos, opes, & ſimilia horum. Hique ſunt Dij, quos Cames appellabant. Poſtea Xaca homo quidam verſutus è regno Sionis ad finitimos, poſteaque in Chinam, ac demum in Iaponiam perueniens, Amidam quemdam prædicans, mentione vitæ futuræ illata multa volumina ipſis tradidit, in quibus plurima continentur ridicula, planeque contraria inter ſe, quorum ſumma eo redit, vt pœnas ac præmia poſt mortem homines maneat. Hinc tam infinita apud eos ſuperſtitionum genera extiterunt vt eodem ſub tecto vir aliam, aliam vxor, aliam quoque liberi ſectam ſequerentur, aliique Cames colerent alij

Cames, Dij.

Xacæ

Digitized by Google

Xacæ deliria Hoc in ſtatu erat Iaponia, quando Xauerius quam gens docilis eſſet,& cum ipſis exercere commercia Luſitanos audiens erubuit,ſcilicet prius alios quam Chriſti nuntios ad eam penetraſſe. Reſeruarat hanc noſtræ Societati prouinciam Deus, & Iaponum Eccleſiæ ſupparem Apoſtolis Xauerium, qui anno Chriſti 1549. ipſa die aſſumptæ in cœlum Virginis Deiparæ naui Cangoximam appulit, quæ vrbs in regno Saxumæ potiſſima eſt. Illico Euangelij facibus, vt Solem Iuſtitiæ ipſis aperiret, prima cura ipſi fuit integerrimæ vitæ exemplo prælucere omnibus, tum Bonziorum (ſic appellant ſuæ ſuperſtitionis ſacerdotes) auctoritatem partim adiungere ſibi, partim obterere, quod vtrumque difficulter quidem, ſed tandem magno cum honore feliciter obtinuit. Mox impetrata poteſtate prædicandi Euangelium à Rege Cangoximæ, rudimenta linguæ Iaponicæ, quanquam difficillimæ, celeriter deuorat, ac paucorum menſium ſpacio ciues amplius centum Chriſtianos facit: noſtræ fidei capita in Iaponicam linguam conuerſa incredibili ardore, cum pronunciaret Chriſti facta, & acerbiſſimos eius cruciatus, indignamque necem, tanto cum animi ſenſu repetebat, vt ſibi non poſſent Ethnici à lacrymis temperare. Mortuam deinde puellam ab inferis cum excitaſſet, leproſum ſanaſſet, atque his ſimilia ſubinde patraret, Chriſti grex, & Francisci nomen non mediocriter auctum.

Cangoximam appellit Xauerius.

Bonziis prædicat.

2. Amangucij poſtea in vrbe ampla, eius partis, quæ proprie Iaponia dicitur, Euangelium eodem modo quo prius diuulgat ore, vultu, oculis, & velut inſanum magna puerorum, vltimæque ſortis hominum turba licet proſequatur, & illudat, æquo tamen lætoque illa ferens animo, plus ferendo, quam dicendo profecit, à Dynaſtis domum accerſitus, ipſi Regi Euangelium prædicat, quo audita reſpuente, æquioribus populi animis vſus eſt. Hinc Meacum vrbem totius Iaponiæ longe clariſſimam vt poſſit adire, equiti ſe famulum adiungit, pedibus ex niuis & algoris iniuria intumeſcentibus, grauiter laborat, crebro etiam curſu & ſarcinarum geſtatione fatigatus, fallente veſtigio interdum corruit, oryza emendicata vitam tolerat, ſuperatis omnibus his difficultatibus in oppidis, in pagis, in nauigiis per quæ tranſit, exagitatur vt ſtultus, poſt duos menſes itineris incolumis peruenit in vrbem, à cohorte regia illuditur.

Amangucijs.

Meacenſibus.

Virtus.

Digitized by Google

3. In compitis ad circumfuſam multitudinem verba faciens lapidibus appetitur. Amangucium pari fere labore reuerſus, ſplendore veſtis aditum ſibi facit ad Regem, dona Regi offert, oblata à Rege repudiat, Fernando Franciſci ſocio in triuio concionante ad plebem Iapon collectam in ore ſaliuam in concionantis os iniicit. Eam ille contumeliam adeo patienter tulit, vt nihil omnino commotus, quidam è concione in animum induxit ſuum, à viris tanta virtute præditis non poſſe religionem niſi ſanctam afferri; & poſtmodum fuit baptizatus.

Patientiæ mirũ exemplum.

Huius deinceps exemplum alij ſunt ſequuti, inter quos Laurentius quidam Luſcus, qui etiam adſcriptus Societati egregius deinde concionator extitit.

Primus in Societatem adſcriptus Iapon.

Plurimi deinde familiaritate Franciſci deuincti, cum ipſi vltro aperuiſſent ſectarum omnium deliria, inter quæ perſuadebant ſibi Xacam & Amidam duo annorum millia expleuiſſe: Xacam vero octies millies natum. Bonziorum beneficia & improbitates, his compertis ſuis Iapones inſtitutis quaſi armis oppugnare adorſus, breui eorum commenta certis argumentis rationibuſque conuulſit, & Chriſti doctrinam ſic ſtabiliuit, vt duorum menſium ſpacio fuerint ciuium capita baptizata facile quingenta. Cum autem ex Franciſci diſputationibus quidam ex Banduenſi Academia (ea erat totius Iaponiæ, & celebritate, & nobilitate maxime inclyta, vt pote quæ amplius quatuor auditorum millibus frequentabatur) conuictus oportere vnum omnium rerum principum reperiri, nec ignaros ſui conditoris ſaluos eſſe poſſe, Chriſto palam ſe adiunxiſſet, tantus Neophitis in ea re ardor iniectus eſt, vt pro ſe quiſque cum Ethnicis de religione decertarent, reſque Chriſtiana adeo aucta eſt, vt Amangucij vnius anni ſpacio fuerint ad tria capitum millia baptizata.

Iaponum deliria.

Banduenſis Academia.

Bonxios conuertit.

4. Hinc Bungi Regem ipſius inuitatu adiens cum aduentantem Luſitani bombardarum omnium exploſione quater ſubinde ſalutaſſent, & Bunzij ipſe Rex videret Luſitanorum præcipuos ſplendido veſtitu inſignes, in equis, Xauerium vero pedes ſequi ſarcina quadam ſacræ ſupellectilis onuſtum, ea ſpecies admirationem tanti viri omnibus mouit, verbo vno, Regem & populum Chriſtianis myſteriis imbuit, Bonziorum audaciam frangit, quorum vnus in primis nobilis ad Chriſti fidem accedens ita mouit animos Indigenarum, vt vna die amplius quingenta capita baptiſmo

Digitized by Google

baptiſmo lauerit. Iterum Bonziorum doctiſſimum certamine coram Rege inito cum viciſſet eorum deliramenta de Pythagorica demigratione animarum omnibus deridenda propoſuiſſet, & quam indigna res eſſet doctrinam profiteri, quæ pauperes, & mulieres cælo excluderet, & ab iis petiiſſet, cur eſſet cauſæ, cur cæli terrarumque Dominus cum fœminas iuxta, ac mares, pauperes æque ac diuites procreaſſet, non eoſdem, ſi honeſtam, piamque vitam colerent, ſine vllo diſcrimine beatos vellet? Hic Rege cæteriſque arbitris vehementer Franciſco aſſentientibus ingens Bonzios inceſſit dolor.

5. Cum autem Xauerio & Bonzij, & cæteri hoc identidem ingererent; Si vera eſt Chriſtiana religio, cur eam non probant Chinæ, à quibus eam, quam profitemur Iapones acceperunt: decreuit ipſam inuadere arcem, ſatis fidens, Chinis in Chriſti caſtra compulſis, eorum auctoritatem Iapones haud ægre ſecuturos. Tum Xauerius gratiis Regi impenſe actis quod ſociis ſuis eo deſtinatis in ſuo regno attribuiſſet ſedem, Indiam repetiit, inde in Chinam profecturus, enixe monens vt memor eſſet ſe mortalem eſſe, ſecumque animo reputaret, quam multa piacula admiſiſſet, & quæ eum manerent tormenta, niſi ea viuus expiaret. Sic autem in animum induceret ſuum, quicunque alieni à Chriſti fide extremum diem obierint, eos haud dubie æternas apud inferos ſuſtinere pœnas: qui vero Chriſtianam religionem animo, factiſque ſeruauerint, Chriſti beneficio ac munere perfrui æuo ſempiterno.

Quales eo ſolo fructus ex ea ſemente prouenerint ſpecimen vidit Europa, tum, cum Rex Bungi Franciſcus, & Rex Ariminenſis Protaſius, Omuræque princeps Bartholomæus ad Euangelij lucem poſtea vocati, Mantium, & Michaëlem ſpectatiſſimæ virtutis adoleſcentes, ſibique ſanguine coniunctos ad exhibendam ſuo nomine Pontifici Maximo obedientiam Romam legauere, & anno 1585. exhibuere. Longe clarius adhuc illuxit, ex quo ſummus Iaponiæ Imperator Cambacondono mota perſecutione in Chriſtianos anno Chriſti 1587. iuſſit omnes Chriſto nuncium remittere. Innumeros Iapones pro ſuſcepta fide Chriſti gladius abſtulit, ſed maior extitit à ferro fecunditas. Multos ignis conſumpſit, ſed à flamma claritas acceſſit, tormenta, carceres, equulei, nihil aliud fuere, quam

Cambacondoni perſecutio.

Digitized by Google

experimenta virtutis, quibus non oppreſſa ſunt, ſed erecta, non abſterrita, ſed inuitata. Omnis ætatis & conditionis innumera millia qui in hanc vſque diem quo peruenerat Tyrannorum immanitas, inaudita antiquis pro Chriſti nomine conſtantiſſime pertulerunt ſupplicia. Cæterum ignoſcat Lector ſi hæc paulo fuſius quam Geographum deceret ſum perſequutus, amor in ſanctiſſimum Parentem meus hoc extorſit, nec potui inter ſcribendum mihi temperare, vel relegens permiſit vt expungerem.

CAPVT VIII.

Inſulæ Goti.

INter Inſulas Iaponiæ quinque ſunt numero diſcretæ inter ſe millenis ferme paſſibus. Nomen Goto ab numero habent, nam prior ſyllaba quinque, poſterior Inſulam Iaponice ſonat. Gens ſatis humana eſt ſuperſtitioni dedita quam quæ maxime. Regio omnis venatu non eget, piſcatu abundat, cætera non admodum felix. Ferarum vna eſt memorabilis ante alias, magnitudine ferme canis vulgaris, niſi quod breuiores aliquanto ſunt pedes, molliſſimus pilus, pretioſa pellis eſt. Vbi conſenuit ad mare deſcendit: altumque ingreſſa, paulatim demutatur in piſcem Thunno parem, nec dubia res eſt, capiuntur nondum ex toto conuerſæ, permiſta terrenæ & maritimæ belluæ figura.

Bellua in piſcem conuertitur.

CAPVT IX.

Qualis ſit Architectura in his partibus.

1. EX innumeris vrbibus & palatiis, quæ ſunt in his inſulis vnam tibi ſolum propono Naram non ſummi Imperatoris regiam, ſed Meacenſis primarij viri. Collis erat præcelſus ex lapide molliori, cum collem Daiondonus loci Dominus fabris adhibitis ad iuſtam planiciem ita depreſſit, vt eadem opera ex ipſomet lapide ſolidæ turres & propugnacula exiſterent. In medio autem complures effodit puteos negocio facili, quippe cum ad tertium ſtatim

Digitized by Google

tim cubitum aquarum copia ſcaturiret, tum ille è popularibus ſuis ditiſſimum quemque euocauit: ſolum in areas deſcriptum illis ædificandi cauſa diſtribuit: illi porro ædes certatim extruxere magnificentiſſimas, contignationibus multis ſpecularibus feneſtris inſtructas. Illud vero præcipue delectat intuentium oculos, quod non priuata ſolum ædificia, ſed mœnia & ipſa turreſque tectorio inductæ ſunt læuiſſimo prorſus, ac nitidiſſimo. Nihil in orbe tale conſpicitur. Calcem quippe non arena commiſſa, ſed candidiſſimo quodam chartæ genere ſubigunt. Tegulæ duorum digitorum craſſitudine nigricantes & varietate figurarum oculos retinent, & in quingenteſimum annum, atque eo amplius durare dicuntur. Cubicula cedrina ſunt gratiſſimi odoris, parietes pretioſe cælati priſcis annalium monumentis, quod inter effigies & ſpacij totum id inauratum eſt. Columnæ cum Epiſtyliis ac ſpiris ex aurichalco item inauratæ, cælatura magnifica, quibus è mediis eminent eiuſdem operis roſæ peramplæ viſuque pulcherrimæ. Iam vero lacunaria tum aliis commentis opificum, tum vero tabularum iuncturis adeo artificioſe latentibus, vt quamuis defixos fallant obtutus. Sed inter cætera mirabile erat cubiculum vlnarum quaqua verſus quatuor & ſemis, & ligno croceo vndatim criſpante venuſtatis eximiæ ita polito, ac ſplendido, vt cum ſpeculorum fulgore certaret. Huic ædium dignitati hortorum reſpondet amœnitas, quibus dici nihil poteſt iucundius. His addo Scacaij deſcriptionem, vt oſtendam quæ ſit Iaponicarum vrbium œconomia.

Ex epiſt. Gaſparis Villeriæ.

Sacaium in Septentrionem ſita gradus obtinet quinque & triginta & ſemis, munitiſſima eſt; ab Occidente alluitur mari, ab aliis vero partibus profundiſſima cingitur foſſa, aquis plena perpetuis, inteſtino omni tumultu, ac ſeditionibus vacat, nec rixæ ferme audiuntur in ea, cum enim vrbis viæ ſuos quæque portas & cuſtodes habeant, ſtatim cum opus eſt, occluduntur, nulluſque noxiis ad fugam exitus patet, ſed continuo comprehenſi ad tribunalia pertrahuntur.

Digitized by Google

CAPVT X.

Inſulæ appoſitæ litori Chinæ.

FOrmoſa, Inſula eſt ſpacioſa, longa 150. millibus paſſuum, lata 75. diſtans ab æquatore 22. gradibus, & paulo amplius: Sinarum regno, à quo abeſt propicio vento itinere horarum 24. tributum pendit. Hollandi in ea munitionem excitarunt in valle arenacea, quæ deſinit in portum Sirtibus obſitum, in quem difficilis eſſet aditus, niſi præaltæ ſudes extarent, quibus trames nauigantibus indicatur. Hac freti non minus Belgæ cum Chinenſibus exercent commercia, quam Portugalli. Arcem etiam in ortiuo litore obtinent hiſpani remotam à Belgica 90. millibus ſi mari via inſtituatur, vel 45. ſi terra. Campi feraces ſunt adeo vt gramen ad pedes 9. excreſcat, quod Hollandorum armentis eſt perquam vtile, nullibi plura videre eſt, & numeroſiora Ceruorum armenta maxime in ſyluis, quorum caro non minus obæſa quam ſuilla. Sunt & Alces Lituanis ſimiles. Nulla in Indiis regio cuius temperies magis accedat ad cæli aëriſque Europæi temperiem: reperitur etiam Piper in ſyluis, Cinnamomum in montibus, Camforam arborem miræ proceritatis, ſalſam Parigliam. Habet & Mineras aureas, quas nec dum Hollandi aperuere.

Gramen hic ad pedes 9. excreſcit. Cerui non minus obæſi quam ſuil. Alces. Piper. Cinnamomum Camfora.

Incolæ cum mares, cum fœminæ incedunt nudi omnino. Sunt præaltæ ſtaturæ, agiles adeo vt ipſos curſu præuertant ceruos, Rex loco coronæ inſignis eſt alis, quæ conſtant plumis varij coloris, quas habet in capite.

Homines qui.

Non multum ab ea remouetur exigua inſula à ſolis Barbaris culta, qui aduenas quoſcunque mactant.

In eadem ora eſt Hayman inſula ſub 24. latitudinis gradu ſita, ad eam fit piſcatio vnionum diues. In Boreali plaga illius ciuitas eſt, nec pauci pagi vtcunque frequentes. Producit ligna pretioſa propter odorem puta Aquilæ, & Hoalimo.

Hermeſa inſula diſtat à continenti Chinæ leucas non amplius quinque ſupra viginti, & ab vltima ora Maniliæ paulo plus. Ita vero ſæuit mare in his partibus, vt niſi eligatur oportunitas temporis ad nauigandum pene certum ſit naufragium. In ea Inſula, etſi Hiſpanus miles munitam obtineat ſtationem, hoc tamen non impedit, quo minus Hollandi,

Digitized by Google

Hollandi in eadem erexerint arcem qua Maniliæ ciuitatis communicationem cum Regno Chinæ impedirent.

CAPVT XI.

De Philippinis Inſulis.

1. AD has anno 1520. appuliſſe Magellanum tradunt. Verum cum accuratius eas Adelantadus Michael Lopez de Legaſpe luſtraſſet anno 1564. mandato Ludouici Velaſcij nouæ Hiſpaniæ Proregis, dictæ ſunt Philippinæ in honorem Philippi 2. Hiſpaniarum Regis, cuius auſpiciis cœptæ ſunt luſtrari Bartuſſarum nomine à Ptolomæo celebratas putant aliqui. Inter 6. & 20. gradum verſus arcton omnes poſitæ. Bartuſſa ſitus.

Non vnum eſt omnium eorum regimen, aut vna omnium Reſpublica, neque in gentem vnam coaleſcunt vt Iaponij. Sed cum vnaquæque ſuas habeat ciuitates & proprio nomine cenſeatur: plures tamen in eodem tractu ſitæ, in quandam quaſi conueniunt communem nationem. Eadem lingua, quæ hoc iure colligatæ ſunt, vtuntur, communeque inter eas intercedit ius commercij, & communi vocabulo notantur.

2. Duæ ſunt inter eas præcipuæ differentiæ: quaſdam enim Luzonum inſulas appellant, in queis Manilia annumeratur: alias à coloribus quos corporibus allinunt Hiſpanico vocabulo appellant Pintatorum. Luzonum. Pintatorũ.

In ſeptentrionali parte, earum circiter 40. in pôteſtatem Hiſpanorum venere: aliæ amicitiæ & mercimonij fœdere coniunctæ.

Quæ in poteſtatem Regis Hiſpaniæ venerunt, diuerſis nobilibus, vt quiſque rebus bello geſtis meritus eſt, in fidem, & patrocinium commiſſæ, eas clientelas Commendas vulgo nominant, nec perpetuo iure ad hæredes tranſeunt, ſed ad alios, vt cuiuſque Regis arbitrio penduntur merita. Cõmendæ.

Quæ liberæ ſunt, & Chriſtianorum colunt amicitiam, eæ ſuis magiſtratibus, & ſuis reguntur inſtitutis.

3. In omnibus inſulis quæ Pintatorum vocantur, quando qui iter faciunt, ſiue mari, ſiue pedibus, nihil ſecum inferunt, ſed eadem fiducia ad tecta hoſpitum ſe conferunt, ac ſi ſuam quiſque domum peteret, hoſpitaliter excipiun- Charitas magna inter barbaros.

Digitized by Google

tur, cibos poſtulant ad libitum, abunde ipſis omnia præbentur. Si quo anno frugum inopia laboret vna inſula, cum omni benignitate à vicinis ſubſidium accipit ſine pretio.

CAPVT XII.

Earum Præcipua.

1. MAnilia totius regiæ adminiſtrationis vrbs primaria in lat. gr. 16. & in Inſula, quam aliqui vocant Lutzoniam, ſiue Luconiam, alij Tagalam, vbi conuentus primarius Hiſpanorum, & Emporium omnium frequentiſſimum, à duobus lateribus mari cingitur & flumine. Munitur caſtello, quod primum ligno & ceſpitibus ſeptum erat, nunc autem muro. Longa dicitur Inſula 200. leucas. In Cherſoneſo illius auſtrali ſub lat. gr. 14. eſt Cabitenſis portus frequens continuo Hiſpanorum, Chinarum, Iaponum, cæterarumque gentium appulſu, quæ conſtruendis, aut reſtaurandis nauibus, triremibuſque operam dant, qua etiam diſtrahendis, vehendiſque mercibus, quæ hinc in nouam Hiſpaniam quotannis aſportantur, aut ex variis orbis regionibus conueniunt ſimul cum indigenis hoſpitibuſque, qui hunc portum & vicina oppida incolunt. Habent in eo Hiſpani arcem, atque milites præſidiarios.

Mindoro. Mindoro eſt ſub gr. 13. longa 20. lata 10. leucas, pipere fertilis eſt.

Zebus aliis Cabu Inſulam omnium primam pacate poſſederunt Hiſpani quando primum Adelantadus Legaſpius Prætor ad has occupandas miſſus eſt: cœli temperies mitior eſt quam Maniliæ, quo Orientem proſpicit, portum, atque vrbem oſtentat Epiſcopalem ab Hiſpanis colonis Nomen Ieſu dictam ſub gradu lat. 10. In hanc inſulam claſſis Hiſpanicæ præfectus Fernandus Magellanes venit anno 1520. Eius longitudo putatur 30. leucarum. Ad Orientem ipſius eſt Abuyo, quæ propter aurum & vniones commendatur. Mindanao Inſula cæteris maior 300. leucas in circuitu habet, portuoſa, melle, gingibere, cinnamomo, & aurifodinis celebratur, eius oppida Cailon, Panaodos, Subut, Dabito, Suriaco, primum Hiſpanorum coloniæ, tandemque ab iiſdem penitus expugnata.

Aurum & vniones. *Ita Moriſ. in orbe maritimo.* *In vita P. Matris.*

2. Zeite Inſula ab ortu in occaſum 40. leucas excurrit, ab

Digitized by Google

ab arcto in auſtrum, non magna aperitur latitudine, eam perpetui montes qui à Carigara nomen capiunt, mediam diuidunt admirabili ingenio naturæ, vtraque enim inſulæ pars quaſi partis inter ſe cœli vicibus alio tempore vna, alio imbribus altera irrigatur, eodemque tempore in vna hyemat, dum æſtas eſt in altera, ſicque binas, eaſque vberes ſingulis annis meſſes faciunt incolæ, ſolum opimum eſt, & apprime ferax. Abundat Gallinis, Porcello, Apro, venatuque reliquo: frugiferæ arbores varij generis tanta copia fructus fundunt vt nullo pretio pendantur. Præcipue vero iuglandium nucum magna vbertas. Singuli ſua habent palmeta, aquis perennibus irrigua, ſicque continenti vmbra, pene omnia itinera opacant. Sunt arbores ad ædificia tam immani trunco, vt 12. hominum complexum craſſitudo excedat. Nulla eſt mitior in Europa regio Errant qui cœli temperiem ex ſituum altitudine definiunt. Ibabaëm inſulam mare Xurium omnium primam offert nauigantibus inſulis reliquis omnino parem, orizæ copia, gallinaceis, venatu, palma; multis ſciſſa fluminibus irrigatur, quæ magnam vltro, citroque commeandi præbent facultatem. Iumentorum vicem explent actuaria leuia, quę vento cum adeſt, cum deeſt remis impelluntur, Ius in ea tenent Commendatarij ſex.

Actuaria quæ vento impelluntur.

3. Bohol inſula diſtat à Zebua traiectu 8. leucarum, ferax & multis nuper inuentis auri venis diues, montoſa aliquibus locis, & multis fluminibus irrigua, aſpectui amœna, ſylueſtrium pecudum copioſe abundans. Homines bona corporis habitudine, colore quam cæteræ gentes minus fuſco, ingenio aperto & ſimplici, atque à fallacia omni alieno. Mortuorum cadauera abluunt, odoramentiſque condiunt, & optimis indutos veſtibus lacrymis proſequuntur, terræ mandant, addunt varij generis eſculenta, & ancillas eorum miniſteriis deuouent. Palmeris abundat Inſula.

4 Butuane Inſula eſt contra oram Mindanai frontemque Leite Inſulæ obuertit, fertilis & multis rebus inſtructa, Zapetij ferax, & Amomi, imprimis vero abundans auro. Populi eius incolæ ripas ferme accolunt Butuanis rapidi fluuij à quo inſulæ toti nomen inditum, homines ſunt bellicoſi & feroces.

Digitized by Google

CAPVT XIII.

Inſulæ Latronum.

1. DVcentis prope leucis à Philippinis remouentur Orientem verſus 15. circiter Inſulæ, in directum quaſi poſitæ à 7. gradu Boreali, ad 16. ſic autem appellantur, quod qui pedem in ea terra poſituri ſunt apprime ſibi caueant oportet, nec niſi armati obambulent. Nihil enim hic à latrociniis, & cædibus tutum, ſemperque aliquod nouum furti genus comminiſcantur. Hiſpani eas vocant Iſlas de la velas. Guagana ſub gradu 13. ab æquatore ſita, earum eſt vna ferax orizæ, goſſypij, & nucum Indicarum: humus ſatis edita. Incolæ corpore ſunt robuſto, proceriores Indis, arma ipſis ſunt funda, & aſſagia, ſeu breuis haſta.

CAPVT XIV.

Moluca Inſulæ.

1. QVæ communiter vocantur Molucæ Inſulæ, complures ſunt numero ab ipſo æquatore in Boream per leucas circiter 20. iacentes in directum, quarum nulla plus leucas 6. aut 7. ambitu colligit. Vnæ omnium Inſularum, quæ in hoc pelago ſunt innumeræ, ingentis pretij frugem Caryophillon ferunt, reliqua pene cuncta ad victum & cultum, aliunde mutuari coguntur; maxime ex Bathonica Inſula quam appellant Mauricam, ad Occidentem per 60. leucas remotam.

Caryophillon.

Arbor autem Caryophilli, & ſtirpe, & foliis Lauro ſimilis eſt, flore imprimis odorato, qui è viridi in rufum mutatus vbi obduruit, Caryophillum Arabibus, at Europæis, quod capitatus eſt, clauus appellatur. Arbor è decidentibus Caryophillis, citra culturam enaſcitur: annuas fert fruges, quæ tamen propter flagellorum, & acrioris decuſſus iniuriam, non niſi altero quoque leguntur anno. Solum infra purum eſt, arbore in ſemet omnem trahente ſuccum, ipſe vero fructus potentiorum præcipue menſis, ac dapibus expetitus, ab inſtitoribus ingenti lucro, & in Aſia, & in Europa diuenditur. Terra arida eſt, & in modum pumicis fiſtuloſa, itaque non modo cadentes à cœlo imbres, momento combibit, ſed etiam è montibus manantes

Arbor. Flos & fructus.

Digitized by Google

nantes obſorbet aquas, antequam directo alueo ad mare perueniant. Eadem aliquot locis cum inſano reboatu ignes eructat.

2. Incolæ fuſco ſunt colore, fluxo capillo, ad bellica ſtudia ſtrenui, cætera mirum in modum inertes & pigri: medulla quarumdam arborum ſæpius victitant, fagum vocant, ea lente purgata, & teſtaceis incocta formis non ſolum in quotidiana alimenta, verum etiam in vſum nautici pannis interdum ſufficit, & ex eiuſdem plantæ ramis, artifici manu conſitis, leuandæ ſiti, mirifico ſapore ſimul & ſalubritate, candidus liquor exſudat, quem vulgo Tuacam appellant. Ipſas inſulas olim deſertas, & qua planicies eſt mari merſas fuiſſe teſtantur Conchilia, & arenæ quæ fodientibus paſſim occurrunt, atque ob id ipſum ab indigenis coli negant. Conuenæ ſunt è China, Iauis, & aurea Cherſoneſo, & aliis regionibus origine diſpares & ſono linguæ, cæterum contumacia, ſcelere perfidiaque ſimillimi, quippe nec niſi malo coacti, recte facere norunt, & non ferro ſolum & aperta vi, ſed calumniis fraudibuſque & veneno graſſantur, eademque infamia eius tractus cæteræ quoque inſulæ ferme laborant. Eas dicunt aliqui caſtellanos primum adiiſſe, & poſt acrem inter Portugalliæ & Caſtellæ Reges controuerſiam, Portugallis velut oppigneratas, donec earum præcipuas Hollandi ſuperioribus annis occuparunt, & arcibus ad minimum nouem firmarunt.

Incol cibus. — Et potus. — Conuenæ ſunt. — Occupantur à Portugallis & Hollandis.

3. Ex iis præcipuæ ſunt ſex. Bachianum, vernacule, Bachian eſt ſub ipſo æquatore, altera parte longior, longa leucas duas, lata vna. Machianum vernacule Machian appellatur ſecunda, quatuor circiter minutis remota à præcedenti, figuræ propemodum rotundæ, cuius diameter eſt Minutorum 6. vel 7. arcibus ad auſtrum Tabillota, ad Septentrionem Mauritio dictis munita ab Hollandis. Timor, aliis Motir eſt triangularis figuræ, ſub vigeſimo ab æquatore minuto ſita, & firmata arce ſimiliter triangulari dicta Maſſau ad Boream Inſulæ. Pottebackers minor præcedentibus ouatæ eſt figuræ, minuto ſubiecta 28. Tidoro inter maiores computanda, patet in longum minuta 8. quatuor aut quinque lata ſub minuto 36. firmata ab occaſu arce Marieco dicta.

Bachian. — Machian. — Timor. — Pottebackers. — Tidoro.

4. Ternate præſtat has inter inſulas, 43. minutis remota ab æquatore verſus Boream, ad circularem accedens figuram, cuius diameter minutorum 6. vrbem habet cum

Digitized by Google

arce cognominem Inſulæ, portus eius dicitur Talammagamme. Mons in ea aſſurgit in nubes excelſus & arduus, cuius inferiora denſis nemoribus veſtiuntur: ſuperiora ex incendiis glabra & horrida ſunt. In vertice crater, hiatu vaſto in plures circulos circumductos maiores minoribus, ad ſpeciem amphitheatri diſcedit. Inde per æquinoctia maxime certis flantibus ventis, cum horriſono fremitu flammæ atro miſtæ fumo & fauillis erumpunt, & omnia late loca cineribus complent. Nonniſi perfunes, aut ferramenta quibuſdam in locis aſcenſus eſt. Incolæ etiam alicubi ſulphur optimum legunt.

CAPVT XV.

Mauricæ Inſulæ.

1. ABſunt tres Mauricæ à Molucis leucas prope 60. verſus ortum aquarum præcipua eſt ſub ipſo æquatore ſita ambitus 150. leucarum, ſic dictæ ab earum præcipua, quæ ab aliis Moratia, & Batechina, hoc eſt terra Chinarum dicitur, quaſi fuerit olim à Chinis primum culta. Solo aſperæ ſunt præruptæ ſterileſque, & quæ triticum vinumque negant, nihilque armentorum aut gregis alant, præter paucos admodum ſues, non tam ad eſcam, quam ad miraculum, cum tamen apris abundent. Aquæ dulcis mira penuria, oryzæ tamen ſatis, ingens modus arborum, Palmetis Indicis haud abſimilium, vnde ſibi panem qualemcunque & vinum petunt: ſunt & aliæ arbores, ex quarum cortice depexo veſtem vulgo conficiunt. Orizæ quod ſatis eſt ferunt. Gens porro ipſa terræ ingenio prope pari, aſpera, & inhumana, literarum penitus expers, quæ ne prima quidem elementa pernorat, ac ne habebat quidem vlla inſtrumenta aut monumenta doctrinæ, priuſquam Cacizi, & Alfaqui miniſtri Mahumetani, qui literis vtuntur Arabicis, illuc ſe conferrent. Feritate autem barbarieque tanta, vt non modo alienis, peregriniſque nō parcant, ſed in ſuos etiam ferro ac veneno graſſentur, & amicus ab amico petat parentem ſenem vt inter epulas edendum proponat conuiuis ſuis, promittens ſe parem omnino repoſiturum gratiam, & ſuum ipſi patrem tradere cum ipſe voluerit amicos conuiuio excipere lautiori. Sunt præterea ad omnem impudicitiam ſic proiecti vt nulla hic ſpecies deſideretur.

Du Iarric. l. 2. Ind. Orient. c. 28. Turſelin. l. 3. c. 6. vita Xauerij hiſt. Soc. l. 16.

Apri frequentes.

In parentes mire barbari.

2. Regio

2. Regio præterea crebris terræ motibus, horrendis fremitibus & ſubterraneis paſſim ignibus quatitur: compluribuſque locis terra tanto cum fragore flammarum globos euomit, vt quæuis ænea tormenta longe ſuperent, imo eminus ſaxorum ingentes moles & prægrandes arbores eiaculentur. Interdum acrioribus ventorum flatibus tantos cinerum eructant aceruos, vt in campis totos oppleant & perfundant agricolas, vix vt eorum oculi & nares extent, apros in ſaltibus paſſim obruant, & excæcent, & piſces qui cinere aſperſam aquam hauſerint, totis litoribus fuſos enecent. Volcani plures.

Oppida præruptis, excelſiſque rupibus tanquam à natura manibus muniuntur, nullius vt pateat Iumenti veſtigio. Inde incolæ rident hoſtem, & omnem eius conatum. Præcipuæ in ea vrbes Momoia, quæ diu maluit infidelis permanere, quam Mahumetani deliria admittere, & quæ deinde fidem Chriſti prima admiſit, ad illud inducta à Gonzaluo Veloſa mercatore Luſitano, multique cum ea vici. Momoia.

3. Diſpari ſunt Inſulæ inter ſe lingua, interdumque eiuſdem inſulæ pagi; quamuis lingua Malaica, quæ ab Malaca per Molucas longe diffunditur propter commercium vtantur omnes. Quæ cauſa fuit vt in eam potiſſimum Xauerius linguam Symbolum Apoſtolicum & decem præcepta legis apta cum explicatione conuerteret, in eam appulſus anno Chriſti 1546. quando vicis compluribus incultis, horridiſque quod vitæ Chriſtianæ ducem ſacerdotem quem habebant vnum ſuſtuliſſent è medio; inuicta S. Xauerij virtus cæleſti ope nixa tribus menſibus ex feris fecit homines, & innumerabilem incolarum multitudinem ad Chriſti religionem traduxit. Certe in vno oppido Tolum vocant ad 25. capitum millia ab eo Chriſtiana facta traditur. Quæ vrbs poſtea cum à Chriſto defeciſſet, Gelioli Saraceni Tyranni gratiam initura, & ſacra æde euerſa, cruces, ſacraſque diuorum effigies per ludibrium fregiſſet, Primũ illorum ager ex feraciſſimo huius Inſulæ, ſqualidus ac ſterilis factus, fruges etiam in horreis dira tabe conſumptæ: aquæ ſubito amaræ, noxiæque ex ſalubribus redditæ, fame quoque ac lue multi mortales abſumpti, denique ſol circa meridiem repentina caligine offuſa, haud diſparem nocti tempeſtatem dedit, & ſimul vicini montis vertice, cum horrendo mugitu ac fragore tetrum, fœdumque erupit incendium, quod tres dies, nocteſque tenuit, itaque ingens cineris pumicumque vis inde egeſta vt arcis

Malaica lingua. — Tolus. — Sacrilegorum mira clades.

Aures miræ magnitudinis.

faſtigium æquarit, moxque terræ motus inſolitus, tectorum vrbis ingentem edidit ſtragem. Aiunt nonnulli repertos hic quoſdam homines tam longis auribus, & pendulis vt humeros attingerent.

CAPVT XVI.

Celebiorum inſula, aliis dicta Macazaria.

Ex hiſt. Soc. l. 6. n. 8. 13. & ex Turſel. l. 2. c. 12. vita ſancti Xauerij.

Aurum Vniones.

Macaſſar.

Sæua hyems.

Ad fidem Chriſti multorum conuerſio.

1. INgens eſt Inſula Celebes, de nomine magni in ea Promontorij vocata à Molucis, leucis circiter 50. diſtans; 300. ferme ambitu colligens, æquatori ſubiecta ex parte, plura in regna diuiditur. Abundat oryza, ſale, carnibus, piſce, ſandalo, ebore, auro, margaritis, & quæ corporum firmitas, & ſtudium eſt gentis, valentiſſimo imprimis & exercitatiſſimo remige: ſuper hæc amnibus ad euectionem, ſubuectionemque ſcinditur multis qui è montana regione decurrunt. Peninſula ipſius maxime auſtralis vocatur Macaſſar. In ea Inſula pridem Dynaſtæ tres, aliique quam plurimi è populo ad Chriſti fidem per Antonium Paiuam Luſitanum mercatorem pellecti ſunt, qui cum ad id tempus, pecudum vixiſſent ritu, poſtea hominum vitam viuere, & ſimul Deum colere, caſte, pieque ſtatuerunt. Summa hic deſæuit hyems menſe Maio. Manadus præcipuus eſt eius inſulæ portus in parte Boreali vno circiter gradu diſtans ab æquatore. Anno 1563. cum Manadum appuliſſet Pater Magallianes è noſtra Societate vulgata de eius aduentu fama tanta circa eum conglobata eſt multitudo hominum, qui vt fierent Chriſtiani ſumma petebant contentione vt intra 15. dies pro gentis captu 1500. Catechiſmo præparatos vna cum Rege ſacris vndis abſterſerit. Crux ingens conſtituta eſt in litore. Ex Manado ad oppidum Bolanum appulit. Hinc Cauripam abiit, vbi anguſto in litore nec admodum in longitudinem protenſo ſex pagi conſpiciuntur. Ex his egreſſi incolæ ad tria millia ea cupiditate Chriſto Domino tradebant ſe, vt haud ſane poſſis magiſtrorum penuriam ſine gemitu reputare. Oppidorum principibus baptiſmate in præſentia impertitis & cruce in hoc quoque litore fixa, ſpes pro re multitudini præbita.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XVII.

Inſulæ Amboinum, & Banda, aliæque communiter dictæ Myriſticæ.

Orland. l. 6. n. 102. hiſt. Soc. 1. Circa gradum 5. ab æquatore verſus auſtrum diſtans ab vrbe Malaca paſſuum circiter millia nongenta, reperitur Amboinum inſula frequens indigenis aduenisſque, ea circuitu millia paſſuum amplius octoginta complectitur, & vicis frequentibus habitatur. Præſidium in ea conſtruxerunt Luſitani, eiuſdem pene cœli, & Soli naturæ cuius eſt Banda, aliæque multiplices paruæ inſulæ communiter dictæ Myriſticæ nulli vni proprie ſubiectæ Domino, ſed in poteſtate ſuorum quæque populorum, habitatæ ab indigenis, quorum noſtri Patres ſeptuaginta millia anno 1565. cum ad fidem Chriſti conuertiſſent, multæ ſunt hic à Mahumetanis vaſtatæ Eccleſiæ. Banda gradibus ad ſummum quinque cum minutis 45. remouetur ab æquatore, vix vno ab Inſula Ceran. Inſula tota ad equinæ ſoleæ ſpeciem à ſeptentrione in auſtrum excurrens tres non amplius leucas in longitudinem, vnam in latitudinem obtinet, qua ſinus introrſum recedit, ibi emporium eſt. Gens æneo colore, fuſo capillo, robur in membris, in animis feritatem oſtentat, viri mercaturam, fœminæ agriculturam exercent. Nullum habent regem, ſuis inſtitutis ac ritibus viuunt: & vbi conſulto opus eſt, ad ſeniorum cætus redeunt, locus ad inuehendas, & euehendas merces admodum eſt opportunus. [Myriſticæ plures.] [Ceran.]

Maff. 2. Hæc Inſula nucem Myriſticam, quam muſcatam vocant, fundit. Arbor ad Pyri ſimilitudinem accedit, fructus mala perſica quadantenus imitatur, floret quo tempore ibidem aliæ quoque plantæ, & herbæ varij generis: è quibus vniuerſis mirificus odor incomparabilis cuiuſdam ſuauitatis exiſtit. Vbi defloruit matureſcens pomum, paulatim è viridi, tum cæruleas, luteaſque, tum purpureas & igneas tranſit in maculas, quales in arcu cœleſti cum voluptate miramur; atque eo ipſo tempore Pſittaci & aliæ nobis ignotæ aues eximiæ pulchritudinis ad gratiſſimum ſibi paſtum aduolantes augent oblectationem, cum folia & fructus & alites ipſæ variis colorum picturis ad certamen vſque luxuriant. Maritimum habet tractum ſylua feliciſ- [Muſcata.] [Flos eius & fructus.] [Coloris gratiſſimi.] [Pſittaci.]

ſima viridantem, & ex inſula media mons accliuis attollitur, cuius in ipſo vertice, lucus eodem & frondium veſtitu, & frugum copia ſatis amplum pateſcit in campum, atque inde ſplendidi aquarum riui ad ſubiectam planitiem irrigandam leui murmure defluunt.

Hollandi ea nunc occupant.

3. Ab aliquot annis Belgæ, Hollandi, vtramque hanc inſulam occuparunt & Portugallos commercio omni excluſerunt, munitione ibidem excitata.

CAPVT XVIII.

Iauæ.

1. IAuæ ſunt Inſulæ duæ, maiorem vnam, alteram minorem appellant, vltra Cherſoneſum auream ſitæ in meridiem. Eadem eſt fere, qua Somatra, ſoli vbertate, ſed longe ferocioribus Incolarum ingeniis. Maior octo Regibus paret & quam pluribus vrbibus celebratur. Maioris maritimam oram obtinent Saraceni, hominibus, armiſque & omni bellico apparatu præpollentes, & ex parte iam Bataui. Dirimitur à Somatra freto 15. leucas lato, dicto de Sunda à portu vrbis Bantan, quæ ipſi imminet; medium os ſubeſt parallelo 6. auſtrali. Patet in longum leucas 150.

Fretum de Sunda.

Bantan celebre emporium.

Bantan vrbs regia, cuius portus, imo oppidum Sunda dictus, freto & Somatranis litoribus imminens diu celebre fuit, emporium omnium inſularum, eiuſque ager cum aliarum rerum ferax, tum vero egregij piperis, & ante annos aliquot tenebantur ad illud appellere omnes Hollandæ naues, & procuratore gentis audire quid ſibi eſſet agendum: Tantus autem erat hinc Chinenſium, Iaponum, Turcorum, Arabum, Perſarum, & Ægyptiorum concurſus, vt vis quolibet die in foro publico inſtitorum triginta millia, vt minimum cenſerentur.

2. Poſtea anno 1618. duodecima ab vrbe Bantan leuca verſus Orientem fundamenta iecerunt Bataui vrbis, quæ primum dicta eſt Iacatra, poſtmodum vero Batauia, quam ſecundum artis hodiernæ leges ſic munitionibus firmarunt, vt octingenti viri contra Samorinum qui cum ducentis hominum millibus eam obſidione cinxit annis 1627. & 1628. generoſe, & fortiter defenderunt, & cum compulerunt cum ingenti ſuo dedecore obſidionem ſoluere. Portui prætenduntur exiguæ inſulæ non paucæ, eſtque ſtatio tutiſſima,

Batauia.

tutiſſima, in qua fundant naues in tranquillo mari, ſolo nullis rupibus aſpero, & munitionibus vrbis proximo. Tantum vero Batauicæ Societatis negotia promota ſunt, vt nunc centum naues habeant in his partibus, quarum triginta mille doliorum, vt vocant, ſunt capaces, indeque quotannis octo, vel decem ex illis cataphractis nauibus tranſmittant in Hollandiam; ſingularum vero onera millione æſtimantur, quantumuis impenſæ quæ ſunt in eam negotiationem faciendæ vix excedant duos milliones librarum cum medio. Quippe Cariophillorum libra ipſis non plus conſtat quam 10. aſſibus, Cinnamomi 6. piperis 4. Nucum myriſticarum vno. Florum 6. aſſibus cum dimidio, & ſerici tribus Florenis cum dimidio. Regna alia ſunt Iapara, Tuban, Surubaio, è regione Inſulæ Maduræ: Iortan, Paſſaruan, Balambuan, & Mataran, quibus omnibus inditum nomen ab vrbibus celebribus, in quibus Reges ſedem fixerunt. Aromatum varia pretia.

Iaua minor, quibuſdam dicta Cambaba eſt auſtralior maior, & Orientalior maiore; vix adhuc nota, aiunt in ea non pauca aromata, & incolas ſimiles incolis iauæ maioris. Iaua minor.

CAPVT XIX.

Borneum.

1. INſula eſt perampla ducentas circiter & quinquaginta leucas ambitu colligens. Patet ab ipſo æquatore ad gradum ſextum lat. bor. Mahumetem colunt populi.

Carnibus, oryza & variis alimentis abundat, & ſuper hæc laudatiſſimam Camphuram, & primæ notæ adamantes, agallochum, itemque apprime expetitum vicinis gentibus factitij vini genus, quod patrio vocabulo Tampoi dicitur, cum veſte Cambaica, ære, argento, vino, rubrica miniove permutant. Camphura. Adamantes.

Portus & oppida numerant multa: ſed præcipua nobilitate Borneum regia eſt vrbs. Hæc nomen fecit inſulæ, lateritiis mœnibus & ſumptuoſis ædificiis mirum in modum exculta, ad 25. millia numerant aliqui. Sita eſt in palude aquæ maritimæ inſtar Venetiarum. Incolæ ſubalbicantis ſunt coloris, probique & ingenioſi dicuntur. Color ſubalbicans.

Digitized by Google

CAPVT XX.

Somatra.

1. EA eſt à Septentrione in auſtrum oblique porrecta, ab continente in quo Malaca vrbs eſt anguſto, & periculoſo diuiſa mari, atque ob id ipſum peninſula quondam credita, quod ob frequentia vada, ſyrteſque nondum interiore patefacta nauigatione, iſtmo quodam annexa continenti procul intuentibus videretur.

Longitudo Inſulæ ducentas leucas & viginti, latitudo, quam maxime patet, 70. non amplius colligit.

Auri ferax. Auri eſt apprime ferax (ex quo Cherſoneſum auream priſci appellarunt) nec non ſtanno, ferro, vitro, ſulphure abundat. Inſignis inſuper fonte perenni, ex quo Naphta
Naphta. inſtar olei manat, & excelſo conſpecta monte Balaluano dicto qui fumum, & flammas horribiles euomit. Regio eſt ob frequentiam fluminum, & paludum, nemorumque denſiſſimorum graui admodum cœlo, ac præſertim aduenis vehementer infeſto.

2. E ſyluis inter alia primæ notæ Sandalum album, Agallochum, aloës dicunt Galli, & exſudans in modum reſinæ Caphura legitur, quam ignari Arabicæ linguæ Campho-
Caſia. Bombix. ram vocant. Itemque vulgare piper, & piper oblongum, zinziber, caſia, ſuper hæc magnam bombycis quoque ad veſtes delicatiores, copiam mittit. Incolæ, milio ferme, & oryza, & ſylueſtribus victitant pomis. Frumentum, & cæterum orbis noſtri ſementem terra non patitur. Interiora indigenæ tenent, dediti ſimulacris. Litora Mahumetani: quæ peſtis, ante ducentos, & amplius annos inuecta, per vim compulſis ad montana incolis, maritimam planitiem, & loca maxime opportuna commerciis occupauit.

Ditio tota complura in regna tribuitur.

FINIS.

Digitized by Google

R. SALVAREZZA
RESTAURO
Via Val Sassina, 6.
Tel. [illegible]

359

Digitized by Google